


General

A  
7-363





SECRETARIA DE ECONOMIA  
ORANGADA

Salto	A
Sección	0150
Tabla	
Número	229



29 12

14789

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL  
CRANICA

Julio: A

Estado: 7

Numero: 363





R. P. F. GABRIELIS  
A. S. VINCENTIO <sup>R-5962</sup>

CARMELITÆ DISCALCEATI

*Bibliothecæ Collegij Granatensis Societatis Jesu.  
Seminarij eiusdem Ordinis in Conu. S. Pauli, ac S. Mariae de Victoria  
Vrbis Romæ, Theologia, & Controuersiarum Praefectoris.;*

TRACTATUS  
DE SACRAMENTIS

Juxta Angelicam D. Thomæ Aquinatis Doctrinam, eidemque  
Angelicó Magistro Dicati.

PARS SECVNDA.

*De Sacramento Confirmationis, Eucharistiæ, &  
de Sacrosancto Missæ sacrificio.*



ROMAE, Ex Typographia Francisci Felicis Mancini

SUPERIORVM PERMISSV,





i15707039

1872

THE NATIONAL GEOGRAPHIC SOCIETY

DE SA GR A H

PARKS SEC



ROMA IN THE GRAPHIC FRANCIS...  
I SPERIORVM PER MISSV

D. THOMAE  
AQUINATI  
ANGELICO CIGNO



ANGELVM te aliò dixi ( Præceptor Angelice ) & Angelum fidei perscrutantem Sacramento fidei inperscrutabilia Sacramenta, dum te Angelum Domini, qui *Descendit de Cælo. & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum,* nuncupari iure monstraui, propterea Doctorum Angelum, Angelorum te dixi Doctorem; *Angelicus ergo Aquinas &*, quod complexis inter se characteribus *Cignus ales in aqua* anagrammatice efformat, & puritate, qua & Angeli natura & Cignicandor exposcit. Cignus igitur es, ò Aquinas, & iuxta fluentia residens plenissima, iuxta fluentia illa plenissima è latere Saluatoris scaturientia, Sacramenta inquam, cum è latere Christi dormientis effluxisse Sacramen-



ta, in clamat Augustinus; hic tu residens, o quam  
suauiter modulaberis! ac praecipue Eucharisti-  
cum referando arcanum: dum enim Diuinus il-  
le Cytharedus suos extendens in Cruce neruos  
Cytharam sui corporis percutiebat, tu velut  
*Cignus ales in aqua*, tam dulciter concinebas, vt  
tuus cum Cythara cantus vnus videretur esse  
concentus, nam *bene de me scripsisti*. Cythare-  
dus ipse personuit: O quam bene cecinisti! Be-  
nè, optimè: Quam ergo mercedem pro tam  
suauis cantu recepisti? *Non aliam Domine nisi*  
*te ipsum* interroganti respondisti; Benè, optimè:  
Non enim aliud exposcere poteras si Cignus  
eras, nam Cignum Apollini sacrum perhibetur,  
Apollinem vero Carminis, & concentus fuisse  
auctorem, testatur Macrobius: Bene igitur, op-  
time cecinisti, dum Cytharam, & Cytharedum  
ipsum pro mercede recepisti, ideo non mirum  
si nulla in tuo cantu vocis interceptio, nec sin-  
copen, sed cuncta dilucide, clare, distincte arti-  
culata, inueniantur; tuumque melos ita vniuer-  
sum per orbem cunctorum aures demulcet, vt  
non nisi ipsum tuum melos, velut Echo, reso-  
nent ora concaua sapientum. Iure ergo Eucha-  
risticum hunc tibi reddo cantum: Reddo quia  
tuum,



tuum, nam tu vere *Cignus ales in aqua*, si *Angelicus Aquinas* es: Reddo quod sub velamine  
contemplans tuis alarum pennis in velamine  
voluminum impressisti: Reddo quod velut *Seraphim* velatus alis, a lis inquam corporeis, mi-  
rabaris, nunc velut *Cignus* in aquis illis *quæ su-  
per Cælos sunt*, quarum *impetus latificat Ciuita-  
tem Dei* reuelata facie contueris, ac modularis;  
vbi nec mergibundus graderis, nec regrederis  
verebundus á gloria tantæ maiestatis oppressus:  
Reddo pariter quod ex torculari Crucis suauis-  
simum exprelsisti *Balsamum Oleis mixtum*,  
*Getsemani*, dum prolixius órans, quin canens,  
*Diuinus ille Apollo*, *jactus est sudor eius sicut*  
*gutta sanguinis decurrentis in terram*: iuxta hæc  
fluenta tu residens vt canorus *Cignus* modula-  
baris chisma conficiendo: Hæc modo tibi red-  
do, reliquos *Cytharæ* neruos, *Sacramenta* sci-  
licet, *Diuino* personante *Cytharedo*, me reddi-  
turum, vt per hæc fluenta *Sacramentorum* non  
nisi tuus resonet cantus *Angelicus Aquinas*, si  
*Cignus ales in aqua*. Vale.

FACULTAS



FR. IOACHIMI  
A. IESU MARIA*Præpositi Generalis Carmelitarum Discalcea-  
torum.*

**T**enore præsentium facultatem impertimur Reuerendo Patri Fratri Gabrieli à Sancto Vincentio Lombardo in Seminario Sanctæ Mariæ de Victoria Sacræ Theologiæ, & Con-  
trouersiarum Lectori eiusdem nostræ Congregationis Sacerdoti professo typis mandandi opus, quod inscribitur (Tractatus de Sacramentis iuxta Angelicam D. Thomæ Aquinatis doctrinam) dummodo prius duo nostræ Congregationis Theologi à Reuerendo Patre Prouinciali Prouinciæ nostræ Longobardiæ deputandi recognouerint, & in lucem edi posse probauerint. In quorum fidem præsentem dedimus sigillo nostro munitas, ac propria manu subscriptas. Romæ in Conuentu nostro Sanctæ Mariæ de Scala, Die 28. Septembris 1655.

*Fr. Ioachimus à Iesu Maria  
Præpositus Generalis.*

*Fr. Faustus à S. Basilio  
Secretarius.*

Cum



**C**um examinanda sint scripta de Sacramen-  
tis R. P. Fr. Gabrielis à S. Vincentio con-  
gregationis nostræ Sacerdotis professi, vtrum  
digna sint, quod typis mandentur: auctoritate  
mihi demandata ab A. R. P. N. Fr. Ioachimo à  
Iesu Maria Præposito Generali, nomino, & de  
signo pro tali examine P. F. Vincentium Mariã  
à s. Catharina Senensi, & P. F. Cassianum à s. Elia  
Religionis nostræ Professos Sacerdotes, & The-  
ologos. Dat: Mediolani. 20. Octobris 1655.

*Fr. Hieronymus à S. Tere-  
sia Prouincialis Carmeli-  
tarum Discalceatorum  
Longobardiæ.*

Doctif.

**D**octissimum Opus, cui titulus est, *Tractatus de Sacra-*  
*mentis R. P. F. Gabrielis à S. Vincentio* mihi ab a dmo-  
dum R. P. N. P. F. Hieronymo à S. Teresia Prouin-  
ciali Carmelitarum Excalceatorum Longobardiæ pro reuisione  
commissum, non sine magna animi voluptate vidi, & per le-  
gi, tanti Patris sinceram mentem meditatus sum, nihilque repe-  
ri Sacris Conciliis, SS. Patribus aduersum, quin potius ipsorum  
mens, ac præcipuè Angelici Præceptoris quam plenissimè elu-  
ridata, cuius in explanatione nelatum quidem vnguem recedit  
sed ita incedit, vt quæ in Sacro Angelici Doctõris pectore ve-  
luti latitabant, mira claritate depromat, & non nisi ipsius pe-  
ctoris clarissimum videatur speculum, ipsoque dictante exara-  
tum. Plura excitat; quæ huc vsque nemo tam per lucide, tam  
distinctè, tamque profundè examinauit, imò non nulla tam in  
veteribus, quam in recentioribus Doctõribus vllatenus me vi-  
disse fateor, attamen ex eorum excerpta Doctrinis. Qui igitur  
hoc in speculo fuerit demiratus, proprias effugiet rugas, pul-  
chriorpue apparebit, si non lippeis oculis intuebitur, dum ad  
reflexum Solis Angelici efformatum est. Dat. Romæ Die 28.  
Nouembris 1655.

*F. Vincentius Maria à S. Catha-*  
*rina Senensi Carmelita Discal-*  
*ceatus Theologus.*

Ego



**E**go inſcriptus, ex commiſſione R. Admodum Patris N.  
P. F. Hieronymi à S. Tereſia Prouincialis Carmelitarum  
Diſcalceatorum Prouinciæ S. Angeli Longobardiæ, vidi opus,  
à R. P. F. Gabriele à S. Vincentio concionatum *De Sacramentis*  
de quo illud idem iudicio, quod ſibi met fieri expoſcere ſentio.  
Quidquid in ipſo vidi typis exigit demandari: quinimò præ-  
lum ipſum, omnium affectat reddere; quod eſt vnus. Vnius eſt  
at omnibus debetur, cuius omnes indigent ad fidem, bonosque  
enutriendos mores. Multa in hoc opere ab eius Auctore ap-  
penſa in ſtatera, inuenta ſunt minus habentia, quæ alii per bre-  
ui præuio examine, iuſta eſſe, cum non ſint, diiudicarunt. Non  
æqui ponderis edicit trutina, quod apparet æquum. Ingenium  
Auctoris, vndequaquè iuſtam, Angelicæ doctrinæ obſigna-  
tam ſigillo, dico trutinam, quod accurationem miſteriorum,  
explicationem, rerumque illuſtrium inducens exiſtimationem,  
Excellentiſſimum idè pronuntio Doctorem Auctorem ipſum,  
cum in quartum Marci caput Viçtor Antiöchenus, *Excellentis*  
*Doctōris munus eſſe doceat, ne propter accuratorem miſteriorum*  
*explicationem res illuſtres in contemptum adducat.* Tandem cum  
Gilleberti verbis Sermone Vigefimoſeptimo in Cantica, teſtor  
Auctori magnam eloquentiæ laudem eſſe, *cauſam quam ſuſcepit*  
*aptè fuiſſe exequutum.* Datum Romæ in Conuentu noſtro ſan-  
ctæ Mariæ de Victoria, Die 19. Nouembris 1655.

*Ita dico, & iudico Ego Fr. Caf-  
ſianus à S. Elia Carmelita Di-  
ſcalceatus, & Theologus.*



**I**N Caelestem Aligerum Gabrielem, Dznieli emundationem  
Sanctuarii Sacramentorum nouae legis peragenda admini-  
stratione, mirabiliter pandentem, iastui lumina: dum imperio  
Reuerendissimi P. Fr. Raimundi Capisucci Ord. Praed. Sacrae  
Theologiae, & Sac. Apost. Palatii Magistri parens; Tractatus  
Theologicos de Sacramentis in Genere, & specie magno inge-  
nii acumine iuxta Doctrinam D. Thomae concinnatos ab A. R.  
P. E. Gabriele à S. Vincentio Carmelita Discalceato, in Con-  
uentu S. Pauli, ac S. Mariae de Victoria in Vrbe Theologiae, et  
Controuersiarum Professore tum voluptate animi, tum Corpo-  
ris oculis perlustrari. In nullo pedem offendi lapide; sed Ange-  
licis deportatus manibus auream Aquinatis Sapienciam Ma-  
gni Gabrielis olim deglutita salutatione conceptam; nunc à  
Doctissimo, & Religiosissimo Gabriele, suorum emulante ze-  
lum, auctam, non sine admirabili aduersus impugnatores Victo-  
ria, prospexi. Hinc in publicum exire hanc Thomisticae Sapien-  
tiae fortitudinem, huic Victori ob clara trophæa coronam dari  
arbitrio dirimo meo, è Conuentu S. Mariae super Mineruam.  
Romæ 22. Februarii 1656.

*F. Clemens Blasius Balneariensis Ord. Praed. S. T. Magi-  
ster, & eiusdem Professor in Collegio D. Th. Aquin.*

---

*Imprimatur.*

---

Si videbitur Reuerendis. P. Magistro Sacri Palatii Apostolici.

*M. A. Oddus Vicesgerens.*

*Imprimatur.*

---

Fr. Raymundus Capisuccus Sacri, & Apostolici Palatii Magi-  
ster, Ordinis Praedicatorum.

INDEX



# I N D E X

## DISPVTATIONVM,

### ET QVAESTIONVM

*Quae in hac secunda Parte continentur.*

#### TRACTATVS TERTIVS.

**D**E Sacramento Confirmationis. car. 1.

#### DISPVTATIO PRIMA.

**D**E institutione Sacramenti Confirmationis. car. 3.

#### *Quaestio Prima.*

V. Confirmatio sit propria Sacramentum, vbi etiam quando fuerit institutum, car. 4.

#### *Quaestio Secunda.*

An Confirmationis Sacramentum sit necessarium, & qua necessitate, medij, an praecipui, car. 12.

#### DISPVTATIO SECVNDA.

**D**E materia, & forma Sacramenti Confirmationis. car. 16

#### *Quaestio Prima.*

Quae sit materia remota Sacramenti Confirmationis. car. 17.

#### *Quaestio secunda.*

An sit de necessitate Sacramenti Confirmationis, quod Chrisma sit per Episcopum consecratum. car. 24.

#### *Quaestio tertia.*

Quenam sit proxima materia Sacramenti Confirmationis. c. 30

† † 2

*Quaestio*



*Quaestio Quarta.*

Quaenam sit legitima Sacramenti Confirmationis forma. c. 32.

DISPUTATIO TERTIA.

**D**E Sacramenti Confirmationis effectibus. c. 39.

*Quaestio Prima.*

V. Sacramentum Confirmationis imprimat characterem: 40.

*Quaestio Secunda.*

Num character Confirmationis supponat characterem Baptismi. car. 43.

*Quaestio Tertia*

Num Sacramentum Confirmationis maiorem conferat gratiam, quam Sacramentum Baptismi, & per consequens, an confirmatio dignitate Baptismum praecedat. 48.

DISPUTATIO QVARTA.

**D**E subiecto Confirmationis, deque illius dispositione; ubi etiam de ministro, & ritibus huius Sacramenti. c. 56.

*Quaestio prima.*

Quodnam sit subiectum cui Confirmationis Sacramentum, & valide, & licite conferri potest. c. 57.

*Quaestio Secunda.*

Quae dispositio requiratur in subiecto, Confirmationis Sacramentum recepturo. c. 60.

*Quaestio Tertia.*

Quisnam sit ordinarius Sacramenti Confirmationis minister. 62.

*Quaestio Quarta.*

An simplex Sacerdos ex dispensatione, possit esse Sacramenti Confirmationis minister. c. 65.

*Questio Quinta.*

De ritibus Sacramenti Confirmationis, ubi etiam de Patrino. 70.

TRACTATUS QVARTVS.

**D**E Venerabili Eucharistiae Sacramento. c. 80.

DISPUTATIO PRIMA.

DE ratione Sacramenti Eucharistiae. 83.

*Questio*



*Quaestio Prima.*

An Eucharistia sit Sacramentum, & an ab aliis distinctum. 84

*Quaestio Secunda.*

An Eucharistiae Sacramentum consistat in usu, an vero sit aliquid permanens. c. 89.

*Quaestio Tertia.*

In quo consistat formalissima ratio Sacramenti Eucharistiae. 95.

*Quaestio Quarta.*

An forma Eucharistiae ad essentiam eiusdem Sacramenti pertineat. c. 114

DISPUTATIO SECUNDA.

De unitate numerica, & specifica Sacramenti Eucharistiae. 123

*Quaestio Prima.*

V. species panis, & vini sint vnum Sacramentum simpliciter, unitate specifica, & atomica. c. 134

*Quaestio Secunda.*

An tota ratio specifica huius Sacramenti saluetur in vna tantum specie, ita quod altera ad integritatem solum pertineat. car. 129.

*Quaestio Tertia.*

Vnde sit desumenda huius Sacramenti unitas numerica. 141.

DISPUTATIO TERTIA.

De necessitate Sacramenti Eucharistiae, tum in re, tum in voto car. 150.

*Quaestio Prima.*

An realis Eucharistiae susceptio sit necessaria necessitate medii in re, ad salutem obtinendam. 152.

*Quaestio Secunda.*

De necessitate Sacramenti Eucharistiae in voto ad primam gratiam habendam. 158

*Quaestio*



*Quaestio Tertia.*

An Eucharistiæ Sacramentum in voto sit necessarium ad perfe-  
uerandum in gratia vsque in finem. 170

DISPUTATIO QUARTA.

De tempore institutionis Sacramenti Eucharistiæ. 180.

*Quaestio Prima.*

Qua die Christus Dominus Pascha Agni celebrauerit. 181.

*Quaestio Secunda.*

An Eucharistiæ Sacramentum fuit ante, vel post pedum lotio-  
nem à Christo Domino institutum. 185.

DISPUTATIO QUINTA.

De materia Sacramenti Eucharistiæ. 189

*Quaestio Prima.*

An panis, & vinum sint Sacramenti Eucharistiæ materia. 189.

*Quaestio Secunda.*

Qualis debeat esse panis triticeus car. 194.

*Quaestio Tertia.*

Quale debeat esse vinum consecrandum. 199

*Quaestio Quarta.*

An aqua sit vino consecrando permiscenda, & quo iure Diuino  
ne, an humano. 207

*Quaestio Quinta.*

An ad hoc ut aqua conuertatur in sanguinem, debeat prius cõ  
uerti in vinum. 213.

*Quaestio Sexta.*

An materia consecranda debeat esse præsens consecranti, & qua  
præsentia. 234.

*Quaestio Septima.*

An materia consecranda debeat esse determinata per conse-  
crantis intentionem. 239

*Quaestio*



*Quaestio Octava.*

Verum materia consecrabilis habeat terminum magnitudinis,  
& paruitatis. 243.

DISPUTATIO SEXTA.

**D**E reali praesentia Corporis, & Sanguinis Christi in Eu-  
charistia. 248.

*Quaestio Prima.*

Utrum sit de fide Corpus, & Sanguinem Christi Domini verè,  
& realiter contineri sub speciebus panis, & vini. 249.

*Quaestio Secunda,*

Utrum idem numero corpus per potentiam Dei absolutam pos-  
sit simul, & semel esse in pluribus locis ita vt in vno sit cir-  
cumscriptiuè, & in aliis modo indiuisibili car. 261.

*Quaestio Tertia.*

Quid sit praesentia Christi in Eucharistia. 268.

*Quaestio Quarta.*

An praesentia Corporis Christi Domini ad locum specierum  
sit aliquid reale positium, distinctum ab illa praesentia, qua  
Christus Dominus est praesens speciebus. 276.

*Quaestio Quinta.*

An praesentia Sacramentalis Corporis Christi Domini in Eu-  
charistia, pendeat à naturali eiusdem.

DISPUTATIO SEPTIMA.

De absentia panis, & vini, in Eucharistia. 291.

*Quaestio Prima.*

An post consecrationem maneat in Eucharistia substantia pa-  
nis, cum propria suppositalitate. 292.

*Quaestio Secunda.*

An in Eucharistia maneat substantia panis, & vini sine propria  
suppositalitate, Christo tamen Domino hypostaticè unita,  
vbi aliae difficultates breuiter resoluuntur. 296.

*Quaestio*



*Quaestio Tertia.*

An sit possibile per potentiam Dei absolutam, quod Corpus Christi Domini ponatur in hoc Sacramento, absque conuerfione substantiæ panis in ipsum. 301.

*Quaestio Quarta.*

Verum desitio substantiæ panis, & vini, in hoc Sacramento sit propriè, & formaliter annihilatio. 312.

*Quaestio Quinta.*

An substantia panis, & vini per eandem desinant actionem per quam Christi Domini Corpus, & Sanguis in hoc Sacramento ponuntur. 319.

DISPUTATIO OCTAVA.

De natura, & essentia conuerfionis in communi, & in particulari, nempe Eucharistica. 324

*Quaestio Prima.*

Quot requirantur conditiones, ad conuerfionis rationem. 325.

*Quaestio Secunda.*

An conuerfio sit vera, & realis actio. 329.

*Quaestio Tertia.*

Vtrum quodlibet possit conuerti in quodlibet. 334.

*Quaestio quarta.*

An conuerfio Eucharistica, sit vera, & propria actio. 341.

*Quaestio Quinta.*

Quisnam sit proprius, formalis, & primarius terminus conuerfionis Eucharisticae, se u transubstantiationis. 350.

DISPUTATIO NONA.

De modo quo Christus D. est in Eucharisticae Sacramento. 365.

*Quaestio Prima.*

Vtrum Corpus Christi sit in hoc Sacramento ex vi verborum. 366

*Quaestio Secunda.*

Quid ex vi verborum, sub speciebus vini ponatur. 375

*Quaestio*



*Quaestio Tertia.*

An sub speciebus panis, & vini ponantur aliquæ formæ accidē-  
tales vi verborum, an solum per concomitantiam. 380

*Quaestio quarta.*

Quænam ponantur in hoc Sacramento per cōcomitantia, 386

*Quaestio Quinta.*

An totus Christus ponatur sub indiuisibilibus specierum panis, &  
vini. 391

DISPVATIO DECIMA.

**D**E iis quæ Christo D. in Eucharistia conueniunt. 397

*Quaestio Prima.*

An Christus D. in Sacramento moueri possit localiter, & quo-  
modo. 397

*Quaestio Secunda.*

An Corpus Christi in Eucharistia possit pati ab agentibus na-  
turalibus, & agere in illa. 403

*Quaestio Tertia.*

An Christus Dominus prout in Eucharistia existens, possit vi-  
deri oculo corporeo. 409

*Quaestio quarta.*

An Christus Dominus prout in Sacramento possit à creato in-  
tellectu cognosci. 416

*Quaestio quinta.*

An quando Christus Dominus desinit esse sub Sacramento ali-  
qua fiat in iplo mutatio substantialis, 420

DISPVATIO VNDECIMA.

**D**E accidentibus in hoc Sacramento permanentibus. 424  
Quaestio



*Quaestio Prima.*

An accidentia peracta cōsecratione maneant sine subiecto 425

*Quaestio Secunda.*

An in hoc Sacramento omnia accidentia maneant sine subiecto, an sola quantitas. 432

*Quaestio Tertia.*

Per quid quantitas Eucharistica existat. 439

*Quaestio quarta.*

Quas actiones exercere valeant species consecratae. 449

*Quaestio quinta.*

Quas actiones recipere possint species consecratae. 446

*Quaestio Sexta.*

Vtrum vino consecrato, possi alius liquor permisceri. 454

DISPUTATIO DVODECIMA.

**D**E forma Sacramenti Eucharistiae. 460

*Quaestio Prima.*

Vtrum hæc sola verba Hoc est Corpus meum, sint forma panis consecrandi. 461

*Quaestio Secunda.*

Quenam sint verba essentialia consecrandi Calicis. 465

*Quaestio Tertia.*

An Sacerdos proferat verba consecrationis recitatiuè, & materialiter, an vero enunciatiue, & formaliter. 470

*Quaestio quarta.*

Quid demonstrent pronomina hoc, & hic in formis consecrationis. 474

Quaestio



*Quaestio quinta.*

Pro quo instanti consecrationis verba suam habeant veritatē.

DISPUTATIO DECIMATERTIA.

**D**E effectibus Sacramenti Eucharistiae. nu. 485  
*Quaestio Prima,*

Quo tempore, vel instanti Eucharistiae Sacramentum, suam causet gratiam 486.

*Quaestio Secunda:*

Vtrum remissio peccati venialis sit proprius Eucharistiae effectus; vbi alia curiosa resoluuntur.

*Quaestio Tertia.* 497

Quosnam alios effectus causet Eucharistiae Sacramentum 503.

DISPUTATIO DECIMA QVARTA.

**D**E sumptione Eucharistiae in communi, & praecipis annexis. 506

*Quaestio Prima.*

An solius hominis viatoris, sit hoc Sacramentum spiritualiter sumere, 507

*Quaestio Secunda.*

Quinam sint capaces Sacramentalis huius Sacramenti manducationis. 513

*Quaestio Tertia.*

An liceat frequentius communicare. 518

*Quaestio Quarta:*

Vtrum sit peccatum veniale communicare in veniali. 520

*Quaestio Quinta.*

An, & quale præceptum sit præmittendæ confessionis, ante  
Sacram communionem. 522

*Quaestio Sexta.*

Vtrum pollutio nocturna, & cibi, potusque sumptio sacram im-  
pediant communionem. 532

*Quaestio Septima.*

Assignantur casus in quibus licitum est non ieiunus communi-  
care. 537

*Quaestio Octava.*

An sit præceptum Diuinum communicandi, & quos, & quan-  
do obliget. 540

*Quaestio Nona.*

De præcepto Ecclesiastico annuæ communionis. 547

DISPV TATIO DECIMAQVINTA.

**D**E Ministro Sacramenti Eucharistiæ. 550

*Quaestio Prima.*

Quis sit proprius huius Sacramenti conficiendi minister;  
quisque dispensandi. 551

*Quaestio Secunda.*

An omnes Sacerdotes sint ministri ordinarii Eucharistiæ distri-  
buendæ.

TRACTATVS QVINTVS.

De sacrosancto Missæ sacrificio. 560



DISPVATIO PRIMA;

**D**E natura, & essentia sacrificii Missæ. 561

*Quæstio Prima.*

Quid sit Sacrificium in communi. 562

*Quæstio Secunda.*

An Christus Dominus in vltima cœna verum fecerit sacrificium. 569

*Quæstio Tertia.*

An Ecclesiæ Sacerdotes dum Missam celebrant verum offerant sacrificium. 573

*Quæstio Quarta.*

in quonam essentia sacrificii Missæ consistat. 578

*Quæstio Quinta.*

Expediuntur aliquæ difficultates ad perfectam sacrificii Missæ intelligentiam necessariae. 589

*Quæstio Sexta.*

Vtrum vtriusque speciei oblatio sit de essentia sacrificii Missæ; vbi aliæ difficultates curiosæ enodantur. 597.

DISPVATIO SECVNDA.

**D**E effectibus sacrificii Missæ deque eius valore. 601

*Quæstio Prima.*

An Missæ sacrificium aliquos habeat effectus ex opere operato. 602.

Quæstio

*Quaestio Secunda.*

Quosnam effectus Missæ sacrificiū causet ex opere operato 605

*Quaestio Tertia.*

Quosnam effectus causet hoc sacrificiū ex opere operantis 612

*Quaestio Quarta.*

De iis quibus sacrificii effectus, seu fructus applicari potest 617

*Quaestio Quinta.*

Qualis in Sacerdote applicatio requiratur. 623

*Quaestio sexta.*

An Missæ sacrificium, valorem habeat infinitum 628

*Quaestio septima.*

An Missæ sacrificium pro pluribus oblatum, tantum profit singulis, quantum si pro vno solo offeretur. 633

DISPVATIO TERTIA.

**D**E circumstantiis sacrificii Missæ, & aliis adiunctis 641

*Quaestio Prima.*

De Sacerdotis obligationibus circa Missæ sacrificium. ibidem.

*Quaestio Secunda.*

De circumstantia temporis quoad Missæ ex celebrationem. 645

*Quaestio Tertia.*

De circumstantia loci ad Missæ sacrificium peragendum. 647

*Quaestio Quarta.*

De loco in quo immediate sacrificium peragitur nempe de Altari, & aliis ad celebrandum necessariis; vbi etiam an in mari, & fluminibus possit aliquando celebrari. 653

*Quaestio Quinta.*

Aliqua notabilia recensentur de Oratoriis priuatis. 656

De



*Quaestio Sexta.*

De iusto Missæ stipendio, & aliis de stipendio notabilibus. 660

*Quaestio Septima.*

Aliquot difficultates de stipendio resoluuntur, & alia annexæ. 665

*Quaestio Octava:*

De præcepto audiendi Missam, ubi plures, & curiosæ resoluuntur difficultates. 673

*Quaestio Nona.*

Resoluuntur aliquæ difficultates de præsentia intentione; attentione requisita ad Missæ auditionem: 678

FINIS

TRACTATUS







TRACTATUS  
TERTIVS  
DE  
SACRAMENTO  
CONFIRMATIONIS.



SACRAMEN-  
TVM Con-  
firmationis va-  
rijs nomi-  
bus à Patri-  
bus, & Docto-  
ribus nominatur, primo nam-  
que dicitur *manuum impositio*  
à cœremonia illa qua Apostoli

Ag. 8. & 19. hoc Sacramen-  
tum conferebant, imponendo  
videlicet manus super illos  
quos confirmabant; sic voca-  
tur hoc Sacramentum à D.  
Augustino lib. 3. de Baptismo  
contra Donatistas cap. 16. ap-  
pellatur secundo *Chrisma*, re-  
tento nomine materiæ remo-



tæ huius Sacramenti, quæ est  
 chrisma, vt postea dicitur.  
 Hoc nomine insignitur hoc  
 Sacramentum à D. Cypriano  
 Epist. 12. Tertio vocatur. Sa-  
 cramentum consignationis, si-  
 gnaculum Dominicum & signum  
 Christi, ab huius Sacramenti  
 forma: quoniam huius Sacra-  
 menti forma applicatur, faci-  
 endo in fronte confirmati  
 Crucis signum, quo signo con-  
 signatur. Quarto appellatur  
 hoc Sacramentum *Confirma-  
 tio*, ab huius Sacramenti effe-  
 ctu, quoniam confirmatis gra-  
 tia confertur, per quam fide-  
 les confirmantur, roborantur,  
 & stabiliuntur in fide, & vt  
 tentationes vincant contra  
 illam, & vt illam forti, gene-  
 rosoque animo protestentur,  
 si opus sit, coram tyranno; an  
 autem hæc gratia solum ad-  
 dat supra gratiam habitua-  
 lem auxilia quædam, vel extrin-  
 secum ius ad illa, vel certè ali-  
 quam formalitatem, vel mo-  
 dum, in quo tale ius fundatur

*ut hoc sacramentum à D.  
 Augustino lib. de baptis-  
 mo contra Donatistas cap. 10. 22.  
 beatus Thomas 2. 2. q. 84. art. 1.  
 et hoc nomine expressè memo-*

de Sacramentis in Genere  
 docuimus.

Agimus autem cum D. Tho-  
 ma post baptismum de Sacra-  
 mento Confirmationis, quia  
 hoc Sacramentum, est gene-  
 ratione, ordine, & vsu secun-  
 dum, quia sicut gratia non  
 destruit naturam, sed perficit;  
 sic ratio, & Sacramentorum  
 ordo, modum, & ordinem vi-  
 talium functionum, quem  
 statuit natura, immitatur, & per-  
 ficit; cum ergo Sacramentum  
 Baptismi sit spiritualis quæ-  
 dam generatio, & Confirma-  
 tio sit quædam spiritualis ac-  
 cretio, ordo postulat, vt post  
 baptismum, de Confirratio-  
 ne agamus. Vnde Angelicus  
 Doctor supra quæst. 65. arr.  
 2. hanc eandem huius ordi-  
 nis reddit rationem dicens:  
*Baptismus qui est spiritualis re-  
 generatio est prius, & deinde  
 confirmatio, quæ ordinatur ad  
 formalem perfectionem virtutis  
 vt ergo recto ordine proceda-  
 mus sit.*



*id est non inuenitur ratio non  
 que dicitur natura & ratio  
 in hoc q. 84. art. 1. sup. q. 84. art. 1.*

DISPUTATIO



3

# DISPVATIO

## P R I M A

### DE INSTITVTIONE

# SACRAMENTI

## CONFIRMATIONIS

**C**onueniens valde fuit quod ultra baptismum, Confirmatio institueretur, quia vt docet Melchiades Papa in cap. *Spiritus Sanctus*; conueniens fuit quod *Spiritus Sanctus plenitudinem tribueret aquis ad innocentiam, & in Confirmatione augmentum prestaret ad gratiam, & quia in hoc mundo inter inuisibiles hostes, & pericula gradiendum est, in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum roboramur ad pugnam, in baptismo abluimur post baptismum roboramur, & licet continuo transituris suffi-*

*cient regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt Confirmationis auxilia. Igitur cum in hac vita pugnandum sit, vt docet Apostolus 2. Tim 4. congruum fuit, vt post baptismum, daretur nobis Spiritus Sanctus in Confirmatione qui addiuet in firmitatem nostram, cum in baptismo non ad fidem ociosam, sed ad pugnam vocati sumus, qui si nobis non adesset, turpiter ex acie fugere oporteret: Et quia nostri temporis hæretici ferè omnes Confirmationem de Sacramentorum numero delent, ideo disputationem presentem.*



sentem instituimus, vt videamus an Confirmatio sit Sacramentum; à quo sit eius insti-

tutio, & an sit Sacramentum necessitatis; sit ergò.

## QVAESTIO I.

*Virum Confirmatio sit propria Sacramentum, ubi etiam quando fuerit institutum.*

**P**Rimi qui docuerunt Confirmationem non esse Sacramentum fuerunt Vualdenses, vt testatur Aeneas Sylvius, qui postea Pontifex effectus, Pius II. dictus est, in libro de origine Bohemorum capit. 35. Post Vualdenses sequutus est Ioannes Vuicleph, qui licet absolutè Confirmationem nō negauerit, dixit tamen eam posse à quocunq; præsbytero conferri, & quod sola lucri cupiditate Episcopis eius collatio sit reseruata, vt notauit N. Thomas Vualdesis, qui Vuiclephi errores fuit diligentissimè persecutus: Martinus Lutherus dogmata sua à putridis lacubus; & infectis (vt solet) exhauriens, Vualden-

sibus consentit dicens, Confirmationem, neque esse Sacramentum, neque gratiam conferre, sed esse meram caeremoniam, & ritum quendam: quem errorem sequutus tum omnes Lutherani, tum Calvinistæ, Quorum potissima fundamenta postea referemus.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Confirmatio est verum, & proprium nouæ legis Sacramentum: Hæc conclusio est de fide, & communis consensus catholicorum.

Probatum primo: Nam actorum 8. legimus, quod cū Apostoli, qui erant Hierosolymis audiissent quia Samaria recepit verbum Dei per præ-



Prædicationem Philippi diaconi: *Miserunt ad eos Petrum & Ioannem; qui cum venissent orauerunt pro ipsis vt acciperent Spiritum Sanctum, nondum enim in quenquam illorū venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Vbi vt vides ad impositionem manuum Apostolicarum Spiritus Sanctus super baptizatos descendit: Atqui hoc non poterat non esse Sacramentum; ergo &c. Minor probatur, quia hic est signum sensibile, producens, seu conferens, & signans, Spiritus Sancti gratiam, sed ad rationem Sacramenti nil aliud requiritur, vt disputatione prima de Sacramentis in Genere probauimus; ergo &c.

Probatur secundo ex illo Io. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis: quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec fit eum vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit; vbi vt vides Diuina*

continetur promissio de dando Spiritu Sancto Apostolis, & medijs Apostolis nobis; ergo, oportuit quod relinqueretur Ecclesiæ aliquis ritus, ac modus quo donum hoc, & huius promissionis effectus ad omnes, & singulos fideles ordinaria quadam, & certa lege descenderet, & per consequens quod esset Sacramentum, per quod nobis constaret de tali promissione impleta; quomodo namque possunt fideles esse certi de illa Spiritus Sancti assistentia, & perseverantia vsque ad finem sæculi, si nulum signum sensibile haberent de hoc ipso? sicuti quomodo essemus certi de illa permanentia Corporis Christi in Ecclesia vsque ad finem mundi, si non haberemus signum sensibile, nempe Sacramentum Eucharistiæ, in quo certificamur de tali Corporis Christi præsentia, & perseverantia vsque ad finem sæculi?

Confirmari potest hoc argumentum ex ijs quæ dicuntur cap. 15. eiusdem Euangelij Sancti Io. præmittitur namque ibi Spiritus Sanctus, qui faciat discipulos fortes, atque

intre-



ntrepidus, in testificatione  
veritatis, & cap. 16. dicitur,  
quod dabitur Spiritus San-  
ctus, vt arguat mundum de  
peccato, de iustitia, & de iu-  
dicio; idest qui daret robur  
Apostolis, & successoribus ad  
arguendam hominum infide-  
liratem, & ad testificandam  
Christi Domini iustitiam, ad  
annauciandum, principem  
huius mundi iam esse iudica-  
tum. Item Luc. vltimo dicitur:  
*Sedete in Ciuitate, donec  
induamini virtute ex alto, &  
Act. 1. Accipietis virtutem su-  
peruenientis Spiritus Sancti in  
vobis, & eritis mihi testes, &c*  
Cum ergo medium, quo Spi-  
ritus Sanctus dabatur, esset  
sensibile, nempe manuum  
impositio, clare sequitur esse  
Sacramentum.

Probatur tertio ex Conci-  
liorum definitionibus. Primo  
namque fuit hæc veritas defi-  
nita in Conc. Meldensi, & Au-  
relianensi; in Concilio Niceno  
inst. 77. in Concilio Laodi-  
ensi sub Damaso primo can.  
48. in Concilio Carthag. 11.  
can. 3. Carthag. 111. can. 36.  
Florentino in Decreto Euge-  
nii, & tandem in Tridentino

sess. 7. de Sacramentis in Ge-  
nere can. 1. Et de Sacramen-  
to Confirmationis can. 1. vbi  
dicitur: *Si quis dixerit, Con-  
firmationem baptizatorum otio-  
sam ceremoniam esse, & non  
potius verum, & proprium Sa-  
cramentum, aut olim nihil ali-  
ud fuisse, quam catechesim quã-  
dam, qua adolescentiã proximẽ  
fidei sua rationem, coram Ec-  
clesia exponebant; anathema  
sit.*

Probatur quarto commu-  
ni Sanctorum Patrum consen-  
su; nam Sacramentum Con-  
firmationis adstruit D. Dio-  
nysius Areopagita de Eccle-  
siastica Hierarchia cap. 2. par.  
2. & par. 3. & cap. 4. par. 3.  
Sanctus Clemens Alex. refert  
historiam teste Eusebio lib. 3.  
hist. cap. 17. cuiusdam iuue-  
nis commendati curæ cuius-  
dam Episcopi, qui eum con-  
firmaret. Sanctus Iustinus Mar-  
tyr quæst. 137. orthodoxo-  
rum. Hieronymus, Augusti-  
nus, & alii plures qui possunt  
videri apud Belarminum de  
Sacramento Confirmationis  
cap. 5. placet solum referre  
verba N. Sancti Cyrilli Hie-  
rosolimitani catechesi 3. vbi  
habet:



habet: *Quemadmodum panis Eucharistiæ post Sancti Spiritus inuocationem non amplius est panis communis, sed est Corpus Christi: sic & sacrum hoc unguentum, non amplius est unguentum nudum, postquam iam consecratum est, sed est Chrisma, Chrisma Christi, quod aduentu Spiritus Sancti per ipsius diuinitatem energiam habet, quo frons, & alij sensus tui symbolicè iniunguntur, & corpus quidem, istotivibili unguento perungitur, anima vero Sancto, ac diuifico Spiritu sanctificatur. Vbi ut vides vult Sanctus Pater, chrisma, habere vim sanctificandi, & per consequens esse verum gratiæ instrumentum, quod est esse Sacramentum.*

Probatur quinto ratione elegantissima D. Thomæ in articulo 1. huius quæstionis 72. quoniam sicut post actionem, qua homo corporaliter generatur, actio datur, & exercetur, qua crescit, qua roboratur, & qua ad adultam, perfectamque ætatem perueniat; ita pariformiter post baptismi Sacramentum, quo homo spiritualiter genera-

tur, & fit christianus, conueniens est alterum dari Sacramentum, quo in fide proficiat christiana, quo perficiatur, quoque ad eam retinendam, conseruandamque, & profutendam, etiam morte proposita, robur, & constantiam accipiat.

Confirmatur hæc ratio elegantissima congruentia Melchiodis Papæ epist. ad Episcopos Hispaniæ his verbis. *Sicut exigit militaris ordo, ut cum Imperator, quemcumque in militum receperit numerum, non solum signat receptum, sed etiam armis competentibus instruat pugnaturus, ita in baptizato, benedictio illa munitio est. dedisti militem. da ei adiumentum militia. Nunquid prodest, si quisquam parentum pupillo conserat facultatem, nisi providere studeat, & tutorem? Itaque paraclitus regeneratis in Christo, iustus, & consolator, & tutor est. Ergo Spiritus Sanctus qui super aquas baptismi salutifero descendit illapsu in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam.*

Adde



Adde fuisse valde conueniens, quod post baptismum, Confirmationis Sacramentū daretur, vt in ipsa Sacramentorum diuersitate effectuum, etiam gratiæ, & beneficiorum Dei varietas dignosceretur, præternāq; gratiā regenerationis, datur ipsis regeneratis alia Spiritus S. gratia, tribuens illis speciale regimē, specialemque protectionem. deinde conueniens fuit huius Sacramenti institutio, vt homines, & spiritualis militiæ difficultatem, & proprię nature agnoscerent imbecillitatem; post copiosam namque baptismi gratiā speciali indigent robore, specialique Spiritus Sancti protectione, vt Christo possint conuenienter militare. Ultimo vt Sacramentorum admirabili varietate excitarentur homines ad maiorem Dei cultū; & vt fidei professio in baptismo facta, rata fieret Confirmatione: soluuntur hæreticorum argumentu.

Primum argumentum est. Nouæ legis Sacramenta sunt à Christo Domino immediate instituta, sed Confirmatio non fuit à Christo Domini in-

stituta; ergo non est nouæ legis Sacramentum. Maior est certa, vt supra de Sacramentis in genere probauimus. Minor probatur; quia vt magister docet sententiarum lib. 4. dist. 23. Hugo Victorinus p. 5. cap. 2. Alensis 4. part. quæst. 24. num. 1. D. Bonau. dist. 7. art. 1. & alii, non à Christo Domino, sed in Concilio Meldensi fuit Confirmatio instituta.

Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem, ad probationem, vt respondeamus inuestigandum, est tempus huius Sacramenti institutionis, & dico tria. Primum, si loquamur de actuali huius Sacramenti collatione, nemini fuit collatum, ante visibilem Spiritus Sancti aduentum in die Pentecosten, vt enim loquitur D. Thomas hic art. 2. ad primum, Christus Dominus nulli immediate per se ipsum Confirmationis Sacramentum contulit, *sed ex potestate Excolleutiæ, quæ habet in Sacramentis contulit Apostolis rem huius Sacramenti, sine Sacramento, & quod primitias Spiritus Sancti acceperunt:*



runt. Vnde Melchiades Papa epistola citata dicit: *Quod in confirmandis Noophytis, manus impostis tribuit singulis, hoc tunc Spiritus Sancti descensio in credentium populos donauit uniuersis.* Neque etiam ipsi Apostoli ante id tempus Confirmationis Sacramentum contulere, quia in congruum est quod ipsi Spiritum Sanctum aliis conferrent, quem adhuc ipsi non receperant, cum nondum visibiliter descenderit.

Dico secundo. Potestas conferendi Sacramentum Confirmationis non fuit Apostolis collata nisi post Christi Domini resurrectionem; cuius dicti ratio est, quia potestas hoc Sacramentum conferendi ex Christi Domini institutione, ut postea dicemus, Episcoporum propria est; Atqui Apostoli non nisi post Christi Domini resurrectionem fuerunt à Christo Domino creati Episcopi; ergo ante id tempus non fuit talis collata potestas. Episcopatus enim Sacerdotium essentialiter praesupponit, in Sacerdotio autem duo requiruntur ut sit integrum, perfe-

ctumque, nempe potestas consecrandi Corpus Christi, & sanguinem, & potestas remittendi peccata hominum baptizatorum. Priorem receperunt Apostoli in vltima caena, cum dixit Christus Dominus: *hoc facite in meam commemorationem.* Posteriores vero potestatem non acceperunt nisi dum Christus Dominus à mortuis rediuitus eisdem dixit Apostolis Io: 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.*

Dico Tertio Confirmationis Sacramentum fuisse à Christo Domino in vltima caena institutum. Quod docuit Fabrianus Papa Epistola secunda versus principium his verbis: *In illa enim die Dominus Iesus, postquam cenauit cum discipulis suis, & lauit pedes eorum (sicut à sanctis Apostolis praedecessores nostri acceperunt, vobisque reliquerunt) Christum conficere docuit.* Cum ergo Christum sit huius Sacramenti materia, & haec fuerit designata, & instituta in caena sequitur quod & ipsum Sacramentum.

B mentum.



mentum tunc temporis fuerit institutum; tunc namque Sacramenta instituuntur cum eorum materiae designantur. Et per hæc patet ad illud argumentum.

Vnde etiam si ante Tridentinum non fuerit illorum antiquorum sententia aliqua censura digna, tamen modo ut notat hic Nugnus difficultate 2. conclusione 3. temeritate non caret, vnde non est de illis antiquis Scriptoribus, & Doctoribus curandum, præsertim cum non asseueranter locuti fuerint, sed vel cum aliqua hæsitatione, vel potius gratia disputandi.

Secundum argumentum est, quoniam de ratione Sacramenti nouæ legis est quod habeat fixam, & determinatam materiam, sed Sacramentum Confirmationis non est huiusmodi; ergo non est Sacramentum. Maior est certa ex dictis de Sacramentis in Genere. Minor probatur; nã diuersa erat materia Confirmationis Apostolorum tempore, ac modo sit; tunc enim temporis Confirmationis materia erat manuum impositio

modo est frontis vnctio, sacro facta chrismate; ita quod modo materia remota sit oleum balsamo mixtum, proxima vero sit vnctio in fronte per modum Crucis facta.

Confirmatur hoc argumentum, quia nouæ legis Sacramenta non solum materia constant determinata, verum etiam forma. Sed Confirmatio Apostolorum tempore nullam habebat formam; ut enim patet ex illo Act. 8. vbi Apostoli dicuntur confirmare, nulla forma reperitur, nec vllus assignari potest Sacrae Scripturæ locus, vbi confirmationis formæ, vel leuiter mentio fiat.

Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem, ad probationem dicitur, quod eadem materia tum remota tum proxima, quæ erat Apostolorum tempore, etiam est modo, ut prius cum Fabiano Papa aduertimus, quod nimirum in vltima cæna Christus Dominus suos docuit Apostolos chrisma conficere, & ita loquuntur sancti Patres præsertim antiquissimi supra relati. Vnde patet quam insolent-



soleter loquatur Danæus hæreticus ad cap. 6. contro. Belarmini de Confirmatione dum dicit. Patres qui post Melchhiadem Summum Pontificem vixerunt (vixit autem Pontifex iste circa Annum Christi 311.) dum de laudibus christiatis loquuntur, fuisse veneno infascinos. & Hieronym. Dialogo contra Lucifer. corruptisec locum Act. cap. 8. S. Ambrosium lib. 3. de Sacramentis cap. 2. & lib. de initiandis cap. 7. afferentem gratiam Spiritus Sancti dari per Confirmationem, nimium fauisse Romanis Episcopis, & quod ita scripserit dandum esse suo errori, seu favori in Romanum Pontificem, non veritati: Sanctum Augustinum agnoscentem Confirmationem à chrismate pro Sacramento, sui seculi errore, seu naufragio fuisse absorptum: ceteros posteriores, corruptam Ecclesie Doctrinam, Confirmationem communi errore in Sacramentum recepisse.

Sed graviter erravit qui talia in Sanctos Patres excogitavit, & mente vesana non recta sentit. Unde ut directè ad argumentum satisfaciamus, dicendum quod licet de Apostolis dicatur contulisse Sacramentum Confirmationis per manuum impositionem, non propterea negatur quod chrismate non fuerint usi consignando illos qui confirmabantur, tum quia & ipsa unctio Episcopali manu facta in fronte, est quædam manus impositio, qua Confirmatio & tunc, & nunc temporis perficitur.

Ad Confirmationem dico, quod licet non fiat mentio in Scriptura de forma Sacramenti Confirmationis, habetur tamen ex communi Ecclesie traditione. Hinc sanctus Augustinus serm. de diuersis quæstionibus cap. 2. dicit: S. Stephanum habuisse in fronte sua nomen Patris & Filij, & Spiritus Sancti &c.



## QVAESTIO II.

*An Confirmationis Sacramentum sit necessarium, & qua necessitas medij, an precepti.*

**A** Nequam ad ea in quibus aliqua inter scribentes est quaestio descendamus, prius ea in quibus nulla est difficultas sunt supponenda.

Supponimus primo Confirmationis sacramentum necessarium esse necessitate conditionata, seu ex suppositione quod quis huius sacramenti effectum acquire velit, ut enim docet Doctor Angelicus art. 6. huius quaestionis, in solutione primi, huius sacramenti effectus haberi non potest, sine hoc sacramento, nullum enim aliud sacramentum confert gratiam cum illo speciali iure ad auxilia in fide corroborantia, confortantia, tum ad resistendum temptationibus contra fidem, tum ad ipsam fidem coram Tyranno gene-

rosè profitendam; & licet possit quis, & tentationes fidei superare, & fidem coram tyranno profiteri sine gratia confirmationis, non tamen hoc habebit ex speciali deputazione, consecratione, & veluti ex officio, ut supra de sacramentis in Genere aduertimus.

Supponimus secundo hoc Sacramentum esse in precepto respectu totius corporis Ecclesiae, in quantum quod semper aliqui in Ecclesia esse debeant Confirmationis Sacramento insigniti. Quod patet quia sicut in mundana republica rectè instituta, non solum debent esse, qui seruiant, verum etiam qui ministrent, & munia communia exequantur; sed etiam debent esse milites



lites pro Principis custodia, arcis, &c. ergo etiam in hac magna domo Ecclesiæ, non solum debent esse fideles, qui sint magni Patris familias serui, & officiales, seu ministri publici, verum etiam debent esse milites qui custodiant Ecclesiæ arcem, iuxta illud Cantitorum 3. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi.* & cap. 6. de eadem Ecclesia dicitur: *terribilis ut castrorum acies ordinata.* & *mille chypei pendentes eorum omnis armatura fortium.* Propter hoc in Concilio Tridentino sess. 23. cap. 4. tonsura initiari prohibentur, qui Confirmationem non receperunt.

Supponimus Tertio, quod si alicubi persecutio vigeret, & fideles de facili possent hoc Sacramentum suscipere, ad illud suscipiendum obligarentur. Similiter obligaretur ille qui graues contra fidem patretur tentationes, & existimaret nullum aliud subesse remedium quam hoc Sacramentum; ratio primi, quia sicuti in republica, belli tempore, omnes

tenentur pro sua parte illam defendere, & arma ad hunc finem habere; ita pariformiter tenentur fideles hoc scutum fidei habere tempore spiritualis belli, seu tempore persecutionis, quod si non faciant, cum saltem comodè possint, videntur, & hoc sacramentum contemnere, & quantum est de se Ecclesiam periclitari, non defendendo, & se ipsos periculo subuersionis exponendo.

Supponimus ultimo quod ubi nulla viget fidei persecutio, nec publicus Dei cultus impeditur tunc non tenentur Confirmationis sacramentum recipere, tenentur tamen, non contemnere. Prima pars patebit ex nostra conclusione mox subiicienda. Secunda, vero patet ex veteri Ordine Romano, & ex multis Synodis, ut Mediolanensi Anno 1577. Parisiensi Anno 1557. & alii pluribus his positis quaeritur; an Sacramentum Confirmationis sit necessarium necessitate mediæ vel præcepti.

Prima est aliquorum antiquorum scholasticorum sententia, Confirmationis sacramentum



mentum necessarium esse necessitate Medii, & præcepti videatur Ricardus 4. distinct. 7. quæst. 5. ar. 1. Durandus eadē dist. quæst. 1.

Secunda sententia est, esse necessarium necessitate præcepti Ecclesiastici, non diuini, nec medii. Quam sententiam sequuntur doctor subtilis 4. dist. 7. quæst. 2. Bonau. ar. 3. quæst. 2. Siluester v. *Confirmatio*, num. 3. Petrus Sotus lectione secunda de Confirmatione, & alii.

Nostri sententia sequenti explicatur conclusione, Sacramentum Confirmationis non est necessarium, nec necessitate medii, nec præcepti nec diuini, nec humani. Primam partem quod non sit necessitate medii expressè docet d. Thomas ar. 1. ad 3. his verbis: *Omnia Sacramenta sunt necessaria ad salutem, sed quaedam sunt, sine quibus non est salus; quaedam vero sunt que cooperantur ad perfectionem salutis. & hoc modo Confirmatio est de necessitate salutis, quamuis sine ea possit esse salus, dum tamen non prætermitatur ex contemptu Sacramenti.* Hæc

D. Thomas quem sequuntur omnes Theologi. ex quo colligitur quod neque sit necessarium necessitate præcepti diuini, cum nullibi tale præceptum reperiatur, & patebit ex probatione secundæ partis conclusionis, quod nimirum non sit illud Sacramentum necessarium necessitate præcepti humani. quia hoc nullibi reperitur, & etiam quia communis totius Ecclesiæ vsus est in contrarium; nam communiter fideles non inducuntur ad hoc sacramentum suscipiendum, sed omnes sua libertate reliquuntur, vnde si quis oblata oportunitate, hoc Sacramentum non suscipiat non ex contemptu, sed vel ex negligentia, vel tædio, nullo modo peccat.

Obseruat etiam Hurtado hic difficultate 11. in fine, non esse præceptum aliquod Sacramentum Confirmationis suscipiendi ante ordines, quia quamuis in Tridentino sess. 27. capit. 4. de Confirmatione dicatur, *prima tonsura non imitentur, qui Confirmationem non susceperint;* non tamen aliqua popitur obligatio



bligatio, nec aliquod ponitur  
præceptum suscipiendi Con-  
firmationem ante ordines, sed  
tantum datur, consilium, di-  
rectio, & admonitio, & sic ne-  
que ipse Episcopus peccat or-

dines conferendo non confir-  
matis, sed de hoc solum ha-  
bet consilium, directionem,  
admonitionem, quod etiam  
alij aduertunt.



## DISPUTATIO

## SECUNDA

DE MATERIA, ET FORMA

## SACRAMENTI

## CONFIRMATIONIS;

**N**ON possumus melius Confirmationis naturam cognoscere quam per partes essentielles illius, quæ sunt physicae, & metaphysicae, & quia metaphysicae partes à physicis desumuntur, illis explicatis, & hæc explicatae manebunt, partes ergò physicae sunt materia, & forma, prius de materia deinde de forma agemus Confirmationis; & quia materia alia est remota, & proxima alia, de utraque agendum est. sit ergò.





## QVAESTIO I.

*Quæ sit materia remota Sacramenti Confirmattonis.*

**R**elicta eorum sententia qui dixerunt Confirmationem nullam aliam habere materiam sensibilem præter manuum impositionem, cum ut vidimus quæstione prima præcedentis disputationis etiam Apostoli chrismate vterentur in huius Sacramenti collatione sic à Christo Domino edocti in vltima cæna, quando hoc Sacramentum instituit; Conueniunt Catholici omnes chrisma esse materiam remotam Sacramenti Confirmationis, ut definit Concilium Florentinum in decreto Eugenij de hoc Sacramento differens, & licet nostri temporis hæretici hoc reiciant, imò derideant, vocantes per contumeliam hoc Sacramentum pinguedinem; imò Kemnitius non putat impiū, qui calceos in itinere torrefactos chrismate isto inungit; & re ipsa Calvinistæ in Gallia

dicuntur ocreas suas chrismate inunxisse, ut testatur Belarminus cap. 8. de sacramento Confirmationis; quod quam impiū sit patet ex dictis quæstione prima præcedentis disput. quod illo vterentur Apostoli, & ex dicendis in hac eadem quæstione.

Sed quia hoc nomen chrisma potest significare quodcunque vnguentum, inde disputatur à Theologis. quale vnguentum sit hoc chrisma.

Prima sententia est, quod per chrisma, quod est essentialis Sacramenti Confirmationis materia, sit oleum oliuarum balsamo mixtū, ita quod nec solum oleum, nec solum balsamum sit huius Sacramenti sufficiens materia, sed quid ex utroque confectum, quod communi nomine chrisma vocatur. Hanc sententiam sequitur D. Bonau. 4. dist. 7. ar. 1. quæst. 2. Suarez disput. 33.



sect. 1. Coninchus hic art. 3. dub. 1. & alij plures.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Oleum solum oliuarum est materia essentialiter requisita, & sufficiens ad valorem sacramenti Confirmationis; mixtio vero olei cum balsamo solum est de necessitate præcepti Ecclesiastici. Hæc conclusio est plana Angelici præceptoris sententia in 2. art. huius quæstionis 72. ubi in corpore articuli habet: *Chrisma est conueniens materia huius Sacramenti; sicut enim dictum est, in hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti ad robur spirituale quod competit perfectæ ætati. Homo autem cum ad perfectam ætatem peruenerit incipit iam communicare actiones suas ad alios, antea uero quasi singula uiuere sibi ipsi uiuit. Gratia uero Spiritus sancti in oleo designatur, unde Christus dicitur esse unctus oleo lætitia, propter plenitudinem Spiritus Sancti quam habuit, & ideo oleum competit materia huius Sacramenti. Administratur autem balsamum propter fragrantiam odoris, qua re-*

*dundat ad alios, unde Apost. dicit 2. Cor. 2. Christi bonus odor sumus Deo &c. & licet multa alia sint odorifera, tamen præcipue accipit balsamum propter hoc quod habet præcipuum odorem, & quia etiam incorruptionem præstat, unde Eccles. 24. dicitur, Quasi balsamum non mixtum odor meus Hæc Angelicus Magister. Vbi ut uides solum oleum assignat Confirmationis materiam, balsamum uero ratione odoris. Sed ut dicta magis confirmetur placet post D. Thomam, alterius Thomæ, nempe de Vio Caietani, uerba referre. Sic enim loquitur in expositione illius articuli post alia: *Vnde intelligimus mixtum ex oleo, & balsamo (quod Chrisma consueuimus vocare) esse regularem materiam Confirmationis de necessitate præcepti, & non necessitate Sacramenti. Et uidetur hoc ab Ecclesia præcedenti tempore institutum, in primitiua siquidem Ecclesia non uidetur multum credibile pauperimos Episcopos habuisse balsamum, quo forte etiam hodie multi carent. Accedit adhuc quod Chriasmatis no-**



men quod secundum dionysium Apostoli inposuerunt huic Sacramento, non significat balsamum, sed unctiorem, cui oleum sufficit. Hæc Caietanus, cuius ultima verba valde sunt notanda, ut solvantur præcipua partis oppositæ argumenta, quod nimirum huius Sacramenti materia Chrisma à Conciliis, & Patribus vocari consueverit, nomē namque Chri-smatis oleum solum venire potest. Hanc D. Thomæ, & Caietani sententiam sequuntur Dominicus Sotus in 4. dist. 7. quæstione vnica art. 2. Zarardus Victoria, Vivaldus, Valentia hic, quos refert, & sequitur Augustinus Barbosa in collec. tom. 1. lib. 1. tit. 16. cap. 1. num. 1. Vnde optime dicit Ioannes de la Cruz. in directorio conscientia par. 12. de Sacramento Confir. quæst. 62. dub. 2. conclus. 1. Quod si hoc Sacramentum ministraretur cum oleo simplici non esset iterandum absolute, sed sub conditione, adhibita materia indubitata.

Probatur primo conclusio ratione desumpta ex quadam decisione Innocentii III. in

cap. pastoralis, de sacramentis non iterandis, vbi de duabus difficultatibus fuit consultus. Prima, an diaconus sine manus impositione ordinatus deberet permitti ministrare. Secunda, an sacramentum Confirmationis sit iterandum in eo, qui per errorem non fuit Chri-smate delibutus sed tantum oleo. Respondet non esse in talibus aliquid iterandum sed caute supplendum quod in caute fuerat prætermissum. Ex quibus sic arguo, si Chrisma ex oleo, & balsamo confectum esset necessaria Sacramenti Confirmationis materia, non decreuisset Pontifex solum debere suppleri quod fuerat prætermissum, sed absolute decreuisset Sacramentum esse iterandum cum ex defectu materiae necessariae nullum esset, ergo &c.

Respondet ad hoc argumentum Patet Suarez hic disputatione 33. sect. 1. eo casu imprimis Sacramentum sub conditione saltem iterandum esse cum etiam data probabilitate nostræ sententiæ, Sacramentum incertum sit, & etiam sit valde probabile esse nullum.



nec potuit hac negare Pontifex cum statuit esse supplendū quod incautē omissum fuerat, deinde cum vult Pontifex vntionem ex balsamo oblitam supplendam esse, intelligi non potest quod suppleatur cum solo balsamo sine oleo, quia cum debeat suppleri cum balsamo benedicto, & hoc non benedicatur per se, intelligi debet simul cum oleo, & cum hoc non fiat sine forma, etiam illa tunc temporis adhibenda est, & per consequens, vult Pontifex quod iterum Sacramentum repetatur, & sic per Suarez idem est Pontificem dicere suppleatur quod omissum est, ac dicere Sacramentum repetatur, cum enim id quod repeti debet sit essentiale, idem est dicere repetatur illud essentiale, ac dicere totum Sacramentum repetatur.

Sed hæc solutio non placet; nam quod dicit Suarez Sacramentum eo casu repetendum esse sub conditione, etiam nos admittimus; neque ad hoc quicquam respondit Pontifex cum de hoc non interrogaretur; & quia forte tunc tempo-

ris erat adeo certum sacramentum Confirmationis esse validum, cum solo oleo oliuarū, quod neque sub conditione repetebatur, si balsamum relictum fuisset, sed solum dubitabatur an illud accidentarium deberet suppleri, pro quo fuit consultus Pontifex, quod notauit Barbosa in collectaneo illius cap. *Pastoralis*, dicens: *Notatur ad hoc quod oleum oliuarum est essentiale Sacramenti Confirmationis, balsamum vero accidentarium, &c.* Similiter non placet quod dicit ille Pater, quod cum Pontifex dicit supplendam esse vntionem ex balsamo, debeat intelligi cum oleo, quia balsamum, non nisi cum oleo benedicatur: Nam cum Pontifex velit solum oleum esse materiam Confirmationis, & quod balsamum, non nisi vt quid accidentarium ad illud sacramentum pertineat, non mirum quod solitariè specialem non habeat benedictionem; Tum etiam, quia vt dicit D. Thomas balsamum ponitur propter fragrantiam odoris, & ad incorruptionem, seu fidei



dei perpetuitatem denotandam, & hæc præstentur à balsamo etiam sine benedictione, sequitur quod & sine benedictione, suppleri possit, & sine commixtione cum oleo, in casu quo olei unctio iam fuerit adhibita, & sacramentum essentialiter completum, &c.

Adde Patris Suarez solutionem non posse coherere cum doctrina illius capituli *Pastoralis*, quod sic disputando ostendo; quia secundum doctrinam illius capituli eadem est ratio admixtionis balsami pro materia Confirmationis, ac impositionis manuum pro conferendo ordine Diaconatus, quia summus Pontifex iisdem verbis ad duas istas quaestiones ibi respondet, sed certum est ordinem illum conferri validè, sine manuum impositione; ergò etiam sacramentum Confirmationis in solo oleo, sine balsami admixtione, validè confertur. Maior patet ex contextu illius capituli. Minor probatur ab Abb. antiq. Zabarella collect. Bellam. Hostiensi. Ioanne Andrea, Inno. Henric. Anania. Anchar. Panorm. Butio, Anton. August.

collect. & alii Canonistæ ibidem. Consequentia, & benè sequitur, & tenetur à modo citatis Doctoribus, nec videtur licitum relinquere antiquam omnium ferè Canonistarum expositionem, & intellectum, pro moderna aliorum Theologorum expositione, præsertim cum Canonis materia sit potius Canonistarum, quam Theologorum, & illis potius quam istis in hac materia sit standum; licet in materia Theologica istis potius quam illis sit instandum.

Probatur secundo nostra conclusio congruentia satis efficaci, nam sacramentorum materiae tales esse debent, quæ certo cognosci, & facile in omnium regionum usus venire possint; sed balsamum non est huiusmodi; ergò non est materia sacramenti confirmationis necessaria. Maior videtur certa, cum enim sacramenta nõ pro vna regione, sed pro omnibus totius orbis regionibus sint instituta eorum materia, & facile cognosci ab omnium hominum regionibus, & facile ab omnibus haberi debet. Mi-



nor etiam est certa. Teste namque Plinio lib. 11. cap. 25 balsamum, *uni terrarum Iudeæ concessum est, quondam in duobus tantum hortis utroque Regio, altero iugerum viginti non amplius, altero parviorum.* Et sic tam parvæ quantitatis esse debebat quod vix pro regione ea sufficere poterat. Propterea Pauli 111. tempore in quadam regione quidam liquor repertus est, de quo Episcopus dubitabat, an verum esset balsamum, inde postulavit à Pontifice facultatem eo utendi, quam etiam obtinuit, etiam si dubium grande esset an verum esset balsamum, quam facultatem non dedisset Pontifex si verum balsamum esset necessaria confirmationis materia. Eandem concessionem fecit Pius IV. de balsamo indico, cum enim esset dubium an illud balsamum esset legitimum, & verum, indulget Pontifex quod possent Episcopi eo uti &c.

Probatur tertio quia illa esse debet huius Sacramenti materia, quæ est apta ad significandum eiusdem Sacramenti effectum, sed hæc est

oleum oliuarum non balsamum; ergò illud non hoc est huius sacramenti materia. Maior patet discurrendo per singula sacramenta, in omnibus enim videbitur quod illa est cuiusque sacramenti materia, quæ apta est signare proprium sacramenti effectum. Minor probatur, quia Confirmationis effectus est confirmare in fide, corroborare, stabilire; ad quod requiritur talis gratia sacramentalis quæ mentis tribuat puritatem, feruorem fidei in corde, & constantem confessionem in ore, sed hæc omnia per oleum significantur oliuarum, non per balsamum; ergò oleum non balsamum est talis confirmationis materia, quæ apta nota est effectus illos significare. Huius argumenti minor probatur. nã oleum oliuarum sua virtute est conseruatiuum, sua luce, sua subtilitate tribuit mentis claritatem, ad res fidei percipiendas, & perceptas explicandas, suo calore feruorem tribuit cordis, & sic maximam habet aptitudinem ad dictos effectus significandos; ergò frustra tãquam materie necessaria ponitur



nitur balsamum, Soluuntur argumentum in contrarium.

Primum argumentum desumit P. Suarez ex Concilio Florentino dicente. *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cuius materia est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientia & balsamo, quod odorem significat bona fama, per Episcopum benedicto.* Vbi, inquit Suarez licet Concilium non dicat expressè hæc omnia quæ enumeravit esse de essentia huius materiæ, tamen absoluta materiæ appellatione, & in æquali numeratione id satis indicat. tria enim enumerat nempe oleum, balsamum, & benedictionem Episcopi; Primum, & tertium sunt de essentia materiæ, ergo etiã secundum

Respondetur cum Caietano vbi supra. *Chrisma esse regularem materiam Confirmationis necessitate præcepti, non autem necessitate absoluta, nec Concilium Florentinum, aliud dicere voluit, nec fuit illius Concilii mens descendere ad materiam omnino essentialem, sed solum communem assignat quod patet, pri-*

mo quia coniungit tria illa simul nempe oleum, Chrisma, & Episcopi benedictionem, & tamen secundum veriore sententiam, de qua quæstione sequenti, Episcopalis benedictio essentialiter non requiritur. Secundo quia idem Concilium infra de Eucharistia, dicit materiam Calicis esse vinum aqua mixtum, & tamen in omnium sententia aquæ mixtio non est essentialis; ergo ex hoc quod hic dicat materiam Sacramenti Confirmationis esse oleum balsamo mixtum, non inde sequitur utrūque esse de essentia, &c.

Tertio quia & illud Concilium, & alia, dicunt, partes Sacramenti penitentia esse contritionem, Confessionem, & satisfactionem, & tamen satisfactio non est pars essentialis Sacramenti penitentia, ergo &c.

Secundum argumentum est quia illa est materia necessaria, & essentialis Sacramenti Confirmationi, quæ necessaria est ad veritatem formæ; Atqui ad veritatem formæ huius Sacramenti oleum balsamo permixtum requiritur; ergo totum hoc est materia necessaria Sa-



cramenti Confirmationis. Maior est certa; veritas namque formæ ad Sacramenti veritatem necessaria est. Minor probatur, nam huius Sacramenti forma est: *Signo te signo crucis & confirmo te Chrismate salutis*. Sed Chrismate significat compositum ex oleo, & balsamo; ergo utrumque requiritur ad huius Sacramenti formam verificandam.

Respondetur concedendo maiorem, & negando Minorem, ad probationem iam patet ex dictis cum Caietano, quod nomine Chrismatis, etiã purum oleum venire potest. Audiatur lector D. Augustinum

sequentia verba prominentem serm. 47. de Verbis Domini: *In montem* (loquitur de Christo Domino quando in montem perrexit oliuarum) *fructuosum, in montem unguenti in montem Chrismatis, ubi enim decebat docere Christum, nisi in monte oliueti? Christi enim nomen à Chrismate dictum est: Chrismate autem Græcè, latine unctio nuncupatur; ideo nos unxit, quia luctatores contra diabolum fecit. Vbi ut vides secundum D. Augustinũ idem est oleum, vagurum, Chrismate, nam ut patet, in monte oliueti nullus alius liquor præter oleum gignebatur.*

## QVAESTIO II.

*An sit de necessitate Sacramenti Confirmationis quod Chrismate sit per Episcopum consecratum.*

**C**onueniunt Theologi communiter, aliquam consecrationem, seu benedictionem esse necessariam in Chrismate, ut semper fuit cõ-

munis Ecclesiæ sensus; & vsus, ut colligitur ex Concilio Niceno can. 69. ubi de triplici consecratione fit mentio, nempe olei infirmorum, catechu-  
meo-



menorum, & Chrismatis, & ex concilio secundo Carthaginensi can. 3. & Concilio primo Toletano can. 20. & ex Hispalensi 2. can. 7. & ex Florentino in decreto Eugenii, & alibi; quæ benedictionis necessitas, necessaria est saltem necessitate præcepti, an autem necessaria etiam sit necessitate Sacramenti, dico probabilius esse cum Nugno, quod sit necessaria necessitate Sacramenti, quia Christus Dominus quando hoc Sacramentum instituit, voluit illius materiam debere esse aliqua benedictione, vel consecratione affectam; id autem de quo est maior difficultas est, an illam benedictionem determinauerit; & similiter an determinauerit personam, quæ de necessitate talem deberet impendere benedictionem: Circa primum, an Christus Dominus benedictionem aliquam determinauerit.

Conueniunt fere omnes Theologi, Christum Dominum non determinasse modum consecrationis, vel benedictionis, sed solum in communi statuisse, vt Confirmatio-

nis materia esset consecrata; modum autem consecrationis ordinationi Ecclesiæ reliquisse, non enim (vt bene dicit Suarez sect. 11. disp. 33.) verisimile est, quod semper in Ecclesia seruatus sit ille modus benedicendi chrisma, quem modo seruat Ecclesia; & fortassis est diuersus modus Ecclesiæ Græcæ, & Latinæ; si autem chrysmatis benedictio ex Christi institutione determinata fuisset, semper, & vbi que de necessitate perseuerare deberet, an autem facta per Ecclesiam tali benedictionis determinatione, talis modus sit essentialis, an solum accidentalis, duas sententias refert P. Suarez vbi supra. Prima est Paludani quod sit essentialis, & per consequens quod non possit amplius talis modus mutari, & si mutetur Sacramentum sit nullum. Secunda sententia est Soti quam sequitur ipse Suarez, & mihi etiam magis placet, est quod sit accidentalis, & quod possit talis modus ab Ecclesia mutari, seruata Sacramenti veritate, quia Christus Dominus instituit, quod chrisma



consecraretur per Spiritus Sancti inuocationem; quæcunque illa sit, & quoquomodo fiat hæc consecratio, dummodo sufficiens sit ad substantiam Sacramenti; etiam si modus Ecclesiæ non seruetur, quia Ecclesiæ benedictio est magis cæremonialis quam substantialis, quem modum dicendi sequitur etiam Nugnus hic, et alii communiter.

Circa secundum, an Christus Dominus determinaue- rit personam, quæ deberet talem benedictionem impendere, quod idem est ac quærere, an minister huius benedictionis chris-matis sit solus Episcopus, an etiam simplex Sacerdos. Est opinio- num diuersitas inter scribentes: pro quo nota, mi- nistrum alium esse ordinariũ, extraordinarium alium. Cer- tum imprimis est vt notat Nu- gnus, quod minister ordina- rius est solus Episcopus, vt clare colligitur ex Concilio Florentino quæstione præce- denti citato, quod chrisma esse debeat *per Episcopum be- nedictum*; & ex Concilio To- letano primo cap. 20. vbi di- citur, *solum Episcopum esse hu-*

*ius Sacramenti ministrũ, & ex Concilio Tridentino sess. 7 de Confirmatione can. 3. vbi de- finitur: Si quis dixerit, San- ctæ Confirmationis ordinarium ministrum, non esse solum Epi- scopum, sed quemuis simplicem Sacerdotem; anathema sit. Vbi licet loquatur Concilium de ipso ministro Sacramenti Cõ- firmationis, non de ministro benedicente chrisma, tamen ex eo satis hoc clare colligi- tur; cum ad eundem ministrũ pertineat benedicere mate- riam, & illa vti, vt patet in aliis Sacramentis; ad eundem enim ministrum ordinariẽ pertinet benedicere fontem baptismalem, & baptizare; ad eundem Sacerdotem per- tinet benedicere oblata in Missa, ac consecrare; ergo &c. Difficultas ergo præsens restringitur ad hoc, an præter Episcopum, qui est ordinarius huius consecrationis minister possit etiã simplex Sacerdos non quidem tanquam mini- ster ordinarius, sed tanquam minister delegatus, vel depu- tatus saltem à Pontifice, chris-matis consecrationem efficere.*



Prima sententiâ est, solum Episcopum posse esse chris-  
matis confirmationis mini-  
strum, & nullo modum sim-  
plicem Sacerdotem, etiam  
ex summi Pontificis commis-  
sione, seu delegatione.  
Hanc sententiam sequuntur  
Suarez hic disput. 33. sect. 2.  
Coninchus art. 3. dub. primo  
Hurtadus de Sacramento Cõ-  
firmationis difficultate 5. &  
alii plures.

Nostra sententia sequenti  
explicatur conclusione. Sim-  
plex Sacerdos potest esse ex  
commissione, vel delegatio-  
ne Summi Pontificis minister  
benedictionis, vel consecra-  
tionis chris-matis Confirma-  
tionis. Hæc videtur esse pla-  
na mens Angelici Magistri ar.  
3. huius quæstionis 72. vbi  
cum in articuli titulo propo-  
suisset an chrisma debeat esse  
ab Episcopo benedictum, in  
corpore articuli nullam Epi-  
scopi mentionem facere volu-  
it, vt innueret Episcopum  
quidem esse consecrationis  
chris-matis ordinariũ minist. ex  
deputatione tamen salte Summi  
Pontificis esse etiam posse  
simplicem Sacerdotem; Imo

dato quod etiam expressè di-  
xisset solum Episcopum esse  
huius benedictionis ministrum  
intelligi deberet de ministro  
ordinario, cum verba absolu-  
tè prolata de simplici, & ab-  
soluto significato intelligi de-  
beant: Hanc sententiam sequi-  
tur Caietanus hic art. 3. post  
Scogum & eius scholam, Du-  
randum, Paludanum, & alios  
in 4. dist. 7. quos refert, & se-  
quitur Nugnus probabiliter  
hic difficultate 3. & alii plures

Probatur conclusio: primò  
quia idem est Chrisma Confir-  
mationis, & Baptismi, seu idẽ  
est Chrisma, quo quis vngitur  
in fronte quando confirmatur  
& quo baptizatus vngitur in  
vertice; sed tempore Concilii  
Toletani celebrati anno 400.  
Christi Domini, mos erat in  
quibusdam locis, quod simpli-  
ces Sacerdotes Baptismi Chri-  
sma conficerent, ita quod illa  
consecratio fuerit ab illo Con-  
cilio approbata, & solum pro  
futuro prohibita; ergò si tunc  
Concilium talem edidit pro-  
hibitionem, modo aliud Con-  
cilium, vel Pontifex potest  
illam tollere, & concedere  
simplici Sacerdoti facultatem



conficiendi Chrisma baptismi quam ante talem Concilii prohibitionem habebat, & per consequens idem poterit facere de Chrismate Confirmationis. Maior, nimirum, quod idem fit Chrisma baptismi, & Confirmationis admittunt omnes. Minor probatur. Nam Concilium Toletanum 1. capit. 20. sic habet: *Quamuis penè ubique custodiatur ut absque Episcopo Chrisma conficiat: tamen quia in aliquibus locis, vel Prouinciis Presbyteri dicuntur Chrisma conficere, placuit ex hac die nullum alium, nisi Episcopum, Chrisma conficere, & per diacepsm destinare.* Vbi nota illam particulam ex hac die, quia planè denotat huiusmodi Chrisma vsque ad illud tempus validum fuisse, seu fuisse benè, & validè per Presbyteros consecratum, licet Concilium imposterum prohibeat id fieri à simplici Sacerdote. Hoc idem colligitur ex Concilio Carthaginensi 11. cap. 3 & ex Concilio Bracha. 1. can. 37. vbi dicitur; *antiquos canones vetuisse, ne Presbyter audeat Chrisma benedicere po-*

stea subiungit Concilium sequentia verba: *Sine conscientia Episcopi, nihil Presbyteri agere presumant.*

Respondet P. Suarez verba illa prohibentia Concilii Toletani debere intelligi iuxta capacitatem materiæ, non tanquam de nouo inducentia prohibitionem, sed tanquam declarantia id quod de se prohibitum, irritumque erat. Illa vero verba inquit Suarez Concilii Bracharenensis cum sint negatiua, nihil ex illis desumi potest.

Sed quis non videt quantum illæ interpretationes sint extortæ; videat lector an illa Concilii verba sint declarantia id quod de se prohibitum, irritumque erat. *Placuit ex hac die nullum alium nisi Episcopum, Chrisma conficere.* Nec id quod respondet ad verba Concilii Bracharënsis illi prodest, nam cum ibi Concilium absolutè prohibeat Presbyteris ne imposterum audeant Chrisma conficere, & velit id esse ius Episcopi, cum postea subdit illa verba, volebat, tunc temporis, Concilium, id posse fieri de consensu eiusdem Episcopi,



scopi, ex tacito Pontificis consensu.

Probaturo secundo nostra  
**Conclusio.** Simplex Sacerdos potest ex summi Pontificis commissione esse Sacramenti Confirmationis minister; ergo etiam poterit esse minister benedictionis Chrismatis. Consequentia tenet, quia quoties vnum ex sua conditione, & natura ad aliud ordinatur tamquam minus ad maius, tunc qui potest maius, à fortiori poterit minus; sed Chrisma ordinatur ad conficiendum Sacramentum confirmationis, tamquam quid minus ad maius; ergo qui potest facere hoc secundum, etiam primum facere poterit.

Antecedens probatur ex capit. *Peruenit* 95. dist. & colligitur ex Concilio Florentino, & Tridentino locis citatis, dum dicunt Episcopum esse eius Sacramenti ordinarium ministrum; & sic concedere videntur ex privilegio id pos-

se simplici Sacerdoti concedi, & ita tenet D. Thomas 4. dist. 7. quæst. 6. art. 3. Sor. ibi ar. 3. Caietanus in hoc ar. 3. Turre Cremat. in capit. *placuit*, & ibi alii scribentes communiter. Probat Turrecremata quia per D. Thomam Episcopus non habet supra simplicem Sacerdotem nisi quandam relationem in ordine ad corpus Ecclesie mysticum, in ordine vero ad corpus Christi verum nullam, & ideo Papa qui est supremus Ecclesie hierarcha potest committere simplici Sacerdoti ea quæ pertinent ad corpus Ecclesie mysticum, non autem verum, ideo ei committi non potest, quod Sacerdotes ordinet, quia ordinantur ad conficiendum corpus Christi Domini verum, bene tamen, ut conferat ordines minores, ut habet D. Gregorius Epist. 26. Aduersariorum argumenta cum ex dictis soluta maneant, non ulterius progrediendum.



## QVAESTIO III.

## Quaenam sit proxima materia Sacramenti Confirmationis.

Certum est in omnium sententia Theologorū, materiam proximam essentialem Cōfirmationis esse vnctionem ex Sacro Chrismate factā; materia namque proxima in omnibus Sacramentis, vt ex alibi dictis liquet, illa est quæ est actualis vsus materiæ remotæ; cū ergò vnctio ex chrismate facta, sit ipse actualis vsus eiusdem Chriſmatis, sequitur manifestè materiam proximam Confirmationis esse vnctionem ex Sacro Chrismate factam; tum etiam quia, illa est materia proxima huius Sacramenti, supra quam immediate cadit eiusdem Sacramenti forma; At qui certum est apud omnes huius Sacramenti formam cadere immediate supra ipsam vnctionem, dicitur enim. *Signo te signo crucis & Confirmito te Chrismate salutis*, ergò ipsa vnctio erit materia proxima huius Sacramenti

solum ergò aliquæ difficultates dissoluendæ restant, circa qualitatem vnctionis, & circa quantitatem eiusdem.

Circa qualitatem primo difficultatur, an sit de necessitate huius Sacramenti, quod chriſmatis vnctio fiat à ministro in modum Crucis. Et respondeo affirmatiuè; ita quod de necessitate Sacramenti sit, ministrum ipsa vnctione signare confirmandum per modum Crucis; quod patet tum ex ipsa forma mox relata: *Signo te signo Crucis, &c.* Et ex ipso Ecclesiæ vsu, & ritu, qui præscribit, vt signum Crucis vnctione ipsa formetur.

Secundo difficultatur, an sit de necessitate Sacramenti, quod vnctio fiat in fronte, an vero possit etiam fieri in aliqua alia corporis parte. Et respondeo affirmatiuè, quod Ecclesiæ vsus edocet, communis Sanctorum Patrum consensus,



sensus, & ipsius confirmatio-  
nis finis; nam fuit hoc Sacra-  
mentum potissimè à Christo  
Domino institutum ad corto-  
borandum baptizatum in fi-  
de, ne fidem, & Christi Domi-  
ni Crucem erubescat, propte-  
rea conuenientissimè in fron-  
te dandum erat, vbi est sedes  
verecundiæ.

Sed petes, quid agendum, si  
aliquis fronte careret, debe-  
ret ne hoc Sacramento care-  
re? Respondeo tunc tempo-  
ris ea parte conferendum es-  
se hoc Sacramentum, quæ lo-  
cum frontis teneret, sicuti qui  
brachijs caret non propterea  
priuari debet extremæ vnctio-  
nis Sacramento, ita nec qui  
fronte careret, vnde limitan-  
da est præfens resolutio, quod  
nimirum chrisimatis vnctio fie-  
ri debeat in fronte, vel in ea  
parte, quæ locum frontis ten-  
net, & quia iste casus rarissi-  
mus est; propterea non mirum  
quod Concilia, & Patres non  
nisi frontis mentionem fece-  
rint.

Tercio difficultatur, an re-  
quiratur ad valorem Sacra-  
menti quod vnctio fiat imme-  
diatè manu ipsa ministri, an

medio aliquo instrumento;  
imò, & pollice dextro. Re-  
spondeo, & dico primo, quod  
si loquamur de valore Sacra-  
menti, validum esset, si fieret  
medio aliquo instrumento, ita  
contra Suarez, Egidium, &  
alios docet Henriquez cap. 2.  
num. 3. Viualdus de Confir-  
matione, quos refert, & sequi-  
tur Hurtadas de Confirma-  
tione difficultate 6. sicut ad  
eundem valorem Confirma-  
tionis non est necesse, quod fi-  
at pollice dextro, vel fini-  
stro, vel etiam indice, quod  
etiam aduertit Diana de Cõ-  
firmatione resol. 22. & ratio  
est, quia non videtur credi-  
bile quod Christus Dominus  
voluerit rem tanti momenti de-  
pendere quoad suum valo-  
rem ab hoc, quod fiat imme-  
diatè ipsa Episcopi manu, vel  
pollice dextro, &c. An autem  
sit de necessitate præcepti, ita  
quod peccaret minister, qui  
aliquo vteretur instrumento,  
vel non vtenetur pollice dex-  
træ manus, sed vteretur pol-  
lice sinistra, vel indice. An-  
toninus Diana loco citato cū  
Didaco Nugnez tenet, quod  
non peccaret Episcopus qui  
hoc ;



hoc Sacramentum conferret indice, vel pollice manus sinistrae, praesertim si hoc faceret ob aliquam infirmitatem; an autem peccaret si aliquo vteretur instrumento? Auctores citati nihil dicunt, ego dicerem saluo semper meliori iudicio, quod si daretur casus grauis Ecclesiae persecutionis ob quam conueniret Episcopum fideles confirmare, & ex alia parte esset tempus pestis, ad fugiendam epidemiae infectionem, sine vilo peccato posset hoc Sacramentum medio aliquo instrumento ministrari.

Circa vnctionis quantitate pro certo supponunt Theologi omnes, ad Confirmationis valorem, eam Chrismatis quantitatem requiri, quae sufficiens sit ad formandam in fronte Crucem sensibilem, id enim huius Sacramenti forma requirit, sicut enim ad valorem baptismi sufficit, & requiritur ea aquae quantitas per quam queat verificari corpus baptizati abluui, ita in hoc Sacramento ea Chrismatis quantitas necessaria est, & requiritur, quae sufficiens est vt Confirmatus Chrismate consignari dicatur.

## QVAESTIO IV.

*Quaenam sit legitima Sacramenti Confirmationis forma.*

**C** Aluinus lib. 4. suarum institutionum cap. 19. §. 5. Kemnitius 2. par. sui examinis Concilij Tridentini. Dannaus ad cap. 10. Belarm. de Sacramento Confirmationis Spalatensis lib. 5. de Repub.

Ecclesiastica cap. 5. num. 44. 45. & 46. irrident, & impugnant, plura obiiciendo, Confirmationis formam.

Catholica tamen veritas sequenti explicatur conclusione. Haec est legitima Sacramenti



menti Confirmationis forma: *Consigno te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Hæc forma traditur in Concilio Florentino in decreto Eugenii, habetur ex Ecclesiæ traditione, illam docent Sancti Patres, licet ut notauit Belarmius, non ita clarè, quia mos erat apud antiquos Patres Sacramentorū verba litteris non mandare, ut videre est apud D. Dionysium cap. ult. Hierarch. Eccl. & apud Innocentium 1. in Epist. 1. cap. 3. ubi loquens de Confirmatione dicit: *Verba dicere non possum, ne magis prodrere videar, quam ad consultationem respondere.* Ob hanc rationem omnium magister Petrus Lombardus in 4. sententiarum dist. 7. noluit verba formæ huius Sacramenti ponere, solum dixit: *formam esse manifestam.*

Probatur ratione, quod forma illa est legitima, qua causa principalis Sacramenti exprimitur, qua exprimitur causa ministerialis, actus suscipientis, & Sacramenti effectus. Sed forma assignata Confirmationis omnia explicat prædicta; ergo est legitima. Ma-

ior videtur omnino clara. Minor probatur, nam dicta forma principalem explicat causam per illa verba. *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* explicat ministeriale per illa verba, *Consigno, Confirmo:* suscipientis actum explicat per illam particulam *te:* explicat effectum, ipso Crucis signo, nam denotatur signum militiæ Christi, cuius initium Confirmatus, videatur Doctor Angelicus art. 4. cuius est ratio dicta.

Sed arguunt hæretici, quod Sacramentorū nouæ legis forma haberi debent, vel ex ipsa Sacra Scriptura, vel saltem ex traditione, secundum Catholicos; sed assignata Confirmationis forma nec ex Sacra habetur scriptura, nec (ut volunt Catholici) ex traditione; ergo non est sufficiens. Maior patet. Minor probatur: quia primi auctores qui & huius Sacramenti meminerūt, & formæ illius, multum in illa veriant, imò, & aliqui, ut Inno. primus Epist. ad Decentium de Confirmationis agēs Sacramento, nullam de illius forma facit mentionem.

Respondetur, concessa maiore,

E iore,



iore, negando minorem, ad cuius probationem respondeo quod ad hoc ut aliquid ex traditione esse censeatur, non est necesse illud esse in aliquo libro Catholico ab ipso Ecclesie initio, exaratum, sed sufficiens est quod pro tali ab ipsa agnosceatur Ecclesia, ab ipso primo ipsius initio, & quod de manu, ad manum viæ vocis oraculo à prædecessoribus ad posteros descenderit; unde non est de ratione traditionis quod scripta reperitur; quod contingit speciali iure in forma Sacramenti Confirmationis, cum semper sacratissima sit habita, adeo ut præter Episcopos omnes ferè alios lateret. Unde est optima D. Augustini regula lib. 4. de Baptismo cap. 24. *Quod omniuersa tenet Ecclesia, nec Concilijs, institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Cum ergo Confirmationis forma semper fuerit à Sancta Matre Ecclesia retenta, & in nullo Concilio sit inuenta, plane sequitur ab Apostolis illam accepisse, & ipsi Apostoli à Christo

Domino; cum, ut supra de Sacramentis in Genere docuimus, solus Christus Dominus Ecclesie Sacramenta omnia instituerit, & per consequens illorum materias, & formas assignauerit.

Sed quæres, an assignata Confirmationis forma sit adeo essentialis, ut tota, ut iacet, fit de sacramenti necessitate. Et respondeo quod non, nam imprimis si loco illius dictionis *salutis* sanctificationis nomen poneretur, sacramentum conficeretur, quia siue usurperetur in forma nomen *salutis*, siue nomē *Sanctificationis* eadē, quoad substantiā manet forma Confirmationis, quod docet D. Thomas art. 4. ad 3. dicens; *Sanctitas est salutis causa, & ideo in idem reddit quod dicitur Chrismate salutis, & Sanctificationis*: propter quā rationem idem Angelicus magister, loco illius dictionis *signo*, utitur illa, consigno.

Secundo dico, quod secundum, et in forma positum non est de essentia formæ. & ratio est, quia licet verum sit exprimi debere personam quæ Confirmatur, & Cruce signatur;



eur; satis tamen sufficienter exprimitur per primum, *te*, sicut si quis diceret, *do tibi 100 numos et promitto tibi alios 100 post mensem*, satis disertè idē significaret dicendo, *do tibi 100. numos, & promitto alios 100.* relinquendo secundum, *tibi*.

Tertio dico contra Suarez, quod si quis relinqueret illā dictionem, *Confirmo*, & sequēti vteretur forma: *Signo te signo Crucis, & Chrismate salutis, in nomine Patris &c.* verum perficeret Sacramentum, ita Mæratius, & alii, & ratio est, quia Episcopus qui hac vteretur forma sufficienter exprimeret actum quo Confirmationis Sacramentum conferret, ergò valida esset illa forma. Consequentia tenet. Antecedens probatur, quia actus quo episcopus Confirmationis confert Sacramentū duo affert, nempe signare signo Crucis, & vngere Chrismate; sed ista duo sufficienter exprimuntur per illam formam, ergò &c. Maior certa est. Minor probatur quoad hoc quod est vngere Chrismate, de quo est difficultas, de

eo enim quod est signare signo Crucis. nulla est difficultas: Quia eo ipso quod minister dicit, *signo te signo Crucis, & Chrismate salutis*, ipso chrismate vngendo, sufficienter, vñctio denotatur, eo namque ipso, quod quis signat chrismate, vngit: nec est aliud vngere, quam signare, & signare vnguento, est vngere; ergò cum idem sit signo te chrismate salutis, ac confirmo te chrismate salutis, patenter sequitur prædictam formam esse legitimam. Et hæc Doctrina clare deducitur ex Florentini Decreto §. *Primum omnium*: ubi dicitur: *Quod cum causa principalis ex qua baptismus virtutem habet sit Sancta Trinitas, instrumentalis autem sit minister qui exterius tradit Sacramentum, si exprimitur actus qui per ipsum exercetur ministerium, cum Sancta Trinitatis inuocatione, perficitur Sacramentum.* Cum ergò actus exterior ministri Confirmationis nullus alius sit nisi signare, & vngere, & id ipsum per formam traditam explicetur, nil aliud ad legitimitatem illius formæ desiderabitur. Sed



dices cum Suarez quod illa particula *signo*, vel *consigno te chrismate salutis* non exprimit sufficienter effectum Confirmationis, qui est solum spiritualis, sicut exprimitur per illam particulam *Confirmo*. Nā respondetur non exprimi quidem ita clarè, exprimitur tamen sufficienter, dum *chrismatis unctio* significatur.

Dico quarto contra eundem Suarez, sequentem formam esse sufficientem: *Confirmo te signo Crucis, & Chrismate salutis in nomine Patris &c.* quia illa duo verba *signo*, & *confirmo* quoad præsens pro eodem usurpari possunt, & sicut ut modo dicebamus, valet Sacramentum sub illa forma *signo te signo Crucis, & Chrismate salutis in nomine Patris, &c.* ita etiam valebit sub ista, *Confirmo te signo Crucis, & Chrismate salutis in nomine Patris &c.*

Dico quinto contra eundem Auctorem sequentem formam esse legitimam: *signo te signo Crucis, & confirmo te in nomine Patris, &c.* ita Belarminus de Sacramento Confirmationis cap. 10. ubi notat

quod in Ordine antiquo Romano non habentur ille particulae *Chrismate salutis* sed solum modo assignata forma, ibi præscribitur. An autem idem dicendum sit de sequenti forma; *Signo te, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris &c.* Aliqui affirmant, melius videtur dicendum quod non, cum Suarez, & aliis magis communiter quia cum ille qui Confirmatur miles Christi efficiatur, & signo Crucis signari debet, ut omnes concedunt; sequitur quod hoc in forma exprimi debeat, patet autem quod per illud verbum *signo*, & *confirmo* Crucis signum non exprimitur, complura alia fieri possint signa.

Dico sexto ad essentiam sacramenti Confirmationis, expressa trium diuinarum personarum mentio in forma fieri debet, sicut in Sacramento baptismi, est hæc omnium catholicorum sententia, & ratio communis est, quia ideo in baptismo trium diuinarum personarum mentio fieri debet, quia in eo Sacramento fit prima fidei professio, atqui in



Sacramento Confirmationis fit eiusdem fidei confirmatio; ergò eadem trium diuinarum personarum mentio fieri debet: homo namque per Confirmationis Sacramentum, firmam, ratamque habet fidem, quam in baptismo suscepit, & ad eandem fidem libere constanterque profitendam robur accipit; ideoque Clemens Romanus lib. 3. Constitutionum Apostolicarum capite 17. Confirmationis Sacramentum vocat, *Confirmationem Confessionis*. Vnde non placet sententia Arcudij lib. 2. de Sacramentis cap. 6. & 7. sequentem formam quam dicit esse Græcorum esse sufficientem nimirum: *Signaculum donationis Spiritus Sancti*: nam imprimis nulla fit trium diuinarum personarum, cum tamen hoc in omnium sententia Theologorum, sit omnino necessarium. Secundo, quia nulla in hac forma fit subiecti suscipientis expressio. Tertio quia, dato quod fiat sufficiens expressio consignationis in illis verbis, non tamen fit expressio consignationis practicè ex

chrismate. Quarto quia non fit neque expressio causæ principalis, nec ministerialis, nec actus illius, vt ex se liquet: nec verum est quod illa forma fuerit vniuersalis Ecclesiæ Græcæ, sed aliquarum dumtaxat Ecclesiarum, propterea Clemens VIII. in Instructione Græcorum, aliter ordinauit, &c.

Ex quibus omnibus inferri potest quomodo Confirmationis Sacramentum possit definiri; physicè quidem per materiam, & formam hoc modo: *est unctio chrismatum in fronte per modum Crucis facta sub præscripta verborum forma*. Metaphysicè verò: hoc modo: *est sacramentum fidei confirmata*, seu quod in idè redit *est Sacramentum confirmatiuum fidei*. Vbi Sacramentum est genus: fidei confirmata, loco differentiarum; non quia fides confirmata sit propria differentia huius Sacramenti, cum, vt patet, sit solummodo eius effectus, sed quia non habemus vnum nomen quod explicet adequatè proximam huius Sacramenti materiam, ideoque loco

illius



illius ponimus principalem  
huius Sacramenti effectum;  
materia namque proxima  
huius Sacramenti est duplex  
partialis, nempe consignatio  
in modum Crucis, & unctio  
chrismate facta. Possset etiam

alio modo definiiri ponendo  
materiam remotam loco dif-  
ferentia, hoc modo est *Sacra-  
mentum chrisimatis*, ita quod  
*Sacramentum* sit genus, *chri-  
smatis*, loco differentia pona-  
tur.





# DISPVATIO TERTIA.

## DE SACRAMENTI CONFIRMATIONIS EFFECTIBVS.

**S**acramenti effectus alius est proprius, alius communis, alius, ut ita dicam, communissimus: proprius est qui ita vni conuenit Sacramento, quod neutiquam alteri conueniat: communis ille est qui alteri etiam conuenit: communissimus, qui omnibus: effectus huius Sacramenti proprius iam supra explicatus est in huius tractatus principio, nimirum quod sit roboratio quaedam ad constantem ea quæ fidei sunt coram persecutoribus protestan-

da, ideo dicebat Rabanus de instit. cler. lib. 3. capit. 30. à summo Sacerdote per impositionem manus Paracletus traditur confirmato, ut roboretur per Spiritum Sanctum ad prædicandum alijs donum, quod in baptismo consecutus est. Et sic restat solum agere de effectu communi qui est character, qui alijs duobus conuenit Sacramentis nempe Baptismo, & Ordini, & communissimo qui est gratia, cum hanc omnia causent nouæ legis sacramenta. Sit ergo.



## QVAESTIO I.

*Vtrum Sacramentum Confirmationis imprimat characterem.*

**A**rcudius lib. 2. de Sacramentis cap. 6. & 7. refert quorundam Græcorum sententiam dicentium Confirmationis Sacramentum nullum imprimere characterem, ideoque dicebant in vna eademque persona hoc Sacramentum repeti, scilicet iterari posse.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Sacramentum Confirmationis imprimat characterem, & per consequens repeti, scilicet iterari in eadem persona non potest. Hæc conclusio est de fide, ultimo etiam definita in Concilio Tridentino sess. 7. de Sacramentis in Genere can. 9.

Probatur primo conclusio ex illo Apostoli Hebr. 6. *Non iterum iacentes fundamentum Penitentiae ab operibus mortuis, & fidei ad Deum baptis- matum doctrinae, impositionis quoque manuum, &c.* Vbi Apo-

stolus secundum communem Patrum expositionem, ut Chrysostomi, Theodoret, Thophilacti, & aliorum per manuum impositionem Confirmationis Sacramentum intelligit, de quo, sicut de Baptismo docet non licere ei qui labitur post eundem Baptismum, & Confirmationem, iterum redire ad eundem Baptismum, & Confirmationem, quia hæc duo Sacramenta sunt fundamenta, quæ non nisi semel iaciuntur.

Probatur secundo conclusio ex multis Sanctæ Ecclesiæ definitionibus, Primo namque definita hæc veritas est in Concilio Tarraconensi, & habetur in cap. *dielum est*, & in cap. *de homine*, de consecrat. dist. 5. Secundo definita est in Concilio Florentino, & ut diximus in Tridentino, & alibi. Videatur Concilium Toletanum §. canone 7. vbi manj-



manifestè hoc probatur.

Probatur tertio Sanctorum Patrum testimonijs. D. Cyprianus ser. de ablutione pedum sic loquitur. *Baptismum repeti Ecclesiastica prohibent regula: nemo sacros ordines semel datos iterum renouat: nemo sacro oleo lita iterum linat, aut consecrat: nemo impositioni manuum, vel ministro derogat Sacerdotum: quia contumelia esset Spiritus sancti, si euacuari posset, quod ille sanctificat, vel aliena sanctificatio emendaret, quod ille semel statuit, & confirmat.* Sanctus Augustinus lib. 2. contra Litteras Petilianum capit. 104. ubi parem facit quoad confessionem, & susceptionem Sacramentum Confirmationis cum Sacramento Baptismi. Augustini verba sunt. *Et in hoc unguento (quod descendit à capite in barbam Aaron) Sacramentum Christum vultis interpretari, quod quidem in genere visibilibus signaculorum (id est Sacramentorum) Sacrosanctum est sicuti & baptismus, sed potest esse & in hominibus pessimis in operibus carnis vitam consumentibus, & Regnum Calorum non possessuris, & ideo nec ad bar-*

*bam Aaron, nec ad oram vestimentorum eius, nec ad ullam confectionem vestis sacerdotalis pertinentibus.* Hæc D. Augustinus; secundum autem Augustini Doctrinam etiam si Sacramentum Baptismi à pessimis recipiatur hominibus reiterari non potest, quia imprimit characterem, & per consequens cum secundum hoc, confirmatio per Sanctum Doctorem, baptismocōparetur, erit initerabilis sicut est baptismus.

Probatur quarto elegantissime ratione D. Thomæ art. 5. huius quæstionis 72. quæ ad maiorem reducta breuitatem est sequentis tenoris: Character est quædam spiritualis potestas ad aliquas spirituales actiones ordinata, sicut autem baptismus est quædam spiritualis regeneratio, ita, & Confirmatio est quoddam spirituale augmentum ad ætatem perfectam. Atqui ex similitudine corporalis vitæ alia est actio hominis statim nati, alia cum ad perfectam peruenit ætatem, ideo per Sacramentum Confirmationis datur homini spiritualis potestas ad quosdam alias sacras

F actio-



actiones, præter illas ad quas datur potestas in baptismo. In baptismo namque potestatem accipit ad ea agenda quæ ad propriam pertinent salutem prout in se, & secundum se vivit; at in confirmatione potestatem accipit ad agendum ea quæ ad pugnam pertinent spiritualem, contra scilicet fidei hostes; ergò cum Sacramentum Confirmationis specialem tribuat potestatem, specialem imprimere debet characterem.

Probatur quinto alia ratione ex eodem D. Thoma deducta: illud Sacramentum imprimit characterem quod est initerabile; sed Confirmationis Sacramentum est initerabile; ergò imprimit characterem. Maior est Concilij Tridentini, Minor patet, ex citatis auctoritatibus Conciliorum, & Sanctorum Patrum. Adde quod illud omne Sacramentum imprimit characterem, per quod homo specialiter ad cultum Dei deputatur. Sed confirmatus deputatur specialiter ad cultum Dei; ergò imprimit characterem. Maior patet ex supra-

dictis de Sacramentis in Genere vbi de characterè fuse pertractauimus. Minor etiam patet, & ex ibi dictis, & ex dictis in hoc tractatu, per hoc namque Sacramentum vt dicit D. Thomas ex officio deputatur ad publicè profitendam fidem, & si occasio fit coram Tyranno, vt docet Melchiades Papa Epistola sua ad Episcopos Hispaniæ, & refertur de consecratione distinct. 5. cap. *Spiritus Sanctus*.

Ex quibus infertur peccare mortaliter qui sciens, & volens iterat hoc Sacramentum in eodem homine baptizato, ob easdem rationes ob quas mortaliter peccat qui Sacramentum iterat baptismi. Differentia tamen est quod iterans baptismum fit irregularis, secus qui iterat confirmationem, ita contra Nauarrum in Manuali capit. 27. numer. 242. docent communiter scribentes, & colligitur ex capit. *dictum est*, de consecratione dist. 5. vbi prohibetur quidem huius Sacramenti iteratio, non tamen sub pæna irregularitatis; irregularitas autem non contrahitur nisi in  
 casu



casibus à iure expressis capit. *is qui. S. qui vero.* de sententia excommunicationis in 6. At vero si loquamur de Baptismo id expressum est in cap. 2. *de Apost.* in odium Donatistarum docentium, baptizatos ab hæreticis esse rebaptizandos. Videatur Nugnus hic art. 5. concl. 3. ubi etiam notat quod quando esset dubium de valore ipsius posset

suo conditione iterari, maius tamen dubium requiritur ad hoc Sacramentum iterandum quam ad iterandum baptismum, cum Sacramentum baptismi maioris sit necessitatis, quam sit Confirmatio, ideoque maius dubium requiritur ad Confirmationem repetendam, quam ad repetendum baptismum.

## QVÆSTIO II.

*Num. Character Confirmationis supponat Characterem Baptismi.*

**C**onueniunt omnes Theologi, quod character Sacramenti Confirmationis non sit aliqua extensio characteris baptismi, ut est character ordinis, qui primo infunditur in primo ordine, & deinceps per subsequentes extenditur. Sed est specialis quædam entitas realis à characteribus baptismi realiter distincta, cum enim potestas quæ in sacramento Confirmatio-

nis confertur sit planè diuersa à potestate quæ in baptismo confertur, sequitur characterem baptismi esse planè diuersum à characteribus Confirmationis, ideoque Concilia, & Patres dum de his loquuntur characteribus tanquam de rebus plane diuersis loquuntur. Difficultas ergò præsens stat in hoc, posito characteres hos ad inuicem distinguere; an de lege ordina-



ria character Confirmationis supponat characterem baptismi; de lege loquimur ordinaria, quia de lege absoluta certum est non dari hanc suppositionem, cum possit Deus infundere de potentia absoluta characterem confirmationis, sine characterem Baptismi, seu in homine non baptizato: Hispositis

Prima sententia esse potest quod character confirmationis, characterem Baptismi non supponat, ita quod homo non baptizatus aliorum sit capax Sacramentorum, & per consequens confirmationis. Pro hac parte aliqua referemus postea argumenta, & soluemus.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Character Confirmationis necessario characterem baptismi supponit, & per consequens non baptizatus non est capax confirmationis, nec alterius Sacramenti. Hæc conclusio est de fide definita in capit. *omnes fideles*, & in cap. *novissime*, de consecrat. dist. 5. baptismus enim dicitur ianua Sacramentorum capit. *præter hæc*, dist. 32. est etiam hæc veritas definita in Concilio Florentino. Vnde qui ante

baptismum ordines recepit; iterum post baptismum est ordinandus cap. 1. de presbytero non baptizato ministrante; deducitur etiam ex Tridentino sess. 14. cap. 2. Vnde hanc conclusionem sequuntur omnes Scholastici cum Magistro 4. dist. 5. & Theologico cum D. Thoma ar. 6. quæst. 72.

Probatur primo ratione D. Thomæ; quia ita se habet Confirmatio ad baptismum, sicut augmentum ad generationem: sed sic est quod nullus potest promoueri in ætatem perfectam per augmentum nisi sit prius natus; ergo similiter nisi quis fuerit primo per baptismum spiritualiter natus, non poterit media confirmatione spirituale augmentum recipere.

Confirmatur, & explicatur hæc ratio D. Thomæ 1. quia prius est hominem constitui in statu spiritualis infantie quam ab eo statu transferri ad statum ætatis virilis; Atqui per Sacramentum Baptismi homo constituitur in statu spiritualis infantie iuxta illud: *Sicut modo geniti infantes lac concupiscite*, & per  
Sacra-



Sacramentum Confirmationis transfertur in statum virilis Aetatis; ergo prius homo debet Sacramentum baptismi recipere, quam Sacramentum Confirmationis, Et per consequens Character Confirmationis, baptismi Characterem supponit.

Confirmatur, & explicatur secundo; quia prius est hominem fieri Christi Domini, & Ecclesiæ membrum, quam quod fiat Christi Domini, & Ecclesiæ miles, seu quæ quod deputetur ad Christi Domini, & Ecclesiæ militiam, sed homo per characterem baptismi fit Christi Domini, & Ecclesiæ membrum, & per characterem Confirmationis fit eiusdem Christi Domini, & Ecclesiæ miles, ex officio ad hanc militiam deputatus; ergo prius est quod homo characterem recipiat baptismi, quam Confirmationis.

Primum argumentum partis oppositæ est: Potest quis ante baptismum habere rem Sacramenti Confirmationis; ergo etiam habere poterit ipsum Sacramentum. Antecedens probatur: quia potest

quis ante baptismum fidem christi profiteri & esse martyr sed hoc est habere rem Sacramenti Confirmationis, ergo consequentia patet: quia ita se habet res Sacramenti Confirmationis ad rem Sacramenti baptismi, sicut se habet Sacramentum Confirmationis ad ipsum Sacramentum baptismi sed res sacramenti Confirmationis dari potest antequam detur res sacramenti baptismi; ergo & ipsa Confirmatio dari poterit: huius argumenti maior claravideretur; ita enim se habet sacramentum ad sacramentum, sicut effectus sacramenti ad effectum &c. Minor probatur, quia in casu quo quis nihil audierit de baptismo sed solum de Christo ut sic, & sic credens, & confitens martyrium subeat, martyr efficitur, & per consequens rem sacramenti Confirmationis recipit, & non rem sacramenti baptismi, nam ad hoc ut quis rem recipiat baptismi requiritur, quod vel in re, vel in voto baptismum recipiat, & ille nec in re, ut patet, nec in voto, seu desiderio baptismum recepit, quia nihil de eo nouit



novit : ergò , &c. 1118 2119  
 Respondetur distinguendo  
 antecedens : potest quis ante  
 baptismum in re susceptum,  
 rem habere sacramenti Con-  
 firmationis, & transeat, potest  
 quis habere rem sacramenti  
 Confirmationis ante rem bap-  
 tismi, & negatur : dixi transe-  
 at vt aduerterem quod res sa-  
 cramenti Confirmationis, vt  
 notat D. Thomas in art. in so-  
 lutione ad primum, non habe-  
 tur nisi per votum, seu deside-  
 rium Confirmationis, non au-  
 tem præcisè ex martyrij susce-  
 ptione, susceptio namque  
 martyrii potius est votum bap-  
 tismi quam Confirmationis ;  
 & sic ille qui suscipit marty-  
 rium habet prius rem Sacra-  
 menti baptismi, quam Sacra-  
 menti Confirmationis ; si ta-  
 men daretur casus quo quis  
 ante baptismum susceptum in  
 re non solum haberet votum  
 baptismi, verum etiam Confir-  
 mationis, tunc haberet rem  
 Sacramenti Confirmationis an-  
 te Sacramentum baptismi in-  
 re susceptum, non tamen ha-  
 beret rem Confirmationis ante  
 rem baptismi. Quod, si petas  
 quid addat res sacramenti cō-

firmationis (idem peti po-  
 test de rebus aliorum sacra-  
 mentorum ) supra gratiam  
 quæ correspondet contritioni  
 vel dilectioni; relictis respon-  
 sis P. suarez. quæ bene impu-  
 gnantur à Nugno in hoc artic.  
 difficultate 4. dico cum eodē  
 Nugno quod non est aliqua  
 maior gratia quam sit illa quā  
 recipit alius qui habet æqualē  
 contritionem, vel dilectionem  
 vel alium similem actum me-  
 ritorium, qui non sit desiderij  
 Confirmationis, recipit ta-  
 men quendam modum firmi-  
 tatis, qui reddit hominem  
 rectè mobilem à Deo vt sit a-  
 ptior ad Diuinum recipien-  
 dum auxilium, ad firmiter fi-  
 dem profitendam, qui est pro-  
 prius Sacramenti Confirma-  
 tionis effectus, qui solum da-  
 tur, vel realiter hoc Sacramē-  
 tum suscipientibus, vel illud  
 desiderantibus. Et hoc est  
 quod dicit D. Thomas loco  
 citato dum dicit : *Virtus diui-  
 na non est alligata Sacramen-  
 tis, unde potest conferre homini  
 spirituale robur ad constituendam  
 publicè fidem Christi absque Sa-  
 cramento Confirmationis, sicut  
 etiam potest consequi remissionem*



nem peccatorum sine baptismo. sicut tamen nullus consequitur effectum baptismi, sine baptismi voto, ita nullus consequitur effectum Confirmationis sine voto ipsius; quod potest haberi etiam ante suspensionem baptismi. Igitur qui habet Confirmationis votum, licet non recipiat characterem illius, nec maiorem gratiam quam haberet alius per æqualem actum, recipit tamen quandam gratiæ firmitatem, seu quandam eiusdem gratiæ modum firmitatis ad fidem publicè profitendam.

Secundum argumentum: Qui non est baptizatus verè potest Eucharistiæ Sacramentum recipere; ergo etiam recipere poterit Sacramentum Confirmationis, & per consequens Characterem Confirmationis ante Characterem baptismi. Consequentia patet ex paritate rationis, antecedens docet D. Thomas infra quæst. 85. art. 3. ad secundum.

Respondetur posse quidem non baptizatum recipere Sacramentum Eucharistiæ materialiter, non tamen formaliter

hoc est effectum illius, quia verum est commune fidelium proloquium quod Sacramentum baptismi est ianua omnium Sacramentorum.

Tertium argumentum est: quia ille est capax Sacramenti Confirmationis, & ceterorum qui est membrum Christi Domini, & Ecclesiæ; sed homo sine baptismo in re suscepto potest esse membrum Christi Domini, & Ecclesiæ; ergo ante Sacramentum baptismi est capax Sacramenti Confirmationis, & ceterorum. Maior videtur certa. Minor probatur, quia homo per contritionem, & dilectionem Dei super omnia fit verum Christi Domini membrum, & Ecclesiæ; sed hos actus habere quis potest ante Sacramentum baptismi in re susceptum; ergo &c.

Respondetur distinguendo maiorem; adhuc ut homo fit capax Sacramentorum sufficit quod sit membrum Christi Domini, & Ecclesiæ viuum, & visibile, & conceditur; sufficit quod sit membrum Christi Domini, & Ecclesiæ, ut ita dicam inuisibile, & negatur. Ut ergo quis sit capax Sacramen-



mentorū debet esse mem-  
brum Christi Domini, & Ec-  
clesiæ, sed visibile cum, &  
ipsa Ecclesia visibiles sit.

## QVAESTIO III:

*Num Sacramentum Confirmationis maiorem  
conferat gratiam quam Sacramentum  
Baptismi, & per consequens, an  
Confirmatio dignitate Bapti-  
smum præcedat.*

**S**upponit quæstionis titu-  
lus Sacramentum Con-  
firmationis, sicut & omnia  
alia Sacramenta nouæ legis  
causare gratiam ex opere ope-  
rato, vt constat ex iis quæ di-  
ximus supra de Sacramentis  
in genere quæst, 62. & cum  
non sit Sacramentum mortuo-  
rum, sed viuorum, non causat  
primam gratiam sanctificantē,  
sed augmentum dumtaxat  
illius, secundum propriam ra-  
tionem, licet aliquando etiam  
primam causare possit vt loco  
citato cum D. Thoma docui-  
mus de omnibus Sacramentis  
viuorum, vt cum quis accedit  
solummodo attritus, & putat se

esse contritum. Supponit eti-  
am quæstionis titulus Sacra-  
mentum Confirmationis sup-  
ponere Sacramentum baptis-  
mi, & gratiam Confirmatio-  
nis supponere gratiam baptis-  
malem tanquam eius propri-  
am dispositionem, vt ex dictis  
præcedenti quæstione colligi-  
tur. Supponit demum pro-  
prium Confirmationis effectū  
esse gratiam sacramentalem  
secundum quod continet ro-  
bur quoddam spirituale ad  
firmiter profitendam fidem  
publicè contra ipsius fidei ho-  
stes; vnde homo per gratiam  
Confirmationis fit miles, &  
quodammodo dux Christi  
Domini



Domini, & Ecclesiæ, ut colligitur ex illis verbis Christi Domini Act. 1. *Accipietis virtutem superuenientis Spiritus Sancti in vos, & eritis mihitētes in Hierusalem, & in omnibus dea, & Samaria.* Hæc firmitas vel hic modus firmitatis est in gratia tanquam in principio radicali, est in habitu fidei tanquam in principio proximo, est in characteresimiliter tanquam in principio proximo operatiuo, propterea docuimus supra de characterē, quod character Confirmationis est partim potentia actiua, quia datur ad firmiter fidem protestandam, & est etiam potentia passiua, quia est etiam dispositio ad characterem ordinis suscipiendum, & Igitur modus firmitatis, in gratia, ad speciem potentia radicalis reuocatur; in fide, & characterē ad speciem potentia proxima, quæ omnia colliguntur ex D. Thomas art. 7. quæstio: ne 72. præsertim in solutione 3. argumēti ubi dicit: *gratia Sacramentalis addit supra gratiā gratū jacentem communiter sumptam, aliquid affectiuū specialis effectus, ad quod ordinatur Sa-*

*cramentum: si ergo consideratur gratia in hoc Sacramento collata quantum ad id quod est commune sic per hoc Sacramentum non confertur aliqua alia gratia, quam per baptismum, sed quæ prius inerat augetur: si autem consideratur quantum ad illud speciale quod super additur. sic non est eiusdem speciei cum ipsa.* his positis ad difficultatem in quæstionis titulo propositam accedentes:

Prima sententia est, quod maiorem, & excellentiorem gratiam conferat Sacramentum baptismi, quam Sacramentum Confirmationis, & per consequens baptismus dignitate præstet Confirmationē, & hoc absolutè, & simpliciter licet secundum quid oppositum dicatur. Hanc sententiā sequitur D. Bonau. in 4. dist. 7 art. 2. quæst. 3, Marsilius ibidem quæstione 5 art. 4. & alij, quorum fundamenta postea referemus, & soluemus:

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Sacramentum Confirmationis maiorem, & excellentiorem gratiam causat, quam Sacramentum baptismi, & per consequens



sequens dignitate eo præstat. Hæc conclusio est plana mens Sancti doctoris, vt postea videbimus, & omnium expositorum super articulum 7: quæstionis huius 72. pro qua re videri potest Nugnus, Suarez & alii: est etiam sententia magistri sententiarum 4. dist. 7. pro quo videri potest Sotus ibidem post alios.

Probatur primo auctoritate Sancti doctoris supra quæst. 65. art. 3. vbi assignans Sacramentorum ordinem, & dignitatem dicit Eucharistiam esse omnium præstantissimam sacramentorum, deinde subdit. *via necessitatis baptismus est potissimum Sacramentorum: in via autem perfectionis Sacramentum ordinis: medio autem modo se habet Sacramentum Confirmationis: hoc est: est ordine imperfectius, perfectius baptismo; Sacramentum vero Penitentia, & extrema unctionis sunt inferioris gradus à prædictis Sacramentis.* Et clarissimè in 4. dist. 7. quæst. 1. artic. 1. quæstiuncula 3. in corpore, vbi Angelicus sic Angelicè scribit *simpliciter loquendo, post Eucharistiam nobilissimum Sacramen-*

*tum est ordo, per quod homo, & in gratia, & in statu dignitatis ponitur: & post hoc Confirmatio, per quam perfectio gratia confertur: & post baptismus per quem fit plena culpa, & peccata remissio.* Et artic. 2. huius quæstionis sic disertè pronunciat. *Baptismus dari ad spirituales vitam simpliciter consequendam. Confirmationis autem Sacramentum ad consequendam plenitudinem Spiritus Sancti.* & art. 11. ad 2. sic factur: *Sacramentum Baptismi est efficacius quam hoc Sacramentum ad remotionem mali, eo quod est spiritualis regeneratio, quæ est mutatio de non esse ad esse: hoc autem Sacramentum esse efficacius ad proficiendum in bono, quia est quoddam spirituale augmentum de esse imperfecto ad esse perfectum.*

Sed antequam nostram conclusionem ratione probemus, vnum breuiter prænotare oportet: quod nimirum in Christo Domino duo distinguere possumus, nimirum sanctitatem, est enim Sanctus Sactorum, & potissimum eius officium, quod nimirum ad  
hoc



hoc in mundum venerit à Patre deputatus, ut ex officio testimonium perhiberet veritati, etiam propria morte, ut ipse testatur Io. 18. Cum autem debeant capiti conformari membra, & hoc potissimè fiat medijs Sacramētis, sit quod illud Sacramentum si dignius, & excellentius per quod in ratione nobiliori, & excellentiori conformamur Christo Domino nostro capiti; patet autem quod conformari Christo quoad hoc, quod est reddere testimonium per mortem veritati; quod fit per martyres, sit dignius, & excellentius, quam conformari præcisè in sanctitate, quod fit per confessores, cum martyres præcedant confessores; & cum per aquæ baptismum assumuntur homines Christo, quoad rationem puritatis, & sanctitatis; vi namque baptismi ad gratiam sanctificantem renascimur: & per Sacramentum Confirmationis assimilatur Christo Domino quoad illud diuinissimum munus testificandi veritatem, etiam si opus fuerit, propria morte, sequitur Confirmationem, Ba-

ptismum præcedere: his prænotatis, sic possumus primam nostram rationem efformare.

Illud Sacramentum est excellentius, & dignius per quod in nobiliori ratione Christo Domino assimilamur. Sed per Sacramentum Confirmationis assimilamur Christo Domino secundum rationem nobiliorem quam per Sacramentum Baptismi; ergò confirmatio est Baptismo dignior nobiliorque. Maior videtur plana; nam cum Sacramenta sint instrumenta à Christo Domino instituta, ut per illa cum eodem Christo Domino capite nostro uniamur, & conformemur, sequitur quod tanto excellentius erit instrumentum, quanto perfectius suum præstabit effectum, & nobilior rem alio, Minor patet ex dictis per Confirmationem namque elevatur homines ad hoc ut ex officio fidem Christi protestentur, & morte ipsa testificentur, quod non habent, ut patet, per baptismum. Propter hoc cap. *de his, de consecrat. dist. 1.* Confirmatio dicitur. *Sacramentum maius baptismi, & maiori honore, &*



*veneratione habendum.*

Secunda ratio : gratia quæ in Sacramento Confirmationis confertur supra gratiam generatiuam; & virtutes supernaturales, gratiam sanctificantem concomitantes, & ad communem Christianorum statum spectantes, addit specialis in quandam rationem, in ordine ad exercendos quosdam extraordinarios actus supernaturales, ex speciali quodam Spiritus Sancti influxu, nempe fidem Christi Domini profiteri publicè, firmiter, & animosè, coram tyranno, ipsam etiam mortem sustinendo, si opus sit; ergò est nobilior, præstantior, digniorque &c.

Confirmatur præcedens argumentum : quia gratia confirmationis ultra prædicta confert subiecto quandam perfectionem, quæ tribuit speciale ius ad quædam auxilia in ordine ad exercendum prædictos actus ex officio, & ex speciali deputatione, licet enim homo per gratiam baptismalem possit fidem coram tyranno profiteri, & mortem pro illa sustinere, non tamen

hoc unquam habebit ex officio hoc enim Confirmationis munus est, & officium. Atqui hoc grandem denotat Confirmationis excellentiã supra baptismum : Munia namque baptismi communia sunt, omnium propria fidelium; Munia vero Confirmationis particularia sunt, Confirmatorum propria, seu Christi Domini, & Ecclesiæ militum; ergò, &c.

Tertia ratio desumpta ex D. Thoma art. 7. citato potest ad sequentem formam reduci Nam homo per virtutem augmentatiuam maiorem recipit quantitatis, & substantiæ molem, quam fuerat per ipsam generationem consecutus, sed sed Confirmatio augmentatio ni comparatur, & Baptismus generationi, est enim baptismus spirituales generatio, & Confirmatio spirituale quoddam augmentum; ergò homo per Confirmationem maiorem recipit molem spirituales nepe gratiam, quam in baptismo.

Adde confirmationem ex aliis etiam capitibus baptismum excedere. Primo ratione ministri



nistri vt patet. Secundo ratione materiæ, chrisma namque naturalem superat aquam Tertio ratione charitatis abundantioris, quæ tunc datur ad vitam ipsam profundendâ: *Maiorem autem Charitatem nemo habet vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum: In naturalibus substantialis generatio, motum præcedit augmentationis; ergo etiam baptismus præcedere debet Confirmationem; Antecedens admittunt omnes Philosophi; generatio namque motus est ad substantiam, augmentatio vero est motus ad quantitatem: patet autem quod cum motus specificetur à termino, & substantia nobilitate præstet quantitatem, sequi ut quod motus ad substantiam nobilior sit motu ad quantitatem, & per consequens generatio dignior, nobiliorque erit augmentatione. Cōsequentiā patenter colligitur ex D. Thoma, & ex vltima ratione à nobis ex D. Thoma tradita, baptismus namque generationi assimilatur, Con-

firmatio vero augmentaioni.

Respondetur concedendo Antecedens, & negando consequentiam; ratio discriminis est, quia in naturalibus generatio, & augmentatio diuersos habent terminos, substantiam nimirum, & quantitatem at generatio spiritualis, & augmentatio pariter spiritualis non nisi ad accidens spirituale terminantur, nec comparatio baptismi, & Confirmationis fit ad generationem, & augmentationem nudam, sed etiam prout nutritionis continet motum, & sic cum augmentatio, & nutritio maiorem attingant molem, quam attingatur per generationem, optimè inferre potuit D. Thomas, & nos cum illo Confirmationem perfectiorem esse baptismi, & maiorem (vt ita dicamus) gratiæ molem attingere.

Secundum argumentum: Per Sacramentum baptismi tanta, & adeo excellens gratia confertur quod omnia peccata, & quoad culpam, & quoad pœnam dimittitur non sic per Confirmationem; ergo baptismus



prismus, & gratia illius Confirmatione dignitate, & nobilitate præstant: antecedens admittunt Theologi omnes; Consequētia patet, quia quanto gratia est excellentior, tanto magis de pœna peccatis debita relaxat; ergo cum gratia baptismalis totam relaxet pœnam, non gratia Confirmationis, sequitur quod baptismus, & eius gratia, Confirmationem, & eius gratiam supponant.

Respondetur distinguendo Antecedens: gratia baptismi est adeo excellens quod omnia peccata, & pœnas illis debitas relaxet ex intrinseca ipsius gratiæ perfectione, & maioriore illius, & negatur: ex speciali illius gratiæ privilegio & conceditur. Gratia namque baptismalis quantumvis minima, omnem culpam, & omnem pœnam culpæ debitam remittit, ex speciali illius privilegio à Deo concesso, non ex propria, & intrinseca ipsius gratiæ maioriore, & perfectione; Ex hoc solum colligitur quod baptismus superat Confirmationem secundum quid, ratione annexi non ex

intrinseca ipsius baptismi, & effectus eius nempe gratiæ, perfectione. Quod autem remittere omnem culpam, & pœnam sit baptismi privilegium, & non alterius Sacramenti, patet; quia cum in adultis Sacramenta producant gratiam secundum mensuram dispositionis, si quis eadem dispositione baptismum recipiat ac confirmationem, maiorem gratiam recipiet per confirmationem quam per baptismum; & tamen illa minor gratia baptismi illos præstabit effectus remittendi omnem culpam, & pœnam, non tamen gratia confirmationis, quantumvis maior; bene verum est quod hæc alios diuinitimos præstat effectus supra recensitos, præsertim imitandi Christum Dominum in illa nobilissima, & perfectissima ratione testificandi veritatem, etiam propria morte. Igitur si quis recipiat Sacramentum baptismi cum dispositione ut duo; recipiet gratiã verbigratia ut duo & si quis eadem dispositione ut duo recipiat Sacramentum confirmationis recipiet gratiã verbigratia ut tria; ita post alios



alios Nugus art. 7. post 9. conclusionem.

Tertium argumentum: In baptismo totam profiteamur legem Christianam, & per consequens continetur in eo propositum obseruandi omnia Dei, & Ecclesiæ præcepta, & recipiendi omnia Sacramenta; sed hoc est necessarius quam sit recipere Sacramentum confirmationis; ergò &c. Maior ab omnibus admittitur. Minor probatur: quia dum baptisimus est votum omnium Sacramentorum continet eminenter omnium illorum perfectionem, non e contra, inferius namq; non continet superius, sed supponit illud; ergò &c.

Respondetur Sacramentū baptismi continere quidem votum omnium Sacramentorum veluti in radice, ad eum modum quo substantialis generatio continet in radice nutritionem, & augmentationem; non tamen inde sequitur quod sit perfectius illis, ut omnes fatentur, & ipsi aduersarij de Sacramento Eucharistiæ concedunt; imo ex hoc oppositum sequi videtur, quia in tantum Sacramentum baptismi est omnium Sacramentorum votum; in quantum est dispositio illorum, patet autē quod dispositio, inferior est eo ad quod disponit.





DISPVATIO  
 QVARTA  
 DE SVBIECTO  
 CONFIRMATIONIS  
 DEQVE ILLIVS DISPOSITIONE

*vbi etiam de ministro, & ritibus huius  
 Sacramenti.*

**O**MNIA in titulo recensita in vna disputatione coniungimus, tum breuitati studentes, tum quia inter se satis coniuncta videntur. Cum enim Sacramenta non nisi subiecto disposito conferantur, merito de Confirmationis subiecto, deque illius dispositione simul disputabimus: Pariter

quia Sacramenta ministrum requirunt, & speciales ritus, præsertim quando tolemniter ministrantur, ideoque hæc etiam duo post illa inuestigabuntur. Et sic explicata manebunt ea omnia, quæ de Cõfirmationis Sacramento à D. Thoma, & ab eius expositioribus hic pertractantur. sit ergò,



## QVAESTIO I.

*Quodnam sit subiectum cui Confirmationis  
Sacramentum, & valde, &  
licite conferri possit.*

**V**arii fuerunt Priscorum errores hæreticorum circa subiectum Confirmationis; aliqui. n. mulieres excludabant, ex eo, quia hoc Sacramentum ordinet ad pugnandum, & mulieres à bello excludantur, etiam ab hoc Sacramento excludi debent. Alii ob eandem rationem paruulos excludabant cum sint ad arma incepti portanda. Alii mutos excludabant quia Christi Domini fidem confiteri non possunt.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Omnis baptizatus cuiuscumque ætatis sit vel conditionis, vel sexus Sacramenti Confirmationis est capax, licet magis congruat hoc Sacramentum differre vsque ad tempus quo baptizati ratione uti incipiunt. Hæc conclusio duas habet par-

tes: prima est quod omnis baptizatus sit huius Sacramenti capax, secunda quod magis congruum sit hoc Sacramentum differre vsque ad tempus quo baptizati ratione uti incipiunt & secundum utramque est probanda.

Prima pars probatur 1. ex cap. omnes fideles de consecratione, ubi per extensum continetur: 2. ex vsu, & praxi primitiue Ecclesiæ, quæ simul cū baptismo etiam ipsis infantibus Confirmationem conferebat. 3. auctoritate omnium Scholasticorum cum Magistro in 4. dist. 7. & omnium Theologorum cum D. Thoma hic art. 8. in corpore, & in suis ad argumenta responsionibus, & in 4. dist. 7. quæst. 3. artic. 2. quæstiuncula 3. ubi habet. *perfectio in Confirmatione collata non praxigit aliam perfectio-*



nem sed per eam quis in se ipso perficitur, ut sit idoneus ad pugnam spiritualem. Et quia cuiuslibet est conueniens & bonum, ut in pugna spirituali fortitudinem habeat, ideo ab hoc Sacramento nullus excludi debet qui sit baptizatus. Probatur de inderatione Quoniam quicumque est capax effectus Confirmationis, est etiam capax eiusdem Confirmationis; sed quilibet baptizatus in conclusione recensitus est capax effectus confirmationis; ergo & eiusdem confirmationis capax erit. Maior videtur nota: non enim aliunde desumi potest Confirmationis incapacitas quam ex incapacitate effectus illius. Minor probatur: nam effectus Confirmationis potissimus, est duplex, Character videlicet, & gratia, cum propriis huius Sacramenti iuribus nempe ad auxilia illa specialia pro tempore oportuno; Atqui quilibet baptizatus est horum duorum effectuum capax; characteris quidem quia ubi est Character baptismi, ibi & character Confirmationis esse potest; gratia autem, cum illis iuribus nulli repugnat subiecto. Licet enim pueri, verbi gratia non sint, pro eo sta-

tu ante rationis usum, capaces auxiliorum, sunt tamen capaces iurium illorum. Vnde sicut sunt in linea naturali capaces iurium naturalium ut dominii, &c. quare etiam in linea spirituali capaces esse non debent spiritualium iurium.

Secunda conclusionis pars quod magis congruat hoc Sacramentum differre usque ad tempus septenij quo pueri rationis usum habere incipiunt probatur: primo auctoritate Catechismi Roma. de Sacramento Confirmationis ubi habet: *Illud etiam obseruandum est, omnibus quidem post baptismum Confirmationis Sacramentum posse administrari: sed minus tamen hoc expedire fieri, antequam pueri rationis usum habuerint: quare si duodecimus annus expectandus non videatur, usque ad septenium certe hoc Sacramentum differre maxime conuenit.*

Probatur secundo ratione breuiter: Quia ubi Sacramentum non est necessitatis, sed tantum utilitatis, congruum est ob reuerentiam Sacramento debitam, rationis usum expectare; Atqui hoc in nostro casu



casu contingit; ergo &c. Hæc ratio est Concilii Colonienfis parte 7. capit. 9. his verbis; *At antequam infans supra septimum ætatis annum progressus fuerit, parum aut nihil horum quæ aguntur intelligit, ne dicamus meminerit, & cum hoc Sacramentum non sit necessitatis conuenientius, & utilius dabitur, si addatur admonitiuncula, &c.*

Sed petes an possit dari casus in quo congruentius Confirmationis Sacramentum conferri debeat ante rationis vsû. Respondeo cum Laymano lib 5. tract. 3. cap. 5. num. 2. Villalobos, Fillucio, & aliis quos congerit Diana de Sacram. resol. 19. quintuplicem esse. Primus est quando manifestû esset puerum ratione præditum esse, ante septenium. Secundus quando si puer non Confirmatur creditur diu non habiturum occasionem illud suscipiendi Sacramentum: melius namque est præueniri quam diu tanto beneficio priuari. tertius si puer in periculo mortis existens opportunè hoc Sacramentum consequi possit; quia vt docet D.

Thomas in hoc art. ad 4. *et si eo non indigeat moriturus vt præparetur ad pugnam, indiget tamen et crescat, & perficiatur in gratia.* Non lolet tamen communiter nec pueris morituris, nec adultis ministrari, quia non semper vacat Episcopus singulos morientes adire. Quartus si diæcesis vigeat consuetudo paruulos ante septenium Confirmare. Quintus si filius sit Principis.

Sed quid dicendum sit de perpetuo amentibus interrogabit aliquis, & respondeo cû Nugno, Suarez, Conincho, & aliis hic contra Valentiam, hic, & alios; quod perpetuo amentes debeant Confirmari non enim congruum est quod isti gratia priuentur huius Sacramenti, cum per accidens sit illos non esse spiritualiter pugnatos. Quod à fortiori procedit de illis amentibus qui prius vsûm habuerunt rationis, eo enim casu interpretatiuam censentur habuisse voluntatem hoc Sacramentû suscipiendi, nisi de opposito constet, si enim non constet, talis intentio præsumitur; quia



vnusquisque præsumitur bonus, nisi probetur malus. Non esset tamen hoc Sacramentū in hoc casu ministrandum si in peccato mortali in amentiam incidisset, cum tunc non

possit præsumi bonus qui constat esse malus. Quod si sit spes quod amens rationis recuperabit vsum, expectandum esset.

## QVAESTIO II.

*Qua dispositio requiratur in subiecto, Confirmationis Sacramentum, recepturo.*

**B** Reuiter hanc quaestionem expediemus. cum ferè pateat ex iis, quæ de Sacramentis in genere docuimus. Est ergò omnino certū quod ad Confirmationis Sacramentum, & validè, & fructuosè recipiendum à non habente rationis vsum sufficiat, & requiratur baptismus validè receptus; Sacramentū namque Confirmationis baptismi Sacramentum supponit Character Confirmationis Characterem baptismi, & gratia Confirmationis, gratiam baptismi.

Est etiā certum, quod ad

hoc vt adultus qui rationis vsum habet, Confirmationis sacramentum validè recipiat, aliquam intentionem saltem, virtuales, vel interpretatiuā habere debet, modo tamen de Sacramentis in genere explicato. Si suscepturus hoc Sacramentum sit in peccato mortali, licet consultius sit cōscientiam media Confessione purgare, ad id tamen non tenetur, sed sufficet se ipsum probare per contritionem, nec sufficit attritio, nisi in casu quem ponit D. Thomas art. 7. ad secundum. Et quia D. Thomæ verba sunt elegantissima, & pro-



& profundam continent doctrinam placet hic ea per extenlum referre : dicit ergò. *Hoc Sacramentū datur ad cōfirmandū quod prius inuenerit, & ideo nō debet dari his, qui nō habēt gratiā & propter hoc, sicut nō datur nō baptizatis, ita nō debet dari, adultis peccatoribus, nisi per penitentiam reparatis.* Vnde dicitur in Aurelianensi Concilio ut ieiuni ad Confirmationem veniant, ut moneantur confessionem facere prius, ut mundi donum Spiritus Sancti valeant accipere. Et tunc per hoc Sacramentum perficitur penitentia effectus, sicut, & baptismi, quia per gratiam collatam in hoc Sacramento consequitur penitens pleniorē remissionem peccatorum. Et si aliquis adultus in peccato existens cuius conscientiam non habet, vel si etiam non perfectē contritus accedat ( dummodo non scētus accedat ) per gratiam collatam in hoc Sacramento, consequetur remissionem peccatorum. Hæc D. Thomas: quæ verba debent benè retineri, quia valdè confirmant ea, quæ de Sacramento in genere docuimus, quod nimirum Sacramenta

viuorum primam quandoque producant gratiam. Vnde non bene P. Mæratus hic disput. 6. num. 8. postquam retulisset vltima D. Thomæ verba non solum fatetur illi aduersari ( de quo non est curandum ) sed subdit: *Fateor nos aduersari, sed eo in eo in quo omnes ei aduersantur; nimirum in hoc quod si quis bona fide ad hoc Sacramentū accedat, cum peccato tamen mortali, putans se esse contritum; cum sit tantum attritus iustificetur; nam hanc sententiam D. Thomæ, præter eius discipulos sequitur etiam cōmuniter suæ societatis scriptores, quos de sacramentis in Genere retulimus. placet solum referre verba P. Hurtadi de Sacramento in genere disp. 3, difficultate quarta vbi habet. Secundò est difficultas an quinque Sacramenta viuorum conferant primam gratiam aliquādo.* Suarez disput. 7. sect. 2. Aegidius quæst. 62, art. 1. dub. 2. Reginaldus libr. 26. num. 45 Laymannus cap. 6. & plures alij partem affirmatiuam tuentur, quando peccator accedit attritus, existimans bona fide se esse



in statu gratia absque peccato mortali, quia de Diuina clemētia credi potest, quod voluerit sic accedenti conferri primam gratiam. Hęc Hurtadus: Vi-

deat modo Meratius an verū sit se aduersari D. Thomæ in eo in quo omnes ei aduersantur.

## QVAESTIO III.

*Quisnam sit ordinarius Sacramenti Confirmationis Minister.*

**P**rima hæreticorum sententia est ministrum ordinarium Sacramenti Confirmationis esse quemlibet simplicem Sacerdotem, nec bene faciunt Pontifices, & Episcopi, simplices Sacerdotes suo iure priuare. Ita post Vvignephum apud N. Valdensē de Sacramentis cap. 114, & 115 Caluinus lib. 4. suarum Instit. cap. 19. §. 10. Spalatensis lib. 5. de Repub. Ecclesiast. cap. 12. 22. & sequentibus. Item Photius, & quidem alii ex Græcis apud Arcudium de Sacra. lib. 2.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Solus Episcopus est Sacramenti Cō-

firmationis minister ordinarius: Hęc conclusio est de fide definita in Tridentino sess. 7. de Sac. Confirmationis can. 3. vbi dicitur: *Si quis dixerit Sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.* idem dicitur sess. 23: cap. 4. & canone 7. & ante Tridentinū definita hęc veritas fuit in Concilio Constantiensi sess. 8. vbi 44. articuli Vvignephi dānati sunt: quorum hic erat vigesimus octauus: *Confirmacionem iuuenum reseruari Papæ, & Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis, & honoris.* Et in concilio Florentino de Cōfirma-



firmationis Sacramento, ubi dicitur: *Ordinarius minister est Episcopus, & cum ceteras conditiones simplex Sacerdos valeat exhibere, hanc non nisi Episcopus debet conferre*, Et D. Thomas art. 11. refert elegantem Eusebii Papæ auctoritatem, quæ in ipso videri potest.

Probatur optima congruentia; ratio namque à priori in hiis quæ à diuina dependent voluntate haberi non potest: Nam homo per Confirmationis Sacramentum coaptatur in Christi Domini, & Ecclesiæ militem, & in numero militum Christi Domini, & Ecclesiæ conscribitur; Atqui conscribere milites non ad milites pertinet, sed ad duces, ergo hi, & non illi hoc Sacramentum conferre possunt; patet autem, quod Episcopi in Ecclesia ducum locum optinent, & simplices Sacerdotes, militum, &c.

Probatur secundo alia congruentia quæ est D. Thomæ in huius articuli vndecimi corpore: Quia Confirmatio est complementum baptismi; ergò à primario ministro conferri debet. Antecedens pa-

ret; consequentia probatur: quia in omnibus aliis rebus vltima forma à principali agente producitur. Soluuntur argumenta hæreticorum.

Primum argumentum: Contra Sacramenti loquitur dignitatem qui dicit ipsum à dignitate ministri pendere; ergò contra dignitatem Sacramenti Confirmationis loquitur qui asserit non nisi per Episcopum tanquam per ordinarium ministrum conferri posse. Antecedens patet, propterea enim condemnati fuerunt Donatistæ qui id ipsum docebant. Consequentia bene ex antecedenti sequitur: si .n. Sacramentum non pendet à dignitate ministri, parum refert quod minister sit, vel nō sit Episcopus; si enim semel requiratur quod minister sit Episcopus, iam Sacramentum à dignitate ministri dependet: quod erat Donatistarum error,

Responderetur duplicem esse ministri dignitatem moralem vnā, Ecclesiasticam, & iurisdictionis alteram: Contra dignitatem Sacramenti loquitur, qui asserit ipsum pendere à di-



à dignitate morali ministri, & conceditur: erat enim ista Donatistarum frenesis, putabant enim Sacramentum à peccatore administratum nullum esse, propterea quia volebant moralem ministri bonitatem ad essentiam Sacramenti pertinere, & sine illa Sacramentum non esse. Contra dignitatem Sacramenti loquitur, qui asserit ipsum dependere à dignitate Ecclesiastica, & iurisdictionis, & negatur: patet enim quod Sacramentum Altaris non nisi per Sacerdotem fieri potest, & sic dependet à personæ dignitate Ecclesiastica; ut sequenti tractatu dicitur. Et Sacramentum Pœnitentiæ à dignitate iurisdictionis dependet, quatenus sine illa fieri nequit, ut infra de Pœnitentiæ Sacramento explicabitur.

Secundum argumentum: Simples Sacerdotes Apostolis succedunt in Eucharistiæ ministerio; ergò etiam in ministerio aliorum Sacramentorum. Antecedens est certum: in Apostolis namque quando in ultima cœna ordinati fuere, Sacerdotibus om-

nibus spiritualis potestas in Corpus Christi Domini verum data est. Consequentia probatur: concessio namque maiori quod minus est concedi censetur; ergò cum maius valdè sit conficere Corpus Christi Domini verum; quam Confirmationis Sacramentum ministrare, sequitur quod cum illud primum Sacerdotibus omnibus concessum sit, etiam hoc secundum concessum existimandum est.

Respondetur Sacerdotes succedere Apostolis quoad eam potestatem quam in ultima cœna in Corpus Domini verum acceperunt, non vero quoad eam potestatem quam Apostoli à Christo Domino acceperunt post resurrectionem, quando creati fuerunt Episcopi. Apostoli; ergò creati fuerunt sacerdotes in ultima cœna, & in hac dignitate alii succedunt sacerdotibus; post resurrectionem vero creati fuerunt episcopi cum eis dictum est Ioan. 20; *Ecce ego mitto vos, &c.* in qua dignitate non succedunt nisi Episcopi.

Tertium argumentum: Ad  
Timoth



Timoth. 4. dicit Apostolus discipulo: *Noli negligere gratiã quæ data est tibi per impositionem manum Presbyteri.* Vbi Apostolus hortatur Discipulum Timotheum ne negligat Confirmationis Sacramentum quod à Presbytero acceptat. Et Actorum 9. de Anania dicitur, quod imposuerit manus super Saulum, cum tamen non esset Episcopus: per manuum autem impositionem Confirmationis Sacramentum intelligitur.

Respondetur primo, illum locum Apostoli intelligi posse de ordinatione Timothei in Episcopum in qua plures con-

currunt Episcopi ponentes manum supra ordinarum, & sic nomine Presbyteri Episcoporum chorus ordinarum intelligitur, vt intelligit D. Chrysostomus, & alii ibidem.

Respondetur secundo intelligi etiam posse illum locum de Sacramento Confirmationis quod ab Episcopo acceptat sub nomine Presbyteri, aliquando enim Presbyteri nomine Episcopus venire potest. Vel etiam dici potest, quod nomine Presbyteri simplex Sacerdos intelligatur à quo Timotheus illud Sacramentum ex dispensatione acceptat vt mox subiungam.

## QVAESTIO IV.

*An simplex Sacerdos ex dispensatione possit esse Sacramenti Confirmationis Minister.*

**C**onueniunt Theologi contra Panormitanum apud Syluestrum V. *Confirmatio diuina*, Angelum V. *Consecratio*, & Glossam in capit. *manus*

de consecratione dist. 5. quod nec Laicus, vt vult illa Glossa, nec Diaconus, nec Subdiaconus, nec vllus illis inferior ex Summi Pontificis delegatione



tionem possit validè Confirmationis Sacramentum ministrare. Cuius rei elegantem tradit rationem D. Thomas 4. dist. 7. quæst. 3. art. 1. quæstiuncula 3. dicens: Sciendum, quod cum Episcopatus non addat aliquid supra Sacerdotium per relationem ad Corpus Domini verum, sed solum per relationem ad corpus mysticum Papa per hoc quod est Episcoporum summus, non dicitur habere plenitudinem potestatis per relationem ad Corpus Domini verum, sed per relationem ad corpus mysticum, & quia gratia sacramentalis descendit in corpus mysticum à capite, idè omnis operatio in corpus mysticum sacramentalis, per quam gratia datur, dependet ab operatione sacramentali super Corpus Domini verum. & ideo solus Sacerdos potest absoluerè in foro penitentiali, & baptizare ex officio. Et ideo dicendum, quod promouere ad illas perfectiones, quæ non respiciunt Corpus Domini verum, sed solum corpus mysticum, potest à Papa qui habet plenitudinem pontificalis potestatis committi Sacerdoti, qui habet actum sum-

um super Corpus Domini verum, non autem Diacono, vel alicui inferiori, qui non habet perficere Corpus Domini verum, sicut nec absoluerè in foro penitentiali. Ex quibus verbis colligitur ex D. Thomæ mente commissionem Sacramenti Confirmationis administrandi Sacerdotalem characterem supponere, sicut potestas conficiendi Corpus Christi Domini verum, & absoluendi in foro penitentiali.

Conueniunt etiam Theologi contra Ledesmam à Suarrio, & Valentia hic relatam, non posse simplicem Sacerdote ex commissione alterius, Summo Pontifice inferioris, Sacramentum Confirmationis ministrare, cum enim ex institutione Diuina Episcopus fit huius Sacramenti minister, non potest idem Episcopus hanc facultatem suam simplici committere Sacerdoti. Sed dices Episcopum in sua diacesi posse quicquid potest Pontifex in tota Ecclesia; at qui vt mox subiiciemus Pontifex potest hoc ministerium simplici Presbytero committere pro tota Ecclesia; ergo etiam Episcopus



scopus poterit id ipsum committere pro sua diœcesi. Tum quia in Concilio Toletano 1. can. 20. legimus Presbyterum posse absente Episcopo, vel præsentem, de eius facultate Confirmationem ministrare. Item Innoc. 1. dicit epist. 1. cap. 6. posse Presbyterum manus imponere absente Episcopo. Item Martinus Papa cap. *Omni tempore*, de consecrat. dist. 4. & capit. Presbyter 95. dist. ita loquitur: *Presbyter præsentem Episcopo non signet infantes, nisi ab Episcopo fuerit ei præceptum*. Respondetur namque ad primum, maiorem esse veram de iis, quæ potest facere Pontifex ratione ordinis, & consecrationis Episcopalis, secundum quam rationem cum cæteris convenit Episcopis; secus de ijs quæ Pontifici conveniunt quæ Pontifex est; nam ut ex alibi dicendis patebit, hæc Pontificis potestas ad plura se extendit quam se extendat potestas Episcopalis.

Ad omnia testimonia citata vno verbo respondeo, loqui de vntione chris-matis quæ in vertice baptizati fieri solet, quæ præsentem Episcopo à Pre-

sbytero fieri non debet, nisi fuerit ius ab eodem Episcopo; licet cum non sit modo in usu Episcopos baptizare, sed Parochorum manus sit, de Episcopi licentia pro tali vntione non curatur. His suppositis.

Difficultas præsens ad hoc unum reuocatur, an simplex Sacerdos de ipsius Pontificis Summi commissione possit & validè, & licitè hoc Sacramentum administrare.

Prima sententia docet Summum Pontificem non posse hanc facultatem facere simplici Sacerdoti, ut Confirmationis Sacramentum administret, & si id tentaverit Sacramentum erit nullum. Ita Durandus in 4. dist. 7. quæst. 3. & 4. Adrianus de Confirmatione art. 3. & alij plures tum ex antiquioribus, tum ex modernioribus. Quorum fundamenta postea referemus, & soluemus.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Simplex sacerdos potest ex summi Pontificis concessione esse Confirmationis minister. Hæc conclusio est certissima, quam docent omnes scolastici cum



Magistro, & omnes Theologi cum D. Thoma loco supra citato, & clarius hac quaestione 72. art. 1. ad primum ubi habet: *Dicendum quod Papa in Ecclesia habet plenitudinem potestatis, ex qua potest quaedam qua sunt Superiorum ordinum committere quibusdam inferioribus, sicut quibusdam Presbyteris concedit conferre minores ordines, quod pertinet ad potestatem Episcopalem. Ex hac plenitudine potestatis concessit B. Gregorius Papa quod simplices Sacerdotes hoc Sacramentum conferrent, quandiu scandalum tolleretur.* Hæc D. Thomas: factum B. Gregorij quod hic refert D. Thomas habetur lib. 3. epistolarum epistola 26. eiusdem Gregorij, & refertur cap. *peruenit* dist. 95. ubi Sardinia Sacerdotibus indulget hoc Sacramentum conferre, ubi desunt Episcopi. Verba Gregorij sunt. *Ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiã in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant concedimus.*

Probatur primo conclusio ex decreto Eugenij in Concilio Florentino, ubi determi-

natur ministrum ordinarium esse solum Episcopum, & simplicem Sacerdotem ex Pontificis commissione hisce verbis: *Aliquando simplicem Sacerdotem, per Sedis Apostolicæ dispensationem, ex rationabili & admodum urgente causa, hoc Sacramentum administrasse.* Vbi licet loquatur de præterito eadem tamen est ratio de futuro; si enim semel potuit hoc Sacramentum validè per simplicem Sacerdotem ex Pontificis dispensatione ministrari, omni tempore fieri poterit; quod enim semel fieri potuit, eadem subsistente causa semper fieri poterit.

Probatur secundo ex Concilio Senonensi Anno Domini 1528. celebrato, in decretis morum cap. 38. ubi docet quod licet Confirmationis Sacramentum à Christo Domino institutum solis Episcopis sit referuatum, ex privilegio Summi Pontificis etiam Abbatibus (& per consequens etiam alijs Presbyteris) posse concedi & sic statuit, *ut prædicti Abbates requisiti à suffraganeis Episcopis, de prædicto privilegio fidem facere teneantur.*

Pro.



Probatur tertio ratione de sumpta ex citato D. Thomæ testimonio : Qui plenitudinē habet potestatis in Corpus Domini mysticum post eorū Sacramentorum dispensationem alijs committere, quorum actus versantur circa idem Corpus Domini mysticum ; Atqui Summus Pontifex habet plenitudinem potestatis in Corpus Domini mysticum, & ex alia parte actus Sacramenti Confirmationis versantur circa idem Corpus Domini mysticum ; ergo Summus Pontifex poterit alijs hoc Sacramentum committere, non alijs nisi sacerdotibus ; ergo &c. Maior est D. Thomæ ; quoad enim relationem circa Corpus Christi Domini verum nec Episcopus, nec Papa addit aliquid supra potestatem quam simplex sacerdos habet, quoad enim hoc æquiparantur sacerdotes cum Episcopis cum Pontifice ; solum ergo Pontifex plenitudinem habet potestatis supra Corpus Domini mysticum, qui autem habet plenitudinem potestatis supra aliquid, potest alteri, vel partem, vel

totam committere. Minor etiam patet : summus namque Pontifex est Christi Domini Vicarius in terris quoad potestatem in corpus mysticum. Similiter sacramentum Confirmationis versatur circa Corpus Domini mysticum, nam huius sacramenti potissimus actus est fidem confiteri in Ecclesiæ ædificationem. Quod autem talis commissio non possit fieri nisi sacerdoti patet : quia actus per quem causatur gratia in ordine ad Corpus Domini mysticum supponit potestatem in ordine ad Corpus Domini verum, sed solus sacerdos habet potestatem in ordine ad Corpus Domini verum ; ergo soli sacerdoti potest potestas committi in illas sacramentales operationes, per quas gratia causatur in Corpus Christi mysticum. Propter quam rationē D. Thomas vult posse summum Pontificem committere simplici sacerdoti facultatem minores ordines conferendi, non maiores, quia minores pertinet potius ad Corpus Domini mysticum, quam verum, secus maiores ; ideoque non



hi, sed illi simplici Sacerdoti committi possunt. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum: De essentia Sacramenti sunt materia, forma, & minister ex Christi Domini deputatione; sed Summus Pontifex non potest materiam, & formam à Christo Domino deputatam mutare; ergò neque ministrum ab eodem Christo Domino deputatum. Sed minister Confirmationis ex Divino iure deputatus est solus Episcopus ergò non potest à Pontifice alius assignari; quod solus Episcopus sit ex Christi Domini institutione deputatus minister Confirmationis, admitunt omnes, alioqui si etiam simplex Sacerdos esset minister deputatus, & solum ab Ecclesia prohibitus posset validè tale Sacramentum administrare, non tamen licitè.

Respondetur concedendo totum primum argumentum, & negando minorem subsumptam, nimirum quod minister ex Christi Domini institutione deputatus ad Sacramentum confirmationis conficien-

dum sit solus Episcopus; nam essentialis huius Sacramenti minister est, vel Episcopus, vel simplex Sacerdos habens tamen Pontificis commissionem, vnde simplex Sacerdos ante talem commissionem non erit huius sufficiens Sacramenti minister, post illam ita est idoneus, ut & validè, & licitè illud conferre possit. Sicut simplex Sacerdos idoneus efficitur Sacramenti Pœnitentiæ minister, iurisdictione habita, cum antea nequaquam esset.

Secundum argumentum: conferre Sacramentum Confirmationis non convenit Pontifici, & Episcopis ratione iurisdictionis, sed ratione consecrationis, sed quæ conveniunt ratione consecrationis Pontifici, & Episcopo, alteri committi non possunt; ergò &c. Maior est certa; nam si conferre hoc Sacramentum conveniret Pontifici, & Episcopis ratione iurisdictionis, sequeretur Pontificem, & Episcopum quando solum sunt electi, & nondum consecrati possent hoc Sacramentum conferre; patet enim quod  
quæ



quæ sunt iurisdictionis in Pontifice, & Episcopo possunt ante consecrationem exerceri; unde Episcopus nondum consecratus facultatem audiendi confessiones concedere potest, & idem de alijs iuribus iurisdictionis, &c. Minor patet, nam Diaconus communicare non potest alteri Diaconatum, nec Sacerdos alium consecrare potest sacerdotem, nec Episcopus præcisè Episcopum, ut benè aduertit Durandus vbi supra contra aliquos quos supræssio nomine ibi citat, qui dicunt tantam esse Papæ auctoritatem quod quilibet potest ex eius commissione conferre alteri Sacramentum quod habet, ut Diaconus Diaconatum, Baptizatus Baptismum, Confirmatus Confirmationem, &c. est enim contra caput penultimum *S. aqua*, extra de consecratione Ecclesiæ, vel Altaris.

Respondetur quod conferre Sacramentum Confirmationis conuenit Pontifici, & Episcopo non ratione iurisdictionis, ut patet, sed consecrationis, & hoc ut ministris

ordinarijs; simplici vero Sacerdoti ratione consecrationis Sacerdotalis, & simul commissionis, quam commissionem potest facere Pontifex non consecratus, sed electus, & nondum Sacerdos, ut aduertit Coninchus hic art. 11. num. 109. licet ipse confirmare non possit. Sicut Episcopus non sacerdos validè dat Sacerdoti potestatem audiendi confessiones, ut dicebamus: Neque hoc mirabile videri debet, quia dubio procul potuit Christus Dominus Sacramentum sic instituere quod episcopus, & Pontifex qua Episcopus est, habeat ex sua ordinatione completam potestatem conficiendi hoc Sacramentum, & quod Sacerdos simplex illum habeat ex sua ordinatione solum veluti inchoatam, quæ postea ex Pontificis commissione compleatur non per additionem entitatis realis, sed per realem deputationem.

Tertium argumentum: Summus Pontifex maiorem non habet potestatem in collatione Sacramenti Confirmationis quam habeat Episcopus;



scopus; sed Episcopus per nos non potest simplici sacerdoti suam delegare potestatem ad hoc sacramentum conferendum; ergo neque Pontifex. Maior clarescit ex dictis; in ijs enim quæ sunt consecrationis Pontifex non præcedit Episcopum, sed in ijs dumtaxat quæ sunt iurisdictionis. De minori nulla est difficultas, per ea quæ contra Ledesmam docuimus. Consequentia ex præmissis benè sequitur.

Respondetur, quod licet Pontifex maiorem non habeat potestatem supra Episcopum in huius Sacramenti collatione, habet tamen maiorem potestatem in concedenda potestate alteri de huius Sacramenti administratione, & hoc non ob aliquam à priori rationem, sed ob Christi Domini voluntatem, & institutionem, quæ nobis ex Ecclesie praxi innotescit, cum non videamus Episcopum vnquam simplici sacerdoti huius sacramenti ministerium committentem, sicut videmus Pontificem, ad quod faciunt textus, & ratio ex D. Thoma

ad ducta quæ licet non sit à priori, & omnino conuincens, valdè tamen efficax est, vt patet.

Ex dictis inferuntur aliqua adnotatione dignissima.

Inferitur primo Pontificem non posse licitè hanc potestatem facere simplici sacerdoti sine rationabili causa, validè tamen facere potest: ita Coninchus, Nugnus, & alij communiter: quod talis concessio sine iusta causa sit valida, patet, quia non est dispensatio in aliqua lege diuina, quæ secundum veriore sententiam sine iusta causa nulla est, sed est concessio cuiusdam potestatis, similis illi qua alicui iurisdictioni conceditur, ad absoluendum à peccatis, quæ etiam sine iusta causa collata valida est, alioqui cruciarentur fideles suspicantes an ille à quo absoluuntur sufficientem habeat iurisdictionem ex defectu iustæ causæ, &c. Quod autem talis facultatis concessio sine iusta, & rationabili causa sit illicita, & peccet grauius Pontifex illam sic concedendo, patet. Quia cum Christus Dominus solam Episcopum



scopum Confirmationis ministrum instituerit, noluit extraordinarium assumi, nisi in casu alicuius necessitatis, ac proinde nisi adsit rationabilis causa; & per consequens si sine tali rationabili causa Pontifex simplici committat Sacerdoti huius Sacramenti ministerium grauiter peccabit: videatur Nugnus, & alij hoc loco.

Infertur secundo potestatem à Pontifice collatam simplici Sacerdoti, tandiu manere, quandiu non reuocatur; vnde non cessat nec morte concedentis, nec cessata causa ob quam fuit concessa. Ratio est, quia illa potestas nec pendet à vita Pontificis, nec pendet à causa; ab eo namque pendet in conseruari à quo pendet in fieri, sed in fieri nõ dependet à vita Pontificis licet illam supponat, sed ab eius potestatis excellentia, nec à causa, cum sine illa validè cõcedi possit. Tum quia est regula generalis quod gratia Principis morte concedentis non expirat, vt tradit Sanchez lib. 8. de Matrim. disp. 28: n. 64. Limita nisi illa potestas es-

set solum concessa ad ministrandum hoc Sacramentum, solum certis quibusdam personis: tunc enim temporis eo expleto munere, se ipsa talis facultas expiraret.

Infertur tertio Confirmationis collationem esse actum ordinis aut Episcopalis si fiat ordinaria potestate, aut sacerdotalis, si fiat ex Pontificis commissione. Vnde simplex Sacerdos nulla consuetudine præscribere potest vt validè confirmet sine tali commissione, potestas namque ordinis nulla consuetudine acquiri potest, sicut potest potestas iurisdictionis; ita colligitur ex cap. *Quanto* de consuetudine.

Petet hic aliquis an omnis Episcopus, & omnis a Pontifice delegatus possit quoscunque confirmare. Et respondeo affirmatiuè de Episcopo quoad validè, & etiam de delegato à Pontifice, nisi sit ad certas (vt dicebam) personas, talis delegatio facta Quoad licitè vero, vnusquisque suos dumtaxat subditos confirmare potest, nisi adsit tacitus Episcopi consensus il-



lius qui confirmatur; qui consensus præsumitur primo: quãdo vnus Episcopus dat alicui litteras dimissorias vt ab alio Episcopo ordinetur, si enim ille confirmatus non sit, præsumitur consensus illius episcopi vt confirmetur; qui enim concedit finem concedere, censetur ea quæ conducunt ad consecutionem illius finis: ita Layman. lib. 5 tract. 3. cap. 6. num. 2. Facundez, & Zambranus apud Dianam de Sacram. resol. 24. secundo talis consensus præsumitur,

quando Episcopus in sua Diœcesi confirmat, & subditi alterius Episcopi consueunt; tunc enim præsumitur gratum fore proprio Episcopo, & sic nullam culpam incurrit confirmans, centuram nullam, nisi aliunde constaret non fore gratum proprio Episcopo illorum qui confirmantur Genuensis in Manuali Prælatorum cap. 54. num. 7. Barbosa de Potest. Episc. par. 2. allegat. 30, num. 12. contra Bonac. disp. 3. quæst. vnica. punct. 2. num. 11.

## QVAESTIO V.

*De ritibus Sacramenti Confirmationis; vbi etiam de Patrino.*

**D** Thomas art. 12. quæstione 72. quærit an ritus Sacramenti Confirmationis sint conuenientes, & respondet affirmatiuè, & probat ex illa promissione Matth 18. *Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Et ideo*

(inquit Angelicus) *firmiter tenendum est quod ordinationes Ecclesie dirigantur secundum sapientiam Christi. Et propter hoc certum esse debet, ritus quos Ecclesia obseruat in hoc, & in alijs Sacramentis, esse conuenientes. Quia tamen nostri temporis hæretici aliquos*



quos ex illis impugnant, & irident, oprere prætium duxi omnes principales, referre, & ab hæreticorum impugnatione, vel irrisione, qui impugnantur, & irideretur vendicare.

Primus ergò ritus est balsami benedictio quæ ab Episcopo orationibus, & benedictionibus per signum Crucis perficitur, cuius ritus si pars aliqua notabilis omittatur graue peccatum erit, si aduertenter fiat, vt aduertit Nugnus in commentario art. 12. citati, & docent alij communiter.

Secundus ritus est benedictio Olei, quæ similiter fit orationibus, & benedictionibus, & postea Episcopus cum 12. Sacerdotibus illi assistentes anhelat super os ampullæ. De qua cæremonia Calvinus lib. 4. suarum institut. Kemnitius, & alij eiusdem farinae hæretici dicunt: *illam materiam fatido anhelitu inquinari, & per consequens, illam cæremoniam non esse conuenientem, sed ridiculam.* Sed decipiuntur hæretici, quoniam hæc cæremonia Catholicæ est, antiquis

sima, & ritè introducta, vt probant Isidorus, Alcuinus, Amalarius; Rabanus, Rubertus, & alij qui de Diuinis scripserunt officijs, & fundamentum grande habet in Euangelio Io. 20. vbi Christus Dominus insufflauit in Apostolos, vt super illos Spiritus Sanctus descenderet.

Tertius ritus est balsami, & olei mixtio, quam facit episcopus immittendobalsamum in olei ampullam proferendo illa verba: *hæc commixtio liquorum fiat omnibus ex ea per runcis propitiatio, & custodia salutaris in secula seculorum.* Qua commixtione facta Episcopus capite demisso salutat chrisma dicens: *Auè Sanctum Chrisma* - & osculatur ampullæ labrum. Hunc etiam ritum impugnant prædicti hæretici dicentes, Episcopum per talem salutationem idolatriæ peccatum committere, rem adorando, & salutando inanimatam: alij dicunt istum ritum esse ridiculum, cum res inanimata salutetur. Sed hæc sunt hæreticorum deliramenta, cum certum sit illum ritum introductum esse ob



Chriftatis reuerentiam cum res sacra fit, & vim habeat vt instrumentum Dei sanctificandi; nec etiam est nouam in gratulationis signum res etiam inanimata salutare; vt fecit D. Gregor. Nazianzenus oratione ad 50. Patres dicens; *Dum se abdicat Episcopatu, uale Cathedra, Templo, Psalmodie dicit*; idem fecit D. Hieronym. in epist. de obitu Paulæ; & Apostolus Andreas uidens Crucem illam salutauit, dicens. *O Crux pretiosa iam concupiscenti animo preparata, &c.* & Ecclesia eandem salutatur Crucem, dicens: *O Crux aue spes unica &c.* & fidelium usus est non solum Crucem, verum etiam sacras salutare Imagines Christi Domini, Sanctissimæ Virginis, & Sanctorum; & tamen nulla in his reperitur idolatria, nec ars magica.

Quartus ritus est, quod chrisma tali fiat tempore nempe in feria quinta maioris hebdomadæ. Licet enim D. Thomæ temporibus omni tempore fieri posset, postea autem usus Ecclesiæ obrinuit vt non nisi feria 5. Maioris

hebdomadæ fiat; quod tempus variari non debet sine graui noxa, nisi aliunde necessitas urgeret, eo quod tempore eo fieri non potuerit, v.g. ob tyranni persecutiones; & necessum sit chrisma conficere ad confirmandos fideles pro eo necessitatis tempore, crudelis uidelicet persecutionis. Videatur Nugus hic; ubi optimè arguit Suarez eo quod dicat contra D. Thomam semper fuisse obligationem conficiendi chrisma ea feria quinta.

Quintus ritus est loci circumstantia vt fiat in loco præbyterij vt notatur in Pontificali Romano, & ab Episcopo celebrante: quod obseruari debet, nisi grauis urgeat necessitas, vt nec possit chrisma consecratum aliunde asportari, nec possit cum tali solemnitate consecrari: & hi sunt potissimi ritus conficiendi chrismatis. Sunt postea alij ritus qui seruantur in huius Sacramenti administratione.

Primus est circumstantia temporis de qua dicit D. Thomas in solutione ad primum, quod licet olim esset usus vt

con-



conferetur hoc Sacramentum in Palchate, & Pentecoste, quibus temporibus erat vsus baptizare, tamen, *quia hoc Sacramentum à solis Episcopis datur, qui non sunt semper præsentés, ubi Presbyteri baptizant oportuit quantum ad communem usum Sacramentum Confirmationis etiam in alia tempora differri.*

Secundus ritus est circumstantia loci; de qua circumstantia sunt duæ sententiæ extremæ: prima est Didaci Nugni, quod debeat omninò fieri Sacramentum in Ecclesia ante Altare Maius, & quod hoc Sacramentum extra Ecclesiã ministrare sit peccatum mortale: Altera est Paludani in 4. dist. 7. quæst. 3. Suarez, & est communis inter modernos, quod sine vilo peccati mortalis periculo hoc Sacramentum conferri possit in alio quocunque decenti loco, quod verum puto quando esset magnus confirmandorum concursus. Vnde aliquando obseruavi confirmandorum lineas incipere ab Altare Maiori, & protrahi per aliquot spatium extra Ecclesiæ fores:

tantus erat confirmandorum numerus &c.

Tertius ritus est, quod Episcopus sit indutus vestibus sacris, nempe cum Pluuiali, Mitra, & Baculo Pastoralis: de quo ritu digladiantur scribentes: an Episcopus Confirmationis Sacramentum ministrando sine vestibus sacris peccet mortaliter. Nam ex vna parte Didacus Nugnus hoc art. 12. non audet Episcopum mortalis peccati condemnare. Idem dicit P. M. Candidus disput. 1. art. 10. dub. 27. Ex alia parte Antoninus Diana p. 7. tract. 10. re. fol. 31. grauitè inuehitur contra Nugnum, & Candidum probando esse peccatum mortale Episcopum hoc Sacramentum conferre sine vestibus sacris.

Circa quam rem mihi imprimis certum videtur quod si Episcopus vnã solum, vel alteram tantum vestem omittat ex iis quæ in Rituali Romano præscribuntur pro confirmatione ministranda, nõ peccabit mortaliter, vt idem Diana fatetur vbi supra, ratione paruitatis materiæ: sicut sacer-



sacerdos in faciendo sacro mortaliter non peccabit omit- tendo Manipulum, vel Cin- gulum. Similiter non pecca- ret mortaliter qui Sacramen- tum extremæ vnctionis sine Rocchetto, vel Cotta, cum sola Stola administraret pro- pter eandem materiæ parui- tatem. Idem puto dicendum de Parocho ministrante Sa- cramentum Baptismi solem- niter cum sola Stola, sine Cotta, vel Rocchetto. Secū- do etiam mihi certum videtur quod si Episcopus aliqua vr- gente necessitate Confirma- tionem administraret sine ve- stibus sacris, non peccaret mortaliter; sicut non peccat Parochus baptizando, vel extremam vnctionem confe- rendo necessitate urgente si- ne iisdem vestibus sacris. Si vero Episcopus solemniter, nulla urgente necessitate, con- firmaret, sine vllis sacris ve- stibus mortaliter delinqueret relinquendo ea quæ ad orna- tum, & decentiam huius Sa- cramenti pertinent, & facien- do contra præscriptum San- ctæ Romanæ Ecclesiæ in re graui: & hoc est quod vult

Diana ibidem, & non nega- bit Nugnus, & Candidus. Di- xi solemniter; quia si priuatim hoc faceret fortè non pecca- ret mortaliter, & hoc est quod vult Nugnus, & Candidus, & non negabit Diana; cum enim iste ritus ad substantiam hu- ius Sacramenti non pertineat sed solum ad accidentalem cæ- remoniam, nisi sequatur scan- dalum, & grauis fiat irreue- rentia, vt non fit quando pri- uatim administratur.

Quartus ritus, sunt quædã orationes quas fundit Epi- scopus antè, & post Sacra- menti collationem; quas ora- tiones si relinquat Episcopus sine necessitate venialiter, vt vult Nugnus, delinquet. Quin- tus ritus est post chrisma- tis vn- ctionem ligare Confirmati ca- put linea vitta, quæ vel relin- quitur quandiu Chrisma ex- ficatur, vel paulo post aufer- tur, & frons lauatur, & vitta, in prophanos vsus non verti- tur. Sexto ritus, est quod confirmatus ab aliquo tenea- tur, & hoc vt vult Nugnus, & sub graui culpa: vel vt vult Quintana tom: 2. singul. 7. solum sub veniali, & sub nulla ratio-



ratione necessitatis : debet esse diuersus ab eo quis renuit in baptismo ; licet sit etiam probabile quod possit idem deferuire ; vnus debet esse secundum communem , & secundum alios vnus , & vna vt in baptismo ; vel etiam vir , vel fœmina . non contrahit obligationem Patrinus instruendi Confirmatum , sicut Patrinus Baptismi , sed tantum cognitionem cum Confirmato , & eius parentibus dummodo Confirmatum tangat : An autem Religiosi , & Moniales possint esse Patrini Sacramenti Confirmationis ( idem dic de Sacramento Baptismi ) diximus supra de Baptismo quia prohibitiones , solum Monachos afficiunt non mendicantes vt testatur Diana cum alijs de Sacram. resol. 21. Ad dit Quintana tom. I. tract. I. singulari vltimo , quod etiam dato , quod nomine Monachorum venirent etiam mendicantes adhuc hoc non obstaret . Primo quia non est

absoluta prohibitio , sed solum exhortatio , quia ita solum in alijs rebus afferunt exhortationem illa verba , *Non licet* ; Secundo quia dato , quod prohibitionem contingerent , iam cessasset , cum cessauerit illius causa prohibitio- nis ; & erat , quia mos erat tunc temporis quod compadres oscularentur Comatres quod regulares dedecebat .

Septimus ritus est , quod Episcopus alapa percutiat Cōfirmatum leuiter tamen , vt huius Sacramenti receptionis memoriam habeat , ne illius fiat repetitio . Et hunc ritum omittere , veniale solū erit vt omnes volunt , cum non sit cœremonia grauis .

Octauus , & vltimus ritus est , quod Episcopus totius Ecclesiæ nomine dat Confirmato osculum pacis ; quod omittere solum veniale erit , propter mox dictam rationem . Et hæc de Confirmationis Sacramento dicta sufficiant .





TRACTATUS  
 QVARTVS  
 DE VENERABILI  
 EVCHARISTIAE  
 SACRAMENTO.



DE summo illo, & longè Sacratissimo Sacramento e iste Tractatus quo Sancta Mater Ecclesia nihil dignius habet, nihil admirabilius, nihil efficacius, salubriusne. Hoc Sacramentum maximum summumque est Dei donum, cum ipsum omnis gratiae fontem auctoremque contineat. Maius beneficium optare non potuissemus, quam quod Christus Iesus Dominus noster;



ster de Virgine Matre natus, pro nobis Cruci affixus, & in Gloriam Dei Patris assumptus, ita se nobis totus largitur, vt Corpus eius, Sanguinem que sumamus; illique per hoc Diuinum Sacramentum incorporemur. Hoc Sacramentum est illa Cælestis domus quam sibi æterna sapientia ædificauit Prou. 9. ad quam animæ inuitantur fideles, illis verbis: *Venite comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis.* De hoc Sacramento cecinit Regius Psalter Psal. 110. *Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors, & miserator Dominus escam dedit timentibus se:* de hoc cõuiuio dicitur Eldræ 25, *Faciet Dominus exercituum conuiuium pinguum, & vinidimia defecata.* & Zecch. 9. *quid bonum est, & quid pulchrum, nisi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines?* Hoc Sacramentum est verus Agnus Paschalis, anniculus, sine macula qui festinanter comedi debet cū sit *Phase* (hoc est transitus Domini) Est Cæleste illud manna non per Angelorum ma-

nus, sed per manus Domini Angelorum fabricatum, omni dulcedine, & suauitate repletum. Est panis subcineritius, quo mysticus Elias, nempe fidelis anima ad montem peruenit Dei Oreb. Est donum, excellentissimum, animæ cibibus, Antidotum contra peccata, Symbolum vnitatis: Quæ omnia maxima cum elegantia compræhendit Tridentinum sess. 13. cap. 2. dicens. *Ergo Saluator noster, discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo diuitias Diuini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum: & in illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit, suamque annunciarẽ mortem, donec ipse ad iudicandum mundum veniat. Sumi autem voluit Sacramentum hoc, tanquam spirituales animarum cibum, quo alantur, & confortentur viuentes vita illius, qui dixit: Qui manducet me, & ipse viuet propter me: & tanquam antidotum quo liberamur à culpis venialibus, & à peccatis mortalibus præseruemur.* Pignus præte-



vea felicitatis, adeoque symbo-  
lum unius illius corporis cuius  
ipse caput existit, cuique nos  
tanquam membra arctissima,  
Fidei, Spei, & Charitatis con-  
nexionem adstrictos esse voluit,

ut id ipsum omnes diceremus,  
nec essent in nobis schismata,  
&c. De hoc ergo tam mira-  
bili, tamque Diuino Sacra-  
mento præsens tractatus erit.  
Sit ergo.





DISPV TATIO  
 P R I M A,  
 D E R A T I O N E  
 S A C R A M E N T I  
 E V C H A R I S T I A E.

**V**arijs effertur nominibus, ob eius excellentiam, Sacramentum Eucharistiæ: secundum namque quod est signum commemoratiuum Dominicæ passionis *sacrificium* nuncupatur; quatenus hoc Sacramentum in eodem sacrificio conficitur, continetur, & offertur, *Hostia pura, Hostia Sancta, & immaculata* dicitur: Secundum vero quod hoc Sacramentum consideratur respectu rei præsentis, nempe Ecclesiasticæ unitatis cui per hoc Sacramentum aggregan-

tur fideles, *synaxis*, vel *communio* dicitur, *communicatio, & participatio Corporis Christi*: Si vero hoc Sacramentum consideretur secundum quod est gloriæ futuræ prognosticum, *viaticum* nuncupatur, quia nobis viam parat ad illam æternam felicitatem: ob idque Eucharistia dicitur, id est bona gratia: quia *gratia Dei vita æterna*: vel quia continet illum qui est plenus gratia, vniuersorum fons charismatum; vel quia pro his omnibus gratiarum actionem, laudem, & gloriam summam, Deo summo



agere debemus, iuxta illud Apostoli ad Colloss. 1. cum gaudio gratias agentes Deo Patri qui nos dignos fecit in partem sortis Sanctorum: vel quia nihil est hoc Sacramentum nisi gratia, quod tangimus, quod videmus, quod gustamus: vel quia est gratia caris, & amicis præparata, cant. 3. comedite amici, & bibete, vel quia non nisi bonam operatur hoc Sacramentum gratiam. Appellatur Corpus Dominicum, seu Sa-

cramentum Corporis, & Sanguinis Domini, ratione rei in hoc Sacramento contentæ. Appellatur Sacramentum Altaris à loco in quo conficitur, Appellatur Cæna Domini à tempore quo fuit hoc sacramentum institutum: alijs etiam decoratur hoc sacramentum nominibus; hæc tamen sunt frequentiora, & magis in usu; huius Divinissimi sacramenti rationem, in hac prima disputatione inuestigabimus, prius tamen sit.

## QVAESTIO I.

*An Eucharistia sit Sacramentum, & an ab alijs distinctum.*

**L**icet tam multi, tamque varij fuerint hæreticorum errores circa Eucharistiam, nullus tamen hæreticorū vsque modo ausus est à ratione Sacramenti Eucharistiam expungere, malè quidem de Eucharistia senserunt multi, realem præsertim negando Christi præsentiam. Vnde

& ipse Mahometus capit. 4. Alcorani fatetur Eucharistiam esse veneratione dignam, licet reprehendat Christianos quod in Eucharistia eum deuorent, quem Deum esse dicunt. Et Lutherus qui tantum vnicum posuit Sacramentum à Christo Domino institutum, voluit hoc esse Eucharisti-



ristiam. Et Calvinus qui duo nouæ legis posuit Sacramenta dumtaxat, vnum voluit Eucharistiam. Et Malencthon qui posuit quatuor, vnum vult esse Eucharistiam. Et tandem Posthelus qui posuit sex, primum locum dedit Eucharistiæ; & sic circa primam dubij partem facile erit se expedire dicendo. *Eucharistiam esse nouæ legis Sacramentum.* Hæc conclusio est de fide.

Probatur primo ex sacris litteris. Matth. 26. Luc. 22. Marc. 14. 1. ad Cor. 11. Secundo ex Conciliis Lateranensi sub Innocentio III. & refertur capit. *Firmiter, de Summa Trinitate.* Florentino de Sacram. post vltimam sess. & Tridentino sess. 7. & sess. 13. & ex PP. infra citandis ad probandam præsentiam Corporis, & Sanguinis Christi Domini in hoc Sacramento.

Probatur deinde ratione qua vtitur D. Thomas in hoc art. primo quæst. 73. Sacramentum est ordinatum ad subueniendum homini in vita spirituali, quæ vitæ corporali

conformatur, corporalia namque spiritualium gerunt similitudinem; ergo sicut ad corporis vitæ generatio per quæ corpus vitæ accipit requiritur, & augmentum per quod ad vitæ perfectionem perducitur, & deinde alimentum quo homo in vita corporali conseruatur; ita in vita spirituali post spiritualem generationem quam baptismus ponit, & spirituale augmentum quod Confirmatio ponit, spirituale dari debet alimentum, per quod homo in vita spirituali conseruatur; hoc autem dat Eucharistia; ergo post illa duo Sacramenta etiam Sacramentum Eucharistiæ dari debet.

Confirmatur ratio D. Thomæ ex definitione Sacramenti, quæ in disputatione de Sacramenti in Genere ex eodem D. Thoma tradidimus, sic: illud est Sacramentum cui definitio conuenit Sacramenti; sed definitio Sacramenti conuenit Eucharistiæ; ergo Eucharistia est Sacramentum. Maior est certa, valet enim argumentari à definitione ad definitum. Minor probatur quia



quia sacramentum, vt loco citato probauimus, est signum rei sacræ: Atqui Eucharistia est huiusmodi; ergò &c. Minor probatur: nam species Sacramentales, & Christi Domini præsentiam signant, & gratiam per modum alimonie spiritualis notant.

Sed dices de ratione Sacramenti est quod sit signum rei sacræ non cuiuscunque sed gratiæ sanctificantis; sed Eucharistia nequit esse huiusmodi; ergò non potest esse Sacramentum. Minor probatur, maiorem namque nos citato loco docuimus: Nam Eucharistia cum sit sacramentum in facto esse consistens, est tale antequam gratiam sanctificantem significet; ergò &c.

Nam respondetur quod ad hoc vt Eucharistia sit Sacramentum, non est necesse quod gratiam actu signet, & in exercitio, vt citato loco cum D. Chrystomo aduertimus, sed sufficit quod quantum est de se illam signet, hoc autem habet Eucharistia, signat enim gratiam in exercitio etiam conferendam quando actu

sine obice sumitur. Et hæc de prima propositæ difficultatis parte. Quoad secundam an sit Eucharistia sacramentum ab alijs distinctum respõdeo affirmatiuè, & est de fide; quod patet ex Tridentino sess. 7. can. 1. de sacramentis in. 1. Genere, vbi definit esse septem: si autem Eucharistia ab alijs non distingueretur sacramentis, iam septem esse nequirent.

Nec deest sufficiens ratio ad hoc comprobandum; quia signa distinguuntur ad inuicem ex modo diuerso quo signant sicut causæ distinguuntur ex diuerso causandi modo; & potentie ex diuerso modo suos respiciendi actus: sed Eucharistia diuersimodè gratiam signat ac alia sacramenta; ergò distinguitur ab illis. Maior est certa. Minor probatur: nam Eucharistia signat gratiam per modum spiritualis alimonie, vel cibi, quem signandi modum alia non habent sacramenta. Nam baptismus signat gratiam per modum generationis spiritualis; Confirmatio per modum augmenti, & roboris spiritualis; pæniten-  
tia



tia per modum reconciliatio-  
 nis ; Extrema vnctio signat  
 gratiam , perfectam tribuen-  
 tem sanitatem, & curationem  
 à reliquijs peccatorum ; Ordo  
 respicit gratiam tribuentem  
 rectum ordinis vsum ; Matri-  
 monium tandem signat gra-  
 tiam tribuentem speciales vi-  
 res ad onera Matrimonij su-  
 stinenda . Tum quia si semel  
 hoc Sacramentum cum ali-  
 quo identificaretur , maximè  
 cum Confirmatione ; atqui  
 cum hac identificari nequit ;  
 ergò cum nulla . Maior pa-  
 tet : nam & Confirmatio gra-  
 tiam auget , & Eucharistia id  
 ipsum facit . Minor probat-  
 ur : nam Confirmatio , aug-  
 mentatio quædam spiritualis  
 est, tribuens robur ad fide-  
 firmiter , constanterque pro-  
 testandam ; Eucharistia vero  
 spiritualis quædam nutritio  
 est : patet autem quod sicut  
 in naturalibus nutritio, & aug-  
 mentatio realiter distinguitur  
 vt optimè probant N. Compl.  
 de Generatione , etiam in  
 spiritualibus distingui debent .  
 Sicut enim augmentatio non  
 durat toto vitæ tempore , sed  
 solum quamdiu homo ad per-

fectam creuit ætatem, postea  
 illi nutritio sufficit ; ita post  
 spirituales animæ augmenta-  
 tionem quæ fit per Confirma-  
 tionem, sequitur pro toto tem-  
 pore vitæ spiritualis nutritio  
 per quam id quod quotidie  
 deperdimus, reparamus. Ideo  
 que hoc sacramentum datur  
 sub specie cibi corporei, vt in-  
 sinuetur eosdem effectus cau-  
 sari per illud in anima, quos  
 cibus corporalis causat in  
 corpore .

Ex quibus omnibus patet  
 Eucharistiam esse verum, &  
 proprium nouæ legis sacra-  
 mentum à cæteris distinctum.  
 solum restat videre an sit om-  
 nium dignissimum, ac nobi-  
 lissimum : & respondeo affir-  
 matiue quod supponit Tri-  
 dentinum sess. 13. & merito  
 quidem quia continet Regem  
 Angelorum, & Dominum ;  
 continet vas plenissimum om-  
 nium gratiarum ; ideoque à  
 PP. vocatur sacramentum sa-  
 cramentorum, & mysterium  
 mysteriorum ; à Græcis taleta  
 taletorum, quia quod alia sa-  
 cramenta diuisim, & sparsim  
 continet, hoc continet simul,  
 & vnite . Vnde Cardinalis de  
 Turre



Turre Cremata in capit. *nihil in sacrificijs de consecrat. dist: 2. vocat hoc Sacramentum . Excellentissimum , venerandum , colendum , adorandum , glorificandum , amplectendum , & omnibus laudibus extollendum: quod faxit Deus vt ab omnibus coletur , adoretur , glorificetur , amplectetur , & laudibus infinitis extelletur .*

Sed dices quia licet quæ parte hoc Sacramentum auctorem continet gratiæ , sit omnium excellentissimum Sacramentorum , qua tamen parte gratiam causat , cedere videtur Confirmationi. Confirmatio namque augmentum causat vitæ spiritualis; Eucharistia vero conseruationem eiusdem vitæ spiritualis; patet autem augmentum esse excellentius , & nobilius conseruatione , augmentum enim sine conseruatione esse non potest imo illam includit; oppositum in conseruatione contingit , certum enim est hanc dari sine augmento.

Respondetur Eucharistiam non solum excedere Confirmationem quoad inclusum , verum etiam quoad gratiæ ef-

fectum ; effectus namque Eucharistiæ est spiritualis nutritio , quæ excedit , & superat spiritualement augmentationem , sicut in naturalibus nutritio excedit augmentationem , & licet augmentatio nutritio nem includat . & vitæ conseruationem , non tamen est terminus conseruatio per se inspectus , & specificatiuus augmentationis : sic , licet spiritualis augmentatio spiritualement conseruationem includat non tamen est proprius illius terminus specificatiuus ; vltterius conseruatio toto tempore vitæ durat non augmentatio : imo Eucharistia non solum est conseruatio vitæ spiritualis pro vita præsentis , verum etiam datur quantum est de se ad coniungendam vitam spiritualement præsentem cum futura , quod non facit Confirmatio quæ datur ad corroborandum hominem pro fide ex corde protestanda etiam cum vitæ periculo , quod non nisi pro præsentis vita esse potest , Imo Eucharistia alium habet effectum mirabilem in ordine ad vitam futuram , & est corporis resurrectio , vt colligitur



ex illis verbis Christi Domini  
Io: 6. *caro mea vere est cibus,*  
& *sanguis vere est potus: qui*  
*manducat hunc panem viuet*

*in æternum: & ego resuscitabo*  
*eum in nouissimo die, Sed de*  
*hoc agemus infra cum Ange-*  
*lico doctore.*

## QVAESTIO II.

*An Eucharistiæ Sacramentum consistat in usu,*  
*an vero sit aliquid permanens.*

**L**icet omnes nostri tem-  
poris hæretici in hoc  
conueniant quod Venerabile  
Sacramentum non in facto ef-  
se, seu in esse permanenti con-  
sistat, sed in usu dumtaxat, in  
hoc tamen suo explicando usu  
uarii sunt, Calvinistæ nam-  
que per usum huius Sacramē-  
ti intelligi volunt actualem  
ipsam manducationem, & bi-  
bitionem. Lutherani vero per  
huius Sacramenti usum, intel-  
ligunt omnes illas actiones  
quas Christus Dominus in hu-  
ius Sacramenti institutione  
adhibuit, & sunt *panis acceptio,*  
*benedictio fractio, distributio,*  
*manducatio;* ita quod per Lu-  
theranos Christus Dominus  
tunc incipiat esse in Eucha-

ristia quando panis accipitur,  
benedicitur, manducatur:  
quod si seruetur, non ampli-  
us Christus Dominus mane-  
at. Hæc est communis Lu-  
theranorum insania: aliqui  
tamen volunt hunc usum  
etiam ad triduum extendi,  
alij solum pro eo tempore quo  
ad infirmos defertur. Alij  
quandiu omnes illi qui pu-  
blica<sup>9</sup> communionem interesse  
nequiverunt, communican-  
tur.

Veritas Catholica sequen-  
ti conclusione explicatur. Sa-  
cramentum Eucharistiæ non  
consistit formaliter in usu, sed  
est formaliter permanens.  
Hæc conclusio est de fide  
definita in Tridentino sess. 13.



cap. 3. vbi dicitur: *Verum illud in ea excellens, & singulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur: at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est. Nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cum verè tamen ipse affirmaret, corpus suum esse quod præbebat & semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit &c.* Vbi non solum hæc veritas stabilitur verum etiam efficacissima ratio afferitur: tum ex facto Christi Domini affirmantis suum esse Corpus in Eucharistia, antequam illa Apostolis imperiretur. Tum ex continua Ecclesiæ traditione quæ semper ita tenuit; & canone 4. sic habetur: *Si quis dixerit peracta consecratione, in admirabili Eucharistie Sacramento non esse Corpus, & Sanguinem Domini nostri Iesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante, vel post; & in Hostijs, seu Particulis consecratis quæ post communionem reseruantur, vel super sunt, non remanere verum*

*Corpus Domini; anathema sit.*

Probatur conclusio ratione discurrendo breuiter per omnes illas actiones in quarum usu volunt hæretici Eucharistiæ usum consistere. Prima actio quam exercuit Christus Dominus, quando in vltima Cæna hoc Sacramentum instituit, fuit acceptio Panis, & Vini. quam actio nem etiam nostri faciunt Sacerdotes, dicendo illa verba canonis: *Qui pridie quam pateretur accipiens Panem in Sanctas, ac venerabiles manus suas, &c.* Et in hac actione certum est non consistere usum Corporis, & Sanguinis Christi: quod sic ostendo. Quia ista acceptio non est de huius Sacramenti essentia, sed solum præparatoria ad illam, cum sine ea Sacramentum esse possit; quis enim dicere audebit quod Panis, & Vinum consecrari nequeat, absque eo quod in manibus accipiat

*Quia  
consecrat  
ante sume  
de d. ma.  
non pa  
ab homi  
tamen d.  
habet ad  
habet ut  
de eorum*



pit illos quinque panes multiplicandos, & distribuendos, Eucharistiæ Sacramentum confecisset. Hæc ergo acceptio fuit solum quædam actio antecedens, & preparatoria, sicut fuerunt ille omnes quæ huius Sacramenti institutio nem præcedunt: vt quod fuerit hoc Sacramentum à Christo Domino institutum in Mensa, sedente, ad vesperam, in domo priuata, post prædum lotionem, nulla præsentem muliere, &c.

Secunda actio quam Christus Dominus exercuit in Cæna fuit benedictio. *Accipiens Panem benedixit*; quam actio nem etiam nostri faciunt Sacerdotes. Et neque in hoc consistere potest; cum benedictio sit quædam Panis sanctificatio, quæ fieri debet ante consecrationem, alioqui & in deserto quando acceptis illis quinque panibus benedixit illos, consecrasset Christus, quod nemo dicit. Igitur hæc benedictio est actio antecedenter dumtaxat se habens ad hoc Sacramentum non vero in ea huius Sacramenti essentia consistit.

Tertia actio quam exercuit Christus Dominus in Cæna fuit Panis fractio: *Benedixit, & fregit*: cuius fractionis mentionem faciunt nostri Sacerdotes ante Panis consecrationem; & neque in hac actione huius Sacramenti essentia consistere potest: quia Panis fractio quam Christus Dominus in vltima Cæna fecit, solum fuit materiæ preparatio, ad hoc vt postea melius fieret Eucharistiæ distributio, quam diuisionem non fecit in Calice, quia idem numero Calix facile à pluribus successiue potari potest.

Quarta Christi Domini actio fuit distributio; *benedixit fregit, deditque discipulis suis*: & neque in hac distributione huius Sacramenti essentia valet consistere: Quia distributio antecedenter se habet ad eius vsum, prius namque est, quod per Ecclesiæ ministros distribuatur quam quod ab illis quibus distribuitur, vatur. Tum quia distributio ab alio quam à Sacerdote fieri potest, verbigratia à Diacono necessitatis tempore, & de ipsius Sacerdotis, verbigratia



Parochi venia, & tamen Diaconus non est idoneus minister etiam per ipsos hæreticos ad hoc Sacramentum conficiendum; ergò planum signum est huius Sacramenti essentiam in actione distributiva consistere non posse &c.

Ultima Christi Domini actio, est huius manducatio Sacramenti, de qua dico quod huius Sacramenti essentia in ea consistere nequit: quod probo; quia quoties alicuius rei essentia est, quod ad aliquem usum ordinatur, non potest in eo usu ad quem ordinatur consistere, sed ad ipsum usum ad quem ordinatur debet supponi. Sed Sacramentum Eucharistia ordinatur ad manducationem; ergò in ipsa manducatione consistere nequit. Maior est certa ex Philosophia: nam Medicina cum ad sanitatem curandam ordinatur, usum, & applicationem præcedit; quia Panis, Vinum, & omnia esculenta, & poculenta ad esum, & potum ordinantur, propriam habent essentiam ante illorum usum; absurdum namque esset dicere quod Medi-

cinæ essentia, esset eius usus, & applicatio; quod esculenta, & poculenta non haberent propriam essentiam, nisi in illorum usu. Minor patet, nam cum Eucharistia Sacramentum per modum cibi, & potius fuerit institutum, rationem, & conditionem, cibi & potus habere debet; ergò si de essentia cibi, & potus est, quod ad manducationem, & potationem ordinetur, hoc idem habere debet Eucharistia: & sic, sicut cibus, & potus propriam habent essentiam ante illorum usum, ita, & Eucharistia, alias Apostoli per manus Christi Domini Sacramentum non accepissent, sed Panem purum, & communem; & Vinum similiter commune; quæ postea per actualem Apostolorum manducationem verum fierent Sacramentum, quod est falsum; Christus namque Dominus ante talem commestionem dixit: *Hoc est Corpus Meum*: & non hic Panis in ipsa commestione fiet Corpus Meum. Solvantur argumenta hæreticorum.

Primum argumentum: cessante fine, & usu pro quo res est



est instituta cessat, & ipsa res; sed finis, & usus Panis Eucharistici, est ipsius manducatio; ergo extra hunc usum cessat Eucharistia. Maior patet discurrendo per singula; Minor probatur; nam Christus Dominus hoc Sacramentum instituens dixit: *Accipite, & manducate hoc est Corpus Meum*; postea subiungit, *hoc facite in meam commemorationem*: quasi diceret quod facere commemorationem Christi, medio hoc Sacramento, est accipere, & manducare Panem, qua media manducatione, & commemoratione est ibi Corpus Christi.

Responderetur distinguendo maiorem: cessante fine, & usu pro quo res est instituta cessat, & ipsa res, quando ille finis, & Ordo cessat essentialiter, & conceditur; quando cessat solum accidentaliter, & negatur. Est enim regula generalis in Philosophia quod loquendo de illis rebus quarum essentia sunt propter aliud, si cesset ille finis essentialiter, & illa res cessat; secus si accidentaliter; exemplum habemus in potentijs, & habiti-

bus operatiuis, qui sunt propter aliud. nempe propter operationem; si enim cesset ordo essentialis ad actus, seu operationes propter quas sunt; & illi cessant; si vero solum cesset ordo accidentaliter, non cessant; unde etiam si habitus nullum actu respiciat actum, non propterea cessat. Similiter potentia, etiam si sine ullo detur actu non proinde cessat. Deinde distinguenda est etiam minor: finis panis Eucharistici est ipsius manducatio, ita quod manducatio sit finis essentialis, & negatur; ita quod sit finis extrinsecus, & accidentaliter, & conceditur. Sicut enim Panis materialis est res quædam absoluta ordinata solum extrinsecè ad manducationem; ita & Panis spiritualis Eucharisticus: & sicut ob hanc rationem datur Panis materialis essentialiter Panis, antequam comedatur; ita & datur Panis Eucharisticus antequam per sumptionem consumatur; & sicut Panis materialis inane Panis etiam si ad alios, quam ad manducationem, ordinetur usus; ita & Panis



Panis spiritualis Eucharistiæ; finis namque siue bonus, siue malus operantis, rem non destruit, sed in esse suo relinquit; sicut nec cessatio actualis ordinationis in rebus quorum essentia sunt transcendentaliter respectiua: & sic cum Panis Eucharisticus non sit res essentialiter respectiua etiam respectu transcendentali, sed res absoluta, sicut & Panis corporalis, & solum extrinsecè ordinatus ad manducationem, sequitur aperte, quod antè manducationem habeat esse permanens, & sic in vsu, & actione non consistat.

Secundum argumentum est: Omnia quæ fecit, & dixit Christus Dominus, quando in vltima Cæna Panem consecrauit Eucharisticum, vsu, & actionem redolent; ergò hic Panis in vsu, & actione consistit. Antecedens patet, ex relationibus Matth. 16. Luc. 22. Apostoli 1. Cor. 11. nimirum: *Accipit Iesus Panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait*

*accipite, & comedite hoc est Corpus Meum.* Patet autem quod accipere Panem, benedicere, frangere, dare, comedere, & commemorationem eiusdem Christi facere, non formalem permanentiam, sed formalem vsu, & actionem signant.

Respondetur negando antecedens: licet enim antecedentia, & consequentia ad consecrationem actionem denotent, non tamen ipsa materia, & forma huius Sacramenti. In alijs namque Sacramentis materia proxima est vsus materie remotæ, seu est illa actio qua materia remota applicatur; at vero in hoc Sacramento non est vsus Panis, sed substantia ipsius Panis, quæ in Christi Domini Corpus conuertitur. Forma similiter permanentiam significat: Hæc enim verba: *Hoc est Corpus Meum. Hic est Calix Sanguinis Mei,* significant Corpus, & Sanguinem, per modum cibi, & potus, quæ sunt res permanentes, vt ex dictis patet.



## QVAESTIO III.

*In quo consistat formalissima ratio Sacramenti  
Eucharistiæ.*

**P**Lura distingui possunt in Eucharistiæ Sacramento. Primo est eius consecratio, quæ dupliciter accipi potest; primo ut est exterior, & sensibilis verborum formæ prolatio facta à Sacerdote cum debita intentione, & supra materiam debitam. Secundo prout est actio insensibilis: & admirabilis illa cõuersio qua Panis, & Vini substantiæ in Corpus, & Sanguinem Christi Domini conuertuntur. Secundum, quod est in hoc Sacramento, de quo dubitari potest, an in eo Sacramenti ratio consistat, sunt species Panis, & Vini, quæ post dictam transubstantiationem, seu conuersionem manent. Tertium est Corpus Christi Domini, & Sanguis, quæ sub consecratis speciebus continentur. Quartum est huius Sacramenti vsus, seu comestio, & bibitio. De hoc vlti-

mo iam diximus quæstione præcedenti; non enim potest pertinere ad rationem huius Sacramenti, quod totam Sacramenti rationem supponit, qualis est vsus huius Sacramenti, nempe eius comestio, & bibitio. Solum ergo de tribus primis est difficultas inter Theologos, & antequam ad rem ipsam veniamus aliqua magis certa supponenda sunt.

Supponimus primo tanquam certum, quod formalissima huius Sacramenti ratio sol i verba esse non possunt; quoniam, ut præcedenti probauimus quæstione, & est omnium communis sensus fidelium, hoc Sacramentum est aliquid permanens, quod asseruatur, defertur, adoratur, sumitur, quod verbis præcisè conuenire nequaquam potest; quia tamen nouæ legis Sacramenta constant rebus, &



verbis, explicandum postmodum erit, qua ratione verba ad hoc Sacramentum pertineant. Idem dicendum est de consecratione, seu actione conuersiua quæ transubstantiatio vocitatur, cum enim ex vna parte sit insensibilis, & ex alia sit id per quod sacramentum ponitur, non potest esse formalissima huius sacramenti ratio.

Suppono secundo Corpus, & Sanguinem Christi Domini debere aliquo modo ad hoc Sacramentum pertinere: quod clare colligitur ex Tridentini Doctrina sess. 13. cap. 2. vbi definit hoc Sacramentum non esse vulgarem communemque cibum, & potum, sed spiritualem, & cælestem, quo animæ nostræ aluntur, confortantur, saginantur; quæ omnia huic conueniunt Sacramento maximè ratione Corporis, & Sanguinis contentorum. Tum etiam, vt idem docet Concilium sess. citata cap. 5. & can. 6. huic Sacramento patriæ debetur adoratio, & à fidelibus merito, vt patet, exhibetur; quæ adoratio huic exhibetur Sacra-

mento ratione Corporis, & Sanguinis Christi Domini contenti. Tum quia cum hoc Sacramentum sit institutum per modum cibi, & potus, ad spirituales animarum nostrarum refectioem, id debet importare, cui hæc specialis ratio refectioem spiritualis conuenit; hoc debet esse Corpus Christi Domini, vt colligitur ex illo Ioan. 6. *Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est &c.*, ergò &c. Tum denique quia Concilia, & PP. communiter vocant hoc Sacramentum Corpus, & Sanguinem Christi Domini; propterea in cap. *Hoc est*, de consecratione dist. 2. de hoc Sacramento dicitur. *Nostrum Sacramentum constare visibile elementorum specie, & invisibili Christi Domini carne.*

Suppono tertio etiam species Sacramentales debere omnino ab hoc Sacramento importari, quod clare docet Concilium Florentinum, & Tridentinum infra pro nostra sententia citandum: cum enim omne Sacramentum signum esse debeat sensibile, & Corpus, & Sanguis Christi Domini-



Domini ratione sui sensibilia non sint, aliquid de necessitate importari debet per quod sensibilia fiant, quod aliud esse nequit quam species panis, & vini. His præsuppositis, difficultas præsentis quæstionis ad hoc reuocatur, an formalissima huius sacramenti ratio, propriè, & in recto importata, sint species Sacramentales, corpus, & sanguinem Christi Domini continentes; an vero sit Corpus Christi Domini contentum, connotando tamen species; an vero sit vtrumque simul;

Prima sententia est, quod id quod formaliter, propriè, principaliter; & in recto importatur, est Corpus Christi Domini, species vero, solum ex consequenti, connotatiuè, & in obliquo. Hanc sententiam sequitur Cardinalis de Lugo hic disp: 1. sect. 3. vbi aliquos alios refert. Huius fundamenta sententiæ postea referemus, & soluemus.

Secunda sententia est, quod hoc Sacramentum, & species, & Corpus Christi Domini formaliter, & in recto importet, ita quod nec solæ

species, etiam connotando Corpus, & Sanguinem Christi Domini, nec Corpus Christi Domini, & Sanguis connotando species possint esse Sacramentum, sed vtrumque simul. Ita Suarez, Vasquez, Coninchus, & alij ferè omnes scribentes extra Scholam D. Thomæ.

Nostra sententia sequenti explicatur cunclusione. Solæ species Sacramentales, connotando tamen Corpus, & Sanguinem Christi Domini, sunt verè, propriè, formaliter, & in recto Sacramentum Eucharistiæ. Seù quod idem reddit: Sacramentum Eucharistiæ sunt species dumtaxat consecratæ: eo enim ipso quod species consecratæ dicuntur, sufficienter Corpus, & Sanguis Christi Domini connotantur. Hæc conclusio est plana, & certissima mens D. Thomæ in hoc art. 1. quæst. 73. in solut. ad 3. vbi habet. *Hæc autem est differentia inter Eucharistiam, & alia Sacramenta habentia materiam sensibilem, quod Eucharistia continet aliquid sacrum absolutè, scilicet, ipsum*



Christum, aqua vero Baptismi continet aliquid sacrum in ordine ad aliud; scilicet virtutem ad sanctificandum, & eadem est ratio de Chrismate, & similibus. Et ideo Sacramentum Eucharistiæ perficitur in ipsa consecratione materia, alia vero Sacramenta, in applicatione materiae ad hominem sanctificandum. Et ex hoc con- sequitur alia differentia. Nam in Sacramento Eucharistiæ id quod est res, & Sacramentum est in ipsa materia, id autem quod est res tantum, est in suscipiente, scilicet gratia quæ confertur &c. In quibus primis verbis vult quod Eucharistiæ sit aliquid sensibile continens aliquid sacrum absolute, nempe Corpus, & Sanguinem Christi, alia vero, sint quidem aliquid sensibile continens aliquid sacrum, sed in ordine ad aliud; & est virtus quæ est in Sacramentis ad sanctificandum. In postremis vero verbis vult Corpus, & Sanguinem Christi Domini non esse ipsum Sacramentum Eucharistiæ, sed esse rem, & Sacramentum simul. D. Thomam sequuntur eius discipu-

li. Vnde merito dicit Nugnus hic difficultate 2. conclus. 5. hanc sententiam esse communem inter Scholasticos, & Doctores Sanctos.

Probatum primo nostra conclusio. Sacrosancti Concilij Tridentini auctoritate sess. 13. cap. 3. vbi dicitur: *Commune hoc quidem est sanctissima Eucharistiæ cum ceteris Sacramentis, symbolum esse rei sacræ, & inuisibilis gratiæ formam visibilem*. Sed solum species sacramentales sunt symbolum rei sacræ, & forma visibilis; ergo solæ species formaliter, & in recto sunt Sacramentum. Hoc argumentum est adeo efficax quod si rectè expendatur evanescent omnes solutiones, quæ ab aduersarijs adhibentur, & adhiberi possunt. Vnam solum placet referre, quia in ea omnes aliæ leuiiores solutiones continentur.

Occurrit ergo huic argumento Cardinalis de Lugo vbi supra, dicens quod Tridentianum non dicit hoc Sacramentum esse in recto formam visibilem inuisibilis gratiæ, sed esse quidem formam visibilem in recto, quod est veris-



verissimum: nam Corpus Christi quod significatur in recto est aliquid sensibile non per se, sed per species; unde sufficit quod sit sensibile per aliud. Hæc ille. Sed hæc solutio non videtur esse ad mentem Concilij. Primo namque quia Concilium vult hoc Sacramentum habere hoc commune cum alijs Sacramentis quod sit symbolum, seu signū rei sacræ, & formam, visibilem; Atqui alia Sacramenta sunt symbola, & formæ sensibiles in recto; ergò etiam hoc Sacramentum, alioqui hoc Sacramentum non conveniret in hac ratione cum alijs Sacramentis. Quod autem alia Sacramenta sint signa sensibilia in recto, non negat, nec negare potest Lugo, ut patet discurrendo per singula, nisi velit confundere Sacramentum propriè dictum, quod dicitur sacramentum tantum, cum re, & sacramento simul, de quo postea. Secundo, quia id quod est sensibile per aliud non potest dici absolutè, & simpliciter sensibile: sed Concilium vult Eucharistiam esse symbolum ab-

solutè, & simpliciter; vult esse formam absolutè, & simpliciter visibilem; ergò vult esse per se, & non per aliud sensibilem, & visibilem. Maior patet: nemo enim dicit actum internum mentis entitativè spiritualem, esse simpliciter sensibilem quando per externam, & sensibilem locutionem fit sensibilis; nemo dicit substantiam etiam corporalem esse simpliciter sensibilem, etiam si fiat per accidentia sensibilia sensibilis. Unde nec Aristoteles, nec vllus unquam Philosophus posuit substantiam inter sensibilia, nec propria, nec communia. Cum ergò Corpus Christi sit in sacramento ad modum substantiæ, etiam si per accidentia fiat sensibile, non erit sensibile per se, sed solum per accidens, seu per aliud, ut dicunt Philosophi de substantia. Minor etiam patet; nam Concilium vult eodem modo hoc sacramentum esse symbolum rei sacræ, esse formam visibilem, sicut sunt alia sacramenta, alioqui hoc sacramentum non uniuocaretur cū alijs in ratione symboli, seu



signi rei factæ, & formæ visibilis, cum esse visibile per se, & esse visibile per aliud, non sint uniuoca secundum hanc rationem.

Probatum secundo conclusio alia eiusdem Concilii auctoritate. sess. 7. de Sacramentis in Genere can. 6. ubi dicitur: *Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis non conferre gratiam quam significant; aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint accepta per fidem gratia, uel iustitia, & nota quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus; anathema sit.* ubi Concilium vnum definit ( quantum ad præsens attinet ) & aliud supponit: definit Sacramenta gratiam significare: seu esse signa instituta ad significandum gratiam, & de facto illam causare in non ponentibus obicem: supponit Sacramenta esse externa signa, & notæ quædam, sed non tantum discernentia fideles ab infidelibus, sed gratiam efficientia, &c. Sed hæc duo non conueniunt Corpori, & Sanguini

Christi Domini, sed solum per se primo speciebus; ergo &c.

Minor probatur: nam Corpus, & Sanguis Christi Domini in Eucharistia, nec est signum externum, sed potius per species signatur, nec est nota Christianæ Religionis cum per aliud nempe species innotescat; neque etiam gratiam significat, & quia est aliquid excellentius, sed & maxime, quia cum solum per fidem ibi cognoscatur, & credatur, non potest esse signum sensibile, & visibile deputatum; & ordinatum ad signandam gratiam, quam signat.

Sed dices pro Suarij sententiæ, quod licet Corpus, & Sanguis Christi Domini non sint signum sensibile, sunt tamen partes signi; cum intrent in huius signi compositione, dum non in obliquo, & tanquam connotata, sed in recto importentur.

Nam hæc etiam euasio si dicta expendantur manet exclusa, implicat enim esse signum sensibile, & quod eius partes componentes, & in recto importatæ non sint sensibiles. Tum etiam, quia quid im-



imperfectius est esse partem essentialem signi, quam esse signum, sed Corpus, & Sanguis Christi Domini non possunt esse signum, ut farentur oppositam defendentes sententiam ergò neque esse poterunt pars essentialis signi.

Probatur tertio ex cap *cum Martha*, de celebratione Missarum, ubi versus capitis finè verba quæ sequuntur habentur: *distinguendum est tamen subtiliter inter tria quæ sunt in hoc Sacramento discreta videlicet formam visibilem, veritatem Corporis, & virtutem spirituales. Forma est Panis, & Vinum: veritas carnis, & Sanguinis: virtus unitatis, & charitatis. Primum est Sacramentum, & non res. Secundum est Sacramentum, & res. Tertium est res, & non Sacramentum sed primum est Sacramentum geminæ rei. Secundum est Sacramentum unius, & alterius res existit. Tertium est res gemini Sacramenti.* Ex quo loco sic discuro: Id quod est res, & sacramentum simul non est propriè sacramentum, nec pars illius sed Corpus, & sanguis Christi Domini est sacra-

mentum, & res sacramenti simul; ergò non est propriè sacramentum, & per consequens falsum erit quod sacramentum sit formalissimè Corpus, & sanguis Christi in recto, & species in obliquo, ut vult Lugo, nec utrunque in recto, ut volunt alii cum Suárez, & Vasquez, Maior patet discurrendo per singula sacramenta, nam in sacramentis quæ imprimunt Characterem, res, & sacramentum simul est ipse Character, quia, & significatur, & significat: & tamen Character in nullius sententia est sacramentum in recto, sed sacramenti effectus, ut patet: similiter in sacramento pœnitentiæ, res, & sacramentum simul sūt actus interni pœnitentiæ, quia & significantur, & significat; & sic de aliis, & tamen nemo rationabiliter dicere potest, quod actus pœnitentiæ sint directè sacramentum, nec pars sacramenti in recto importata, licet importentur, ut quid omnino requisitum per modum non partis; sed connotati; ergò &c.

Respondet Lugo ubi supra num. 43. quod species non dicun-



dicuntur sacramentum tantum quasi ipse sint Eucharistia in recto, sed quia ipse significant, & non significantur; & ideo dicuntur esse solummodo sacramentum; id est non exercere aliud munus nisi sacramentale, hoc est significandi actiue sensibiliter; ex hoc autem non fit quod sint sacramentum Eucharistiæ in recto, sed aliquid sacramenti Eucharistiæ componens illud in ratione sacramenti. sed hæc responsio, & destruit se ipsam, & citato capiti repugnat: Quod destruat se ipsam probo; quia idem est esse Eucharistiam in recto, & esse sacramentum in recto, seu non exercere aliud munus, quam sacramenti, seu quam significare, & non significari; de ratione namque sacramenti est significare, non significari; ergo cum species sacramentales, ut ille auctor admittit, non habeant aliud munus, quam significandi, habebunt in recto rationem sacramenti & non solum in obliquo, ut ille sentit. Cum enim de essentia sacramenti fit significare, & hoc conueniat directè

speciebus, cum non habent aliud munus, & hoc non habeant ab ipso Corpore, & Sanguine Domini, cum potius oppositum contingat, non enim species fiunt signum sensibile per Corpus, & Sanguinem Christi Domini, sed è contra, sequitur quod munus significandi quod est de ratione sacramenti in recto, per se, speciebus conueniat; & per consequens species erunt Eucharistiæ sacramentum in recto.

Repugnat etiam dicta solutio citato capiti, nam ibi dicitur quod *forma Panis, & Vini est Sacramentum, & non res, est Sacramentum gemina rei.* hoc est, ut ibi dicit Glossa: *Forma Panis, & Vini est Sacramentum gemina rei, id est Corporis Christi, & unitatis.* & de Corpore, & Sanguine Christi Domini dicit quod est *Sacramentum, & res*: quod explicans Gloss. dicit: *est Sacramentum scilicet unitatis, & est res scilicet specierum Panis, & vini, & ita est signans, & signatum.* Vbi ut vides vult textus quod Sacramentum Eucharistiæ in recto, & formaliter sit Sacramentum, & Corpus



pus, & Sanguis Christi Domini in obliquo importetur, alioqui non bene diceret, quod species Panis, & Vini sic Sacramentum geminæ rei, seu Corporis Christi, & unitatis, & sic species sunt rectum Sacramenti Eucharistiæ, Corpus vero, & Sanguis sunt obliquum. Tum quia eo ipso, quod species significant, & non significantur, debent esse in recto Sacramentum, non id quod etiam significatur; nam id quod significatur re. spectu illius à quo significatur habet rationem rei Sacramenti, quod autem rationem rei habet Sacramenti, non potest esse propriè Sacramentum, sed id cuius est res; cum ergò Corpus Christi, & Sanguis, sint res respectu specierum, non poterit esse propriè Sacramentum, sed species ipse, quarum Corpus, & Sanguis Christi Domini sunt res: Quod autem Corpus, & sanguis Christi Domini sint res specie rum patet ex dictis modo ex Gloss. & ex communi modo loquendi Theologorum, dum illa tria distinguunt, nempe sacramentum tantum, res, &

sacramentum simul, & res tantum.

Probatur quarto ex cap. Hoc est, de consecratione dist. 2. ubi dicitur: *Hoc est, quod dicimus, hoc modis omnibus approbare contendimus: sacrificium scilicet Ecclesia duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi Carne, & Sanguine; Sacramento, & re Sacramenti idest Corpore Christi.* Vbi Gloss. dicit. *Dicitur hic, quod sacrificium Ecclesia ex duobus conficitur scilicet Sacramento idest specie Panis, & Vini, & re Sacramenti, idest Corpore Christi: sicut enim duæ sunt natura in Christo, qui est Deus, & homo; ita in sacrificio est Sacramentum, & res Sacramenti idest Corpus Christi quod spiritualiter intellectum sub specie Panis, & Vini significat Corpus Christi olim visibile, & palpabile &c.* Vbi vides clare dicitur quod Missæ sacrificium duo dicit: Sacramentum, & rem Sacramenti: Sacramentum sunt species Panis, & Vini: res sacramenti est Corpus, & Sanguis Christi Domini,



mini, quæ stare non possunt cum sententiis oppositis, vt consideranti patebit.

Probatur quinto ex capit. Berengarius de consecr. dist. 2. Vbi dicitur: *Ego Berengarius Sancti Maurity Andegauensis Ecclesie Diaconus, cognoscens veram, Catholicam, & Apostolicam fidem, anathematizo omnem heresim, præcipuè eam de qua hæc temus infamatus sum quæ astruere conatur, Panem, & vinum quæ in Altari ponuntur, post consecrationem, solummodo Sacramentum, & non verum Corpus, & Sanguinem Domini nostri Iesu Christi, esse, nec posse sensibiliter, nisi in solo Sacramento manibus Sacerdotum tractari, vel frangi, aut fidelium dentibus atteri; consentio autem Sanctæ Romanæ, & Apostolicæ Sedi, & ore, & corde profiteor de Sacramentis Dominicæ mensæ eandem fidem me tenere quam Dominus, & venerabilis Papa Nicolaus, & hec synodus auctoritate Apostolica tenendam tradidit, mihi que firmavit scilicet, Panem, & Vinum quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solum Sacramentum, sed etiam*

*verum Corpus, & Sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse &c.* Vbi vt vides fuit iste Berengarius coactus dicere quod in Sacramento Altaris post consecrationem non solum maneat Sacramentum nempe, species Panis, & Vini, verum etiam Corpus Christi, volebat enim ille post consecrationem manere solum Sacramentum; ergo sole species sunt Sacramentum non Corpus Christi siue in recto simul cum speciebus imponitur, siue solum in recto, & species in obliquo vt vlt Lugo. Vnde Glos. ibidem docet; *He est 16 pars dist. in qua probat per. 9. capita quod in Sacramento Altaris, non solum Sacramentum, sed verum Corpus, & verus Sanguis tamè sub speciebus panis, & Vini adoportum, est tamen idem Corpus quod est de Virgine natum.* Berengarius iste fuerat infamatus de illa heresi, quæ astruit post consecrationem non esse in alteri verum Corpus Christi, & verum Sanguinem, sed tantum Sacramentum Corporis, & sanguinis Christi. Videant oppositum sententiæ D. Thomæ sentientes quomodo cohereat eorum



rum doctrina, cum doctrina huius capituli, & Glos. illius. Sed agamus ratione.

Primam rationem sumo ex doctrina Cardinalis de Lugo supra de Sacramentis in genere disput. 1. sect. 2. quod de ratione Sacramenti sit esse signum sensibile sanctitatis presentis, vel futuræ; sed hæc ratio signi sensibilis conuenit per se primo speciebus, & secundo Corpori, & Sanguini Christi; ergo ratio Sacramenti per se primo conuenit speciebus, & secundo, & ratione illarum Corpori, & Sanguini Christi Domini.

Respondet Lugo hic disp. 1. sect. 2. num. 28. quod licet Corpus Christi per se non sentiatur sentitur tamen per species consecratas quæ ipsum significant, & sic cum Corpus Christi reddatur sensibile per ipsas species potest intrinsecè ad huius Sacramenti constitutionem pertinere. Sicut cõtritio est pars Sacramenti penitentia licet per se non sentiatur, sed solum fiat sensibilia per confessionem.

Sed contra: quia vel in illo priori in quo species sunt

sensibiles, & sunt ratio ob quæ Corpus, & Sanguis Christi Domini sensibilia redduntur, cum secundum se sint solum fidei obiectum, sunt signum sensibile significatiuum Corporis, & Sanguinis Christi Domini, & gratiæ dandæ per ipsum, vel non: si primum dicatur habemus intentum, cum enim habeant totam sacramenti rationem, sacramentum erunt antecedenter ad Corpus, & Sanguinem Christi Domini.

Secundum dici nequit, nam implicat species esse consecratas, & non significare corpus & Sanguinem Christi Domini presentia, & per consequens gratiam per modum cibi spiritualis per ipsum Corpus, & sanguinem Domini dandam. Tum quia, per illum auctorem Corpus Christi Domini, & eius sanguis habent esse signum gratiæ per species, ergo & prius, & magis id ipsum habebunt ipse species, ergo si quæ ratio significandi, & per consequens sacramenti est in Corpore & Sanguine Christi Domini tota refundi debet in species.



Confirmatur hæc ratio : Quia prius est quod Corpus , & sanguis Christi Domini cōiungantur speciebus ad componendum aliquod vnum, coalescens ex visibili , & credibili , sensibili , & insensibili , quam quod ab illis suam mutant sensibilitatem ; & significationem , sed in illo priori in quo Corpus , & sanguis , Christi Domini coniunguntur speciebus, iam species sunt sacramentum ; ergo ratio sacramenti per prius conuenit speciebus, & in recto, quam conueniat Corpori, & sanguini Christi Domini. Maior est a deo euidens , vt nullo nostro indigeat labore, ad ipsius elucidationem . Minor etiam certa videtur ; nam Corpus Christi Domini, & eius inextimalis sanguis non aliter cōiunguntur speciebus, nisi quatenus sunt sacramentum .

Nec exemplum , quod pro se adducit Lugo illi fauet, quia omnino falsum est contritionem esse in recto partem essentialem materialem sacramenti pænitentia, cum enim de ratione sacramenti tantum sit esse adequatè , & per se

res sensibilis, & contritio non sit talis nisi per aliud , sequitur patenter contritionem non esse in recto pars sacramenti pænitentia, id enim quod est sacramentum tantum debet adequatè distingui ab eo quod est sacramentum , & res simul. primum namque est purum signum, cum solum significat, & non significatur, secundum non sic .

Sed demus Cardinali Eminentissimo contritionem esse partè in recto , & essentialiter importatam, Sacramenti Pænitentia, adhuc nihil contrarios ; est enim clarissima disparitas inter contritionem , & Corpus Christi : quam disparitatem optimè vidit noster Cornexo hic disput. 2. dub. 5. Nam contritio secundum diuersas rationes , & est Sacramentum, & res sacramenti, & potest esse sacramentum tantum : est sacramentum & res, secundum quod est dispositio ad gratiam sacramentalem ; quia secundum hanc rationem, & significat, & significatur, significat gratiam sacramentalem cum causa illius dispositiua existat, significatur per

sacra-



sacramentum, quia secundum hanc rationem est effectus illius: à sacramento namque habet quod sit dispositio ad gratiam sacramentalem non à se. Potest etiam dici satis probabiliter quod sit pars sacramenti tantum secundum aliam rationem, nempe secundum quod per confessionem fit sensibilis. Hæ autem duæ rationes distingui nõ possunt in corpore Christi Domini, quia contritio habet esse sensibilis per confessionem antequam forma sacramenti adueniat, non sic corpus Christi Domini; prius est enim quod fiat transubstantiatio, & unio corporis Christi Domini cum speciebus, antequam fiat sensibilis; vnde cum quando fit sensibilis iam sacramentum positum sit, non potest esse pars illius; Tum quia cum contritio iam supponatur sensibilis antequam ponatur forma sacramenti, potest postea per idem sacramentum, aliam recipere rationem significandi, & causandi gratiam; quod corpori Christi Domini conuenire non potest, cum vtrumquè simul recipi-

at. Tum etiam quia corpus Christi in Eucharistia non habet virtutem causatiuam gratiæ à speciebus, sicut habet contritio à sacramento Pænitiæ; sed solum à speciebus habet quod fiat sensibile, &c.

secunda ratio breuiter proposita est: Quoniam sacramentum propriè, & simpliciter dictum est sacramentum tantum, & non res, & sacramentum simul; sed in Eucharistia sole species sunt sacramentum tantum, & non Corpus, & sanguis Christi Domini; ergò sole species sunt propriè, & simpliciter sacramentum, non corpus, & sanguis Domini. Maior videtur certa, & quod a nemine negari possit; cum enim de ratione sacramenti sit esse signum sensibilis, quod in hac ratione erit primum, & ratio aliorum, illi primo, & propriè, & principaliter sacramenti ratio conueniet, patet autem quod ratio signi sensibilis primo, & per se conueniat Sacramento tantum, hoc enim totum sensibilis est hoc est tota ratio significandi, quia taliter significat



quod nullo modo significatur. Minor etiam videtur certa: nam sole species sunt quæ significant, & non significantur sole species sunt quæ primo, per se, & ratione sui sunt sensibiles. Vnde clarè sequi videtur; quod cum Corpus, & Sanguis Christi Domini non sint secundum se sensibilia, sed hoc à speciebus habeant emendicare, nullo modo valent ad rationem Sacramenti tantum pertinere, cum enim Sacramentum tantum debeat esse primum (vt ita dicam) in hac materia sensibile, primum significatiuum, etiam omnes eius partes tales esse debent, & sic fiet Corporis, & Sanguinis Christi Domini exclusio à ratione Sacramenti tantum. soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum est: Cardinalis de Lugo, qui vt ipse fatur loco citato numer. 36. non ratione, sed auctoritate mouetur; cum enim (inquit ille) quæstio sit de modo quo significat hoc nomen, *Eucharistia*, potissimum argumentum desumendum est ex modo communi quo illud

Patres, & Theologi usurparunt. Porro Patres per illud nomen solum significasse in recto corpus Christi, & non species probatur faciliter, quia passim prædicarunt in recto Eucharistiam de Corpore Christi, & e contra, & deinde affert auctoritatem Amb. Iustini, Gregorij, & Theodoretii, qui vocant sacramentum Altaris Corpus Christi Domini. Potuisset etiam adere sacræ scripturæ auctoritatem Io: 6. vbi Sacramentum altaris vocatur caro Christi; *Panis, quem ego dabo* (hoc est Eucharistiæ Sacramentum) *caro mea est pro mundi vita.*

Respondetur faciliter Sacram Scripturam, & Patres loqui per figuram methonomiam tribuendo contento nomen contentis. Vel dicitur secundò, quod dum Patres vocant Eucharistiam Corpus Christi, non loquuntur de Sacramento tantum, sed de re, & Sacramento simul; quod est potissimum in Eucharistia, & sic euanescit illius auctoris fundamentum.

Sed dices in fauorem sententiæ Lugij: quia idem est Sacram-



cramentum Eucharistiæ, & sacrificium, seù idem est Sacramentum, & res quæ in Missa incruentè sacrificatur, sed res quæ in Missa sacrificatur est Corpus, & Sanguis Christi Domini, & non species; ergò Sacramentum, quod in Missa conficitur erit Corpus Christi Domini, & nõ species.

Respondetur namque negando maiorem; alia enim est ratio Sacramenti, alia sacrificij; Sacramenti namque ratio, est ratio signi significatiui gratiæ, ratio vero sacrificij est victimæ oblatio, & immolatio, quæ Corpori, & Sanguini Christi Domini conuenire potest, & licet in sacrificio requiratur quod tam oblatio, seù immolatio ipsa, quam res oblata sint sensibilia, tamen non attenditur in sacrificio quod res oblata sit sensibilis per se, vel per aliud sicut in Sacramento, in quo, vt diximus, requiritur quod sit quid sensibile per se.

Secundum argumentum in ordine, probat directè contra nostram conclusionem, quod species Sacramentales

nequeant esse Sacramentum; sic. Species consecratæ non sunt causa gratiæ; ergò nec significant illam; ergò non sunt Sacramentum. Antecedens constat, quia in hoc Sacramento solus Christus Dominus est ille qui gratiam causat, sicut enim cibus corporalis se ipso, & non medio aliquo instrumento nutrit, ita & cibus spiritualis, iuxta illud *Caro mea vere est cibus*. Prima consequentia patet: nouæ namque legis Sacramenta gratiam quam signant causant, & quam causant signant; licet enim de essentia Sacramenti vt sic non sit gratiam causare, sed solum illam signare (propterea diximus disput. 1. de Sacramentis in Genere quæst. 3. causalitatè gratiæ in Sacramentis esse extra essentiam illorum) est tamen proprietas Sacramentorum nouæ legis; vnde de fide tenemus ex Concilio Tridentino sess. 7. can. 7. de Sacram. in Genere, quod omnia nouæ legis Sacramenta causant gratiam in non ponentibus obicem; & per consequens si semel species gratiam non



causant, nec significabunt illam; & inde nec sacramentū erunt; sed Corpus, & sanguis Christi Domini, cuius est gratiam causare, & signare.

Respondetur negando antecedens: licet enim ut modo in obiectione dicebamus non sit de essentia sacramenti gratiam causare, est tamen nouæ legis sacramentorum proprietas, & sic cum species consecratæ sint sacramentum nouæ legis, debent gratiam causare; sed an sole species, an etiam Corpus Christi Domini gratiam causet, & quomodo adhuc sub iudice lis est. In primis mihi videtur certissimum quod non sole species, verum etiam Corpus, & Sanguis Christi Domini gratiam causet, quod clare colligitur ex pluribus Sacræ Scripturæ locis in quibus effectus spiritualiter cibandi, Christi Domini Corpori, & Sanguini tribuitur; ut patet ex illo lo. 6 *Qui manducat me, & ipse uiuet propter me, & ex illo, Caro mea uerè est cibus, & Sanguis meus uerè est potus, &c.* Difficultas ergò solum est quo modo gratia causetur à Cor-

pore, & sanguine Christi Domini. Aliqui uolunt Christum Dominum in sacramento duplicem habere causalitatem respectu gratiæ, quæ in hoc sacramento datur, unam principalem moralem, alteram phyacam, quæ nobilior ualdè est, quam sit illa, quæ speciebus conceditur; hæc enim est instrumenti separati, illa coniuncti.

Sed iste dicendi modus quoad id quod de causalitate moralis principali dicitur non uidetur uerus, quia ut optimè aduertit N. Cornexo, licet Christi Domini tota humanitas ex corpore, & anima constans secundum se considerata, & extra sacramentum, sit moralis causa gratiæ, non tamen solum Corpus, & solus sanguis, quæ ex vi solū modo uerborū sunt in sacramento, cuius auidēs ratio est; quia causa moralis est illa quæ per libertatem operatur, & meritoriè, quod corpori, & sanguini sine anima conuenire non potest. Patet autem quod ex vi uerborum in sacramento non ponitur anima, alioqui si quis consecrasset in triduo,

non



non solum Corpus, & sanguinem Christi Domini poluisset verum etiam animam, quæ à corpore tunc temporis erat separata; unde sicut in triduo Corpus Christi Domini causa moralis esse non poterat; ita, & modo, posset tamen dici, quod Corpus Christi Domini sit etiam aliquo modo causa moralis instrumentalis quatenus est præteritum nostræ iustificationis, sicuti pecunia, ut præteritum ad liberandum captivum, causa moralis instrumentalis talis liberationis dici potest. Quod autem in sacramento per concomitantiam etiam anima ponatur, nihil facit ad hoc ut Corpus Christi Domini dicatur causa moralis principalis. Unde melius alij dicunt Deum eleuare simul species Panis, & Vini, cum Corpore, & sanguine Christi Domini per modum vnius completi instrumenti ad causandam physicè gratiam, licet si fiat partium huius instrumenti distributio, Corpus, & sanguis Christi Domini nobiliorem obtineat locum, cum sine quid Diuinitati coniunctum.

Tertium argumentum in ordine est. Quia species Sacramentales non significant gratiam, sed Corpus, & Sanguinem Christi Domini; ergò non sunt Sacramentum. Consequentia patet ex dictis in Super ori argumento. Nam de essentia Sacramenti non est gratiam, causare, sed significare; ergò si semel species gratiam non significant, sed Corpus, & Sanguinem Christi Domini: non erunt Sacramentum. Antecedens probatur; quia ut patet ex utraque forma consecrationis nulla fit gratiæ Sanctificatiōis mētio, sed solum Corporis, & Sanguinis Christi Domini: *Hoc est Corpus Meum: &: Hic est Calix Sanguinis mei.*

Respondent aliqui species Sacramentales significare immediate Corpus, & Sanguinem Christi Domini, & mediate gratiam. Sed hæc responsio sustineri non potest secundum doctrinam datam, quod de Sacramenti essentia sit, esse signum gratiæ cum enim hæc ratio sit essentialis non potest secundario, & solum mediatè importari. Pro-

pte-



pterea respondent alij, quod species Eucharistię significant gratiam secundum rationem genericam, non secundum rationem specificam, quia secundum hanc Corpus, & Sanguinem Christi Domini habent significare. sicut homo qua animal est, est sensibilis, qua homo rationalis. Sed neque hæc solutio placet; quia ut supra de Sacramentis in Genere disput. 1. quęst. 3. docuimus, si semel ratio generica Sacramenti est significare, ut sic, ratio specifica erit tali modo significare; propterea ibidem docuimus, quod si semel ratio generica Sacramenti est ratio signi, specifica non poterit esse ratio gratiæ causatiua; Vndè patet non esse ad rem adductum exemplum; nam etiam in homine animal quod est genus contrahitur per talem differentiam animalis, non per quamcunque differentiam: his reiectis.

Respondetur species Eucharisticas significare propriè formaliter, & immediatè gratiã sanctificantem, Corpus vero, & Sanguinem Christi Domini quasi de materiali, & se-

cundario. Cum enim hoc Sacramentum sit institutum per modum cibi spiritualiter nutrientis, & hoc non sit munus Corporis, & Sanguinis Christi Domini, sed gratiæ per hoc Sacramentum causatæ, fit quod species per se primo habent hanc gratiam signare, & quasi secundario, & de materiali Corpus, & Sanguinem Christi Domini, quæ sunt veluti alia concausa ad causandam illam gratiam spiritualiter nutrientem.

Quartum argumentum: Quoniam (inquit Lugo) iuxta definitionem Tridentini Concilij sess. 13. cap. 5. & can. 6. huic Sacramento patriæ adoratio debetur; Atqui species consecratæ non sunt hac adorandæ adoratione, sed alia inferiori; ergo species non sunt Sacramentum, sed Corpus Christi Domini, quod ea adoratur adoratione.

Respondetur concedendo Maiorem, & negando Minorem cum N. Cornexo, Nugno & aliis D. Thomæ discipulis hic species namque cum Christum Dominum continent eodem debent adorari cul-

tu, ac



tu, ac ipsum contentum; sicut enim adoratione patriæ adoratur Crux; clauus, & imago Christi Domini, cum tamē imago representet Christum Dominum solum obiectiuè præsentem, quanto magis adorari debent species adoratione patriæ, quæ non obiectiuè præsentiam Christi Domini representât, sed veram, physicam, & realem. Vnde cum species simul cum Corpore, & Sanguine Christi Domini obiciantur adorandæ, eadem adoratione sunt adorandæ, quæ ipsum Corpus, & Sanguis Christi Domini adoratur. Bene verum est quod si species considerētur secundum se, non prout continent Christum Dominum, sed præcisè ratione illius excellentiæ, & dignitatis, quam habent ex vnione

ad Christum, non adoratione patriæ, sed alia inferiori, quæ hyperdulia vocatur, adorari debent. Vnde species Eucharistiæ ratione personæ Verbi, quam continent adoratione patriæ adorantur, ratione vero excellentiæ, quam habent ex vnione ad Corpus, & Sanguinem Christi Domini adorari debent adoratione hyperduliæ. Ex quibus omnibus colligitur, quod licet Corpus, & sanguis Christi Domini nō sint sacramentum Eucharistiæ in recto, sed solum species, importantur tamen necessario in obliquo, & sic Eucharistiæ sacramentum erunt species consecratæ, seu dicentes ordinem ad Corpus, & sanguinem Christi Domini tanquam ad id, quod realiter continetur, &c.





## QVAESTIO IV.

*An forma Eucharistica ad essentiam eiusdem  
Sacramenti pertineat.*

**H**anc difficultatem tetigimus supra de Sacram. in Genere disput. 2. q. 1. in solutione primi argumenti. Modo oportet, operosius illam explicare: pro quo nota nos non loqui in praesenti quaestione de forma consecrationis prout est Panis, & Vini consecratio, seu prout est insensibilis actio conuersiva Panis, & Vini in Corpus, & Sanguinem Christi Domini, de hac enim actione aliquid praecedenti quaestione diximus, & aliquid in hac eadem quaestione dicetur; sed loquimur de forma Eucharistiae formalissimè prout dicit externam, & sensibilem verborum prolationem, seu vt dicit ipsa verba consecrationis nempe, *Hoc est Corpus Meum: Hic est Calix Sanguinis Mei*, à Sacerdote prolata cum debita intentione, & supra materiam debitam. De qua re.

Prima sententia est, quod verba consecrationis requirantur ad hoc Sacramentum, solum vt principium formale efficiens illud, non vt forma formaliter componens, & sic verba in hoc Sacramento duo habent munera, & efficiendi Corpus Christi Domini, & determinandi materiam, secundum quam rationem dicuntur verba huius Sacramenti forma, non quia simul cum huius Sacramenti materia, aliquam faciant compositionem. Hanc sententiam post Scotum, Gabrielem, & alios, sequitur Vasquez hic disput. 167. cap. 3. & alij moderni. Vnde ex hac sua sententia inferunt, quod si Deus sinè vlla verborum prolatione poneret Corpus, & Sanguinem Christi sub speciebus Panis, & Vini, ac modo est, idem esset prorsus Sacramentum, ac modo.

Secun-



Secunda sententia docet verba esse formam sacramenti Eucharistiæ in fieri, non in facto esse, quia solum determinant materiam quoad fieri, non quoad factum esse, & sic pertinere ad Eucharistiam solum quoad fieri, non quoad factum esse; ita plures moderni.

Nostri sententia sequenti explicatur conclusione. Forma sacramenti Eucharistiæ, pertinet intrinsecè, & essentialiter ad Sacramentum Eucharistiæ in facto esse. Ita Nugnus supra quæstione 60. art. 2. Suarez, & Valentia quos refert, & sequitur Lugo hic sect. 4. num. 47. N. Cornexo hic disput. 2. dubio 6. & est communis apud Theologos antiquos ut testatur Lugo, & etiam modernos præfertim ex schola D. Thomæ. Videatur Nugnus hic conclusione 6. ubi hoc probat, quia sacramenta essentialiter componuntur ex rebus, & verbis, sed hic non sunt alia verba sine consecrationis forma; ergò &c. de quo postea.

Probatur primò conclusio ex Concilio Florentino in

Decreto Eugenij ubi postquã *S. Quinto Ecclesiasticorum*, dixit omnia nouæ legis Sacramenta, materia perfici, & forma, postea docet, formam Eucharistiæ, esse verba consecrationis; ex quo loco sic breuem formamus rationem. Forma est de essentia rei cuius est forma, sed verba consecrationis sunt huius Sacramenti forma; ergò ad huius essentiam Sacramenti pertinent; quæ ratio est adeo efficax, quod si benè expendatur omnes euanescent solutiones, quæ ab aduersarijs adhibentur.

Respondent aliqui, quod verba Eucharistiæ sunt forma eiusdem Sacramenti in fieri, non in facto esse, quia determinant materiam solum in fieri, non in facto esse. Ita sententiæ secundo loco relatæ defensores. Sed hanc responsionem benè improbat Lugo; quia consecrationis verba nõ possunt esse ipsius fieri forma, cum sint principium efficiens eiusdem fieri; principium namque efficiens, cum sit extrinsecum quid respectu rei quam efficit, non potest esse rei effectæ forma, alioqui vnum, &



idem esset principium extrinsecum, & intrinsecum, quod esse nequit.

Respondet Vasquez ubi supra, quod verba consecratoria sunt quidem huius Sacramenti, ut vult Eugenius in suo Decreto, forma, sed non intrinseca, sed extrinseca dumtaxat, cum non sit principium componens hoc Sacramentum, sed efficiens; scilicet quia sunt principium formale efficiens hoc Sacramentum. Sed haec solutio videtur potius ludere verbis quam re, ut enim post alios obseruat Lugo ubi supra, est modus impropriissimus loquendi, vocare principium efficiens formale ( prout *Ly* formale distinguitur à principio materiali ) formam; nomine namque formae venire volunt Philosophi partem compositi intrinsecam, quae simul cum materia vnum facit compositum; ita mentem Florentini Concilij intellexit Catechismus Romanus par. 2. cap. 1. dum loquens de materia, & forma verborum dicit, *esse partes, ex quibus vnum quodque Sacramentum necessario*

*conficitur, & constituitur.*

Probat<sup>r</sup> secundo Sancti Thomae auctoritate supra q. 60. art. 6. ad 2. ubi habet *Quamuis verba, & alia res sensibiles sint in diuerso genere quantum pertinet ad naturam rei, conueniunt tamen ratione significandi, quae perfectius est in verbis quam in alijs rebus, & ideo ex verbis, & rebus fit quodammodo vnum in Sacramentis sicut ex forma, & materia, in quantum scilicet per verba perficitur significatio rerum, &c.* Et infra quaestione 86. art. 6. in corpore habet: *Omne autem Sacramentum producit effectum suum non solum virtute formae, sed etiam virtute materiae, ex utroque enim est vnum Sacramentum.* Et in 4. sent. dist. 1. quaest. 1. art. 3. in corpore habet: *Hoc est commune in omnibus Sacramentis quod consistant in rebus sensibilibus inuisibilem gratiam signantibus. Sed hoc est speciale in Sacramentis nouae legis, quod rebus verba addantur propter tres rationes. Prima est, quia haec Sacramenta non solum signant opus redemptionis, quae*  
per



per Christum est facta sicut alia Sacramenta, sed etiam ab ipsa Christi Passione fluxerunt, & ideo sicut effectus proximi habent suæ causæ imaginem quantum possunt ut scilicet ex rebus, & verbis consistant, sicut Christus ex Verbo, & Carne. Secunda ratio est, quia non solum sunt signa futurorum sicut Sacramenta veteris legis, sed præsentium, & præteritorum, ut prius dictum est, quia possunt expressius significari, quam futura, sicut & certius cognosci: & ideo significatio verborum quæ est expressissima, adiungitur significationi rerum. Tertia ratio est, quia gratiam continent ex sanctificatione, quæ fit per Verbum Dei. Hæc ille.

Probatum tertio ratione desumpta ex primo D. Thomæ testimonio: Nam illud intrinsece est, & essentialiter pertinet ad rationem Sacramenti Eucharistiæ, cui convenit potissima, & formalissima ratio significandi; sed hæc perfectius est in verbis quam in alijs rebus, ut dicit doctor Angelicus; ergo non solum materia, nempe species pertinent essentia-

liter ad rationem Sacramenti Eucharistiæ, verum etiam verba. Maior patet ex millies dictis: quod nimirum ratio significandi sit ratio essentialis constitutiua Sacramenti, & per consequens illud cui magis hæc ratio competit, essentialius ad rationem Sacramenti pertinebit. Minor est D. Thomæ, & videtur omnino evidens, quia res ex se non habent significare, sed solum, ut humanæ subsunt deputationi, cui cum magis subsint verba, quam res, illa magis quam ista habebunt significare. Tum quia per verba rerum perficitur, & determinatur significatio; ergo &c. Consequentia ex præmissis benè sequitur. Species namque, quæ sunt materia proxima huius sacramenti totam quam habent vim significandi mutuant a verbis, vel saltem specierum significatio ultimo completur, & perficitur per verba; nam species de se nec præsentiam Christi Domini significant, nec gratiam dandam, sed solum prout substant verbis, seu prout sunt consecratæ, quod non habent à se, sed media forma  
seu



seu mediis verbis; vnde si Christi Domini Corpus sub speciebus sine verbis per Diuinâ potentiam poneretur non significaretur sensibiliter, hoc enim habet species prout substantia verbis; vnde si quis videat species, & nesciat per verba esse consecratas non veniet in cognitionem Corporis Christi Domini, nec gratiæ per ipsum dandæ, &c.

Probatur quarto ratione desumpta ex secundo D. Thomæ testimonio: Illud pertinet ad essentiam sacramenti nouæ legis secundum quod gratiæ causatiuum est, cui Magis conuenit hæc gratiæ causalitas; sed in sacramento Eucharistiæ, sicut & in alio quolibet, gratiæ causalitas magis conuenit verbis, seu formæ, quam speciebus, seu materiæ; ergò ad Sacramentum Eucharistiæ secundum hanc rationem, magis pertinent verba, quam species, licet aliundè species maioris sint excellentiæ, quam verba ratione contenti &c: Totum argumentum ex illo D. Thomæ testimonio colligitur, vnde maiori non indiget expensione.

Probatur quinto ratione desumpta ex tertio Doctoris sancti testimonio: Quoniã ita nouæ legis Sacramenta constant rebus, & verbis, sicut Christus Dominus constat, ex verbo, & carne; sed ad essentiam, & intrinsecam rationem Christi Domini non solum caro, verum etiam Verbum pertinet; ergò etiam ad essentiam Sacramentorum non solum res, verum etiam verba pertinebunt quæ ratio cum probet de omnibus, etiã de Eucharistiâ probabit. Adde, implicare aliquid esse formam, & non pertinere ad essentiam eius cuius est forma; vt constat ex Philosophia. Soluuntur argumenta in contrarium;

Primum argumentum desumit Vasquez ex adducto Eugenii decreto, vbi Pontifex statuit, quod Verba consecrationis sunt id quo Eucharistiæ Sacramentum conficitur, ergò ex mente illius Pontificis verba non sunt causa formalis Sacramenti Eucharistiæ, sed efficiens; id enim quo aliquid efficitur, non forma, sed efficiens dicitur.

Respondetur, quod verba  
in



in hoc Sacramento, & habent rationem causæ efficientis, & habent rationem causæ formalis, habent rationem causæ efficientis secundum quod illis mediis Sacerdos Eucharistiæ conficit Sacramentum, & secundum hanc rationem non pertinent ad hoc Sacramentum tanquam pars intrinseca, & essentialis, sed solum tanquam causa extrinseca efficiens. Habent autem verba, rationem causæ formalis secundum quod, ut dicit D. Thomas, *complectunt res*, nempe species, *in ratione significationis*, quæ est ratio Sacramenti constitutiva; & secundum hanc rationem verba ad essentiam pertinent sacramenti Eucharistiæ, &c.

Secundum argumentum: sacramentum Eucharistiæ consistit in permanenti, nam transacta consecratione perseverat ergo constitui non potest intrinsecè, & essentialiter ex verbis. Antecedens est de fide. Consequentia patet: nam cum verba essentialiter transeant, cum sint motus quidam, vel saltem fiant cum motu, non possunt esse de essentia rei permanentis.

Respondet Suarez, quod Eucharistia non perseverat quoad omnem sui partem, sed solum quoad unam, nempe quoad materiam proximam, scilicet species. Sed hæc solutio sustineri non potest: primo quia ex illa sequitur verba non esse formam Eucharistiæ in facto esse, sed solum in fieri, quod supra improbauimus. Secundo quia implicat manere aliquod compositum ut tale, quin maneant etiam partes componentes. Tertio quia contra illam militant omnes rationes quas ex D. Thoma pro nostra conclusione adduximus.

Respondet Lugo, manere Eucharistiam quoad id quod dicit in recto, non quoad id quod affert in obliquo, cum autem solum Christus in recto importetur in hoc Sacramento, sufficit, quod solus Christus Dominus maneat sub speciebus, etiam si verba non maneant, ad hoc ut dicatur Eucharistiæ sacramentum manere. Sed hæc etiam solutio impugnata manet ex dictis quæstione præcedenti, ubi contra hunc auctorem probauimus Corpus Christi



Christi non esse rectum huius Sacramenti. Tum etiam quia quidquid sit, quod Corpus Christi sit rectum huius Sacramenti, cum certum sit manere etiã species, quæ sunt materia huius Sacramenti proxima, ad huc currit argumētū, an debeat etiam manere forma, cum enim verba non sint forma Corporis Christi Domini, sed species, & hæc siuè in recto, siuè in obliquo importentur, omnino manent, etiam earum forma constitutiua manere debet.

Respondetur ergò concedendo Antecedens, & negãdo consequentiam. Ad probationem dicitur, quod licet verba materialiter transeant, manent tamen formaliter, cū enim vt docet D. Thomas locis supra citatis verba sint forma Sacramenti in quantum determinant, & complent materiæ significationē, fit quod quamdiu materiæ manet significatio, & ita completa ad significandum, tamdiu manere censentur verba; cum ergò in nostro casu transactis materialiter verbis, manent species cum sua completa signifi-

catione, ad significandum gratiam cibantem, & Corpus Christi Domini, sequitur quod manent etiam verba formaliter. Species enim non aliter completè significant nisi in quantum sunt consecratæ, hoc autem esse consecratum habent à verbis, vt patet, & sic quandiu species consecratæ manent, tamdiu verba manere censentur.

Tertium argumentum: Si verba ad essentiam Sacramenti Eucharistiæ pertinerent, sequeretur quod species non in recto in hoc importarentur Sacramento, sed in obliquo dumtaxat, hoc dici nequit; ergò neque illud. Maioris sequela probatur: nam regula generalis est concretorum accidentalium quod solam formam in recto significant, vt docet Aristoteles cap. de substantia, vbi interpretæ Boetio dicit: *album solam qualitatem significat*. Vnde Soncinas in sua Logica in antepredicamentis quæstione de denominatiuis docet albedinem in abstracto, & album in concreto eandem formam significare, aliter tamen, & aliter nam



nam albedo significat formam per modum persistentis, album vero per modum alteri adiacentis, & sic forma in istis concretis in recto importatur, & subiecto in obliquo.

Respondetur negando sequelam Maioris, ad probationem conceditur, quod concreta accidentalia solam formam in recto importent, non tamen artefacta, nam ista vtrunque in recto important, sicuti concreta substantialia, ut adnotauimus supra de Sacramentis in genere disp. 1. quæstione 1. in solutione primi, propterea Aristoteles 3. Phy. sic omni in cap. 7. comparat compositum ex materia, & forma rebus artificiatis. Et ratio est quia si artificiata verbigratia ferra solam formam significaret, diceretur vniuocè de ferra ferrea, & lignea, quod nemo dicit. Adde quod dato, quod artificiata solam formam significarent; adhuc hoc dici non deberet de nostris artificiatis, nempe de Sacramentis quia cum Sacramenta sint artificiata ex diuina institutione, fieri potuit, & de facto ita

factum est, ut ex Florentino, & Tridentino de Sacramentis in genere docuimus, quod Sacramenti essentia ex materia, & forma in recto importatis, constituerentur.

Si autem quæras rationem ob quam concreta accidentalialia solam formam significant & artificiata, & materiam, & formam: dico rationem esse quia concreta accidentalialia ut v.g. album importat materiam non ut partem, sed potissimè, ut subiectum, artificialia vero important materiam ut partem, & hæc est ratio ob quam Philosophus loco citato comparat concreta substantialia artificiatis, non concretis accidentalibus, &c.

Hic pertraçant aliqui actionem transubstantiatiuam intrinsecè pertinere ad hoc Sacramentum, sed non est necesse in hoc immorari cum certum sit directè non pertinere cum non sit sensibilis, & certum sit præsupponi cum sit actio Sacramenti productiua, an autem præsupponatur actio illa solum sub conceptu primæ positionis Corporis Christi Domini sub speciebus, an eti-



am sub conceptu conseruationis eiusdem Corporis Christi sub iisdem speciebus ita quod posicio Corporis sub accidentibus, & conseruatio sub iisdem in uirtute eiusdem fiat actionis, communiter non disputant Theologi, nec ad præsentem pertinet disputationem, sed ex dicendis infra; solum aduerto non bene inferre Lugo contra Suarez, quod ex hoc

quod illa actio utrunque præstent munus, quod debeat ad hoc Sacramentum intrinsecè, & per se pertinere, cum semper illa actio extrinsecè se habeat ad hoc Sacramentum siue ut prima Sacramenti posicio, siue ut conseruatio, non intrinsecè, cum numquam se habeat ut pars Sacramenti intrinseca, & sensibilis, ut patet.





DISPV TATIO  
 S E C V N D A.  
 DE VNITATE NUMERICA  
 ET SPECIFICA  
 SACRAMENTI  
 E VCHARISTIAE.

**A**GVNT Theologi de vnitate specifica, & numerica huius Sacramenti hac quaestione 73. art. 2. vbi Angelicus Magister subtiliter rem totam resoluit, dicendo quod *hoc Sacramentum est quidem multa materialiter, sed vnum formaliter, & perfectiue*: & sic explicat verba illius collectae, *purificent nos Domine Sacramenta quae sumpsimus*; quod nimirum de materiali huius

Sacramenti pluralitate intelligantur, non de formali, propterea notat quod in eadem subditur collecta, *hoc tuum Sacramentum non sit nobis reatus ad panam, sed intercessio salutaris ad veniam*. Quia tamen post D. Thomam plures ortae sunt difficultates circa huius Sacramenti pluralitatem, tum specificam, tum numericam, ideo operae praetium duxi rem hanc funditus dilucidare. Sit ergo.



## QVAESTIO I.

*Virum species Panis, & Vini sint unum Sacramentum simpliciter, unitate specifica, & atoma.*

**P**RO huius difficultatis intelligentia ea sunt ad memoriam reuocanda quæ de Sacramento in genere disp. 1. quæst. 1. in solutione 4. argumenti, & alibi dicta sunt; nimirum Sacramenta esse quædam artefacta, & entia moralia duplicem habentia unitatem, materialem vnã, formalem alteram, vnitas materialis illa est, quæ ex unitate signi sensibilis desumitur, quatenus illud est res vna simplex formalis vero illa est, quæ ex unitate significationis proprii effectus desumitur; dicitur hæc vnitas formalis, & illa materialis, quia licet, & hæc, & illa alia à forma desumatur diuersimodè tamen, quia hæc desumitur à forma, vt ita dicam partis, illa à forma totius, significatio namque, vt ibi explicuimus, est vltima Sacra-

menti forma; vnde in Sacramento duplex est compositio, prima ex materia, & forma, verbigratia ex ablutione, & verbis, secunda ex ablutione, & verbis simul, & significatione, ita quod illa duo rationem habeant materiæ, respectu significationis, quæ formæ rationem habet.

Conueniunt omnes quod si loquamur de unitate purè materiali hoc Sacramentum non est vnũ in specie atoma cum luce clarius sit materiale huius Sacramenti non esse vnã rem simplicè, sed plures sũt. n. plures formæ materialiter, pluresq; materiæ, de unitate ergò formali præfès procedit difficultas, de qua re sunt duæ sententiæ.

Prima sententia est, quod species Panis, cum Corpore Christi Domini, quod  
con.



continent, diuersum constituunt specie Sacramentum, ab illo quod constituunt species Vini cum Sanguine eiusdem Domini, quem continet, & sic vult ista sententia quod sint duæ species Sacramenti contētæ sub vno genere quod communi nomine Eucharistia vocatur. Ita Aureolus apud Capreolum 4. dist. 8. quæst. 1. conclus. 2 Gab. ibidem quæst. 2. art. 2. & Lect. 53. in cano- nem, refertur pro hac sententia Maior, apud Suarez hic disput. 1. sect. 3. & illam defendunt aliqui moderni.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Sacramentum Eucharistiæ prout coalescit ex vtraque specie, Panis, & Vini, est vnum Sacramentum in specie atoma. Est omnium discipulorum D. Thomæ hoc art. 2. & omnium ferè Theologorum, vnde non est necesse quemquam in particulari referre.

Probatum primo ratione, qua vtitur S. Thomas in articulo. Illud dicitur vnum quod non solum est indiuisibile (secundum quam rationem Angelus, & rationalis anima sunt

vnum) neque solum, quod continuum est (secundum, quam rationem continua quãtitas vna est) sed etiam, inquit Angelicus, *quod perfectum est*, quo vnitatis genere domus vna est: illud autem perfectum dicitur cui nihil deest ex ijs, quæ ad eius statum, & naturam requiruntur, seu quod in idem reddit, illud est perfectum, quod omnibus constat quæ ad eius finem requiruntur; Atqui Eucharistia est huiusmodi secundum quod vtræque dicit speciem, ergo est vnum Sacramentum vnitatis hac vltima perfectionis, & finis; sed hæc vnitatis non est generica, ergo est specifica, & atoma: hæc Minor subsumpta, & eius cōsequentiæ sunt omnino certa, si semel præcedens argumentum sit certum. Maior ergo est certa vt patet ex doctrina, & exemplo adducto à D. Thoma, Minor in qua potest esse aliqua difficultas probatur, nam Eucharistiæ Sacramentum secundum, quod vtræque affert speciem ad vnicam spiritualem animæ refectionem ordinatur, & in hoc ipso completur; ergo cum ille



ille species vnam completam, & adequatam compleant refectio- nem, prædictam habebunt vnitatem. Vnde sicut corporalis refectio, ex cibo, & potu vna est in specie atoma etiam si cibus, & potus materialiter, plusquam specie distinguantur, & sicut conuiuium, cibo potuque constans vnum conuiuium est; Ita refectio spirituali ex Corpore & Sanguine Christi Domini sub speciebus Panis, & Vini vna erit, vnumque conuiuium quod clare colligitur ex illo Io. 6. *Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus &c.* Et ex illo Apostoli p. cor. 13. *Vnus Panis, vnum Corpus sumus omnes, qui de vno Pane, & de vno Calice participamus.*

Probatur secundo ratione desumpta ex præsuppositis in huius quæstionis principio; Vnitas formalis, & specifica Sacramenti desumitur ex vni- tate significationis, & effectus primario inspecti; sed Eucharistia Sacramentum secundum quod vtramque affert speciem vnicam tantum habet signifi- cationem, vnicum causat in

uscipiente effectum, spiritua- lem videlicet animæ refectio- nem; ergo erit vnum Sacra- mentum vnitatem formali spe- cifica, & atoma. Maior patet ex dictis. Minor etiam patet ex modo citatis Sacrae Scri- pturae testimonijs. Cõsequen- tia bene sequitur. Soluuntur argumenta in contrari- um,

Primum argumentum: Sa- cramenta multiplicantur for- maliter ratione significationis gratiæ sanctificantis; ergo vbi plures erunt significationes gratiæ sanctificantis, ibi plura erunt Sacramenta, sed in Eu- charistia sunt plures signifi- cationes gratiæ sanctificantis, ergo & plura erunt Sacramenta Primum Antecedens est certum ex doctrina à nobis tradita consequentia bene ex Ante- cedenti sequitur. Minor sub- sumpta probatur, quia species Panis significant gratiam ci- bantem per modum cibi, vt ita dicam, solidi, & species Vi- ni significant gratiam cibantem per modum potus, propterea Christus Dominus dicebat: *Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus* Atqui ille



iste sūt duæ significationes gratiæ specie distinctæ; ergo erunt duo Sacramenta specie distincta.

Respondetur admittendo, quod species Panis, & Vini habeant speciales illas significationes, non quidem, ita vt sint totales, sed partiales, & complentes vnā totalem significationem perfectæ refectionis, & completi conuiuij. Vnde ex illo argumento solum sequitur quod sint plura Sacramenta materialiter, vt docet D. Thomas, non formaliter, quia licet illæ significationes sint formæ quædam partiales constituentes diuersa Sacramenta, vt ita dicam partialiter, tamen expectant aliam vltimam significationem, respectu cuius materiæ rationem habent; & sic in speciebus Panis significatio gratiæ per modum cibi confirmantis cor hominis, iuxta illud: *Panis cor hominis confirmat*; & in speciebus Vini significatio gratiæ lætificantis cor hominis, iuxta illud: *Vinum lætificat cor hominis*: sunt duæ significationes partiales quibus aduenit alia to-

talis, & est significatio integre refectionis spiritualis, & integri, & completi conuiuij. Igitur Sacramentum Eucharistiæ habet duas, vt ita dicā, partes, ad inuicem specie formali partiali distinctas, complentes postea vnā integram speciem adequatam, & completam &c. Et per hæc patet quomodo explicanda sint Cōcilia, & PP. dum Sacramentum Eucharistiæ modo vnum Sacramentum vocant, modo plura.

Secundum argumentum; Species Corporis Christi Domini seorsim, & independentes à speciebus Sanguinis sunt simpliciter Sacramentum, & è contra; ergò absolute, & simpliciter sunt duo Sacramenta. Consequentia tenet; si enim vtraque species independentes sunt Sacramentum, & non vnum, sed plura erunt Sacramenta. Antecedens probatur, nam qui solas Panis species Christi Domini Corpus continentes recipit, aut asseruat, aut adorat, verè dicitur suscipere, asseruare, adorare Eucharistiæ Sacramentum; ergò hæc species sunt simplici-



pliciter Sacramentum independenter ab alijs, &c.

Respondetur quod qui suscipit species Corporis Christi Domini, qui asseruat, qui adorat, recipit quidem Sacramentum, asseruat adorat, sed non integrum, & completum, sed eius dumtaxat partem, sicut solus cibus non est integrum conuiuium, nec solus potus, sed inadequatè, sed partialiter tantum. Sed pro plena dictorum, & dicendorum intelligentia nota, quod Sacramentum Eucharistiæ triplicem ob causam non nunquam Sacramenta in plurali nuncupatur. Prima est, quia singula pars seorsim, & independenter ab alia est verum, & proprium Sacramentum, licet non integrum, & perfe-

ctum, vti iam diximus. Secunda causa, quia Sacramentum nonnunquam accipitur pro signo rei sacræ, siuè sanctificet nos, siuè non; vnde cum species Panis sint signum rei sacratissimæ, nempe Corporis Christi Domini, & species Vini sint signum Sanguinis eiusdem Domini, & sic sint duo signa, & duæ res signatæ inde secundum hunc sensum duo Sacramenta dicuntur. Tertia causa, quia per Sacramentum in latissima significatione res abscondita venit, vt de Sacramentis in genere in ipso initio notauimus, & quia sub vtrisque speciebus duæ res sacratissimæ absconduntur, ideo duo Sacramenta aliquando dicuntur.





## QVAESTIO II.

*An tota ratio specifica huius Sacramenti saluetur in vna tantum specie, ita quod altera ad integritatem solum pertineat.*

**P**robauimus quæstione præcedenti sacramentū Eucharistiæ licet duabus constet speciebus scilicet Panis, & Vini, nihilominus vnum in specie infima vnum esse sacramentum, cum ex illis duabus speciebus, vna integra perfectaque coalescat spiritualis refectio, vnumque integrum perfectumque spirituale conuiuium. Nunc videndum est, an illa ratio specifica sacramenti in vnica saluetur specie, ita quod vtraque species sit verè, propriè, & essentialiter perfectum sacramentum, quamuis non integraliter, seu quod in idem reddit an species Panis, & Vini sint duo essentialiter sacramenta, licet non sint duo talia integraliter, & per consequens an licet quælibet species sit essentialiter

Sacramentum, non tamen integraliter.

Prima sententia est affirmatiua, quod nimirum quælibet huius Sacramenti species sit essentialiter integrum Sacramentum, quamuis sit integraliter incompletum, & per consequens tota huius Sacramenti specifica ratio essentialiter in vnica specie saluetur, ita quod altera ad integritatem solum pertineat. Hanc sententiam sequuntur aliqui moderni post Belarm. lib. 4 de Eucharistia cap. 22. vt soluat potissimum hæreticorum nostri temporis argumentum, quo contra Catholicos inuehuntur, quod Sacramentum Domini mutilent, & sic mutilatum, & imperfectum laicis porrigunt; vel namque Panis, & Calix sunt duo sacramen-



ta, vel vnum. si duo; ergò populum integro fraudant sacramento, qui Calicem ei negant. si vnum; ergò dimidiatum laicis dant Catholici sacramentum. Vnde, inquit illi, quod Catholici populum parum ciuilitè tractant, qui eum ad sacras epulas inuitant, & solum cibum, sinè potu illi tribuunt. sed nõ est necesse, vt hæreticorum soluamus argumentum, communem relinquere sententiã, vt ex dicendis patebit.

Nostra ergò sententia sequenti explicatur conclusione. Vtraque species est de essentialia Eucharistiæ, ita vt materia essentialis huius sacramenti integretur, compleatur, & coalescat ex speciebus Corporis, & sanguinis Domini; similiter huius sacramenti forma essentialis integratur ex formis partialibus, quibus istæ species consecrantur, & per consequens tota ratio specifica huius Sacramenti non saluatur formaliter in vnica sola specie &c. Hæc est certissima D. Thomæ sententia in hoc art. 2. & omnium discipulorum eius quate-

nus volunt hoc Sacramentum esse vnum vnitate specifica, & atoma, implicat enim quod ambæ species vnã faciunt speciem essentialem. atomam, & infimam, & quod tota hæc ratio in quacunque specie cõseruetur, ita quod sint duo essentialiter Sacramenta, & solum faciant vnum integraliter, accidentaliter, & moraliter. videatur Lugo hic. sect. 1. disputationis secundæ, vbi optimè probat Sacramentum Corporis, & Sanguinis esse duas species essentialis partialis, integrantes vnã speciem essentialem totalem. Videatur etiam N. P. Petrus Cornexus dubio 2. super hunc articulum qui Belarminum neruôsè, vt solet impugnat.

Probatur conclusio, quia vt bene notat Suarez Concilia, & PP. loquuntur de Eucharistia tanquam de vno Sacramento, vt patet ex Concilio Florentino sess. 7. & 13. & de consecratione distinct. 2. per multa capita, & iste est frequentior vsus in collectis Missæ, vt in hoc art. adnotauit Angelicus, & si interdum in plurali loquuntur, vel id fit la-

ta, &



ra, & vulgari significatione, vel quia sunt plura signa solum partialia, & materialiter distincta, vt vult idem Angelicus Magister; si autem esset plura Sacramenta adæquatè, & essentialiter completa, & solū integraliter essent vnum, certè non possent ita absolute, & simpliciter vnum dici Sacramentum. Et hoc etiam colligitur ex illo Apostoli 1. Cor. 10. *omnes vnum Corpus sumus, qui de vno Pane, & de vno Calice participamus.* Nam si semel Sacramentum Corporis, & Sanguinis duo essent essentialiter, & adæquatè Sacramenta non possent hanc mystici Corporis Ecclesiæ vnitatem significare. Propterea Pij V. Catechismus de hoc Sacramento dicit: *non plura sed vnum tantum Sacramentum, Ecclesia auctoritate docti confitemur.* Sed agamus contra Belarminum rationibus.

Prima ratio est Sancti Thomæ in hoc art. qua etiam vsi sumus quæstione præcedenti, sic iterum expensa: Sacramenti essentia in ratione gratiam significandi consistit; ergò vbi

hæc significandi ratio non plurificatur, nec Sacramentū plurificari debet; Atqui in casu Eucharistiæ non plurificatur; ergò nec Sacramentum plurificabitur. Minor subsumpta, de qua sola difficultas esse potest probatur: de essentia Sacramenti Eucharistiæ est gratiam sanctificantem significare, secundum quod est spiritualis quædam alimonia, seu secundum quod dicit rationem spiritualis conuiuij, sed de conuiuii essentia est non solum cibis, verum etiam potus; ergò de essentia Eucharistiæ non solum est significare gratiam dandam per Sacramentum Corporis, verum etiam Sanguinis, & per consequens in sola hostia consecrata, vel in solo Calice, ratio adæquata essentialiter Sacramenti Eucharistiæ non poterit consistere. Maior vt certa ab omnibus supponitur; Minor de qua est difficultas probatur, quia sicut in conuiuiio corporali, tota conuiuii essentia in solo Pane, vel in solo Vino non saluatur, ita & in conuiuiio spirituali, in solis Panis speciebus, vel in solis



speciebus Vini tota conuiuij ratio non saluatur, & sic cum significatio vnus speciei ordinetur ad integrandam, cum significatione alterius speciei, integram vnus conuiuij significationem, vna species non poterit esse integrum Sacramentum, sed parziale dumtaxat, vt rectè arguit Cardinalis de Lugo hic disput. 2. n. 9.

Sed respondebis pro sententia opposita, quod in vna tantum specie integra conuiuij ratio saluetur; cum enim sub specie Corporis etiam Sanguis per concomitantiam continetur, sit quod sub vna tantum specie integra conuiuij ratio saluetur, si enim semel daretur cibus aliquis corporalis humorem intra se continens refrigerantem, conuiuij integram haberet rationem; ergò cum hæc due rationes sub specie Corporis contineantur sequitur quod hæc solæ species integram conuiuij spiritualis rationem habeant; ob hoc de solis Corporis speciebus dicitur, quod & spiritualiter animam cibant, & simul refrigerant, sua inebriando dulcedine, ardoreque libidinis refrigerando.

Sed contra, quia ad rationem conuiuij corporalis non sufficit quod aliquis liquor per concomitantiam importetur, sed ex necessitate, & cibus, & potus directè, & per se importari debent, vnde ratio conuiuij non conseruatur in sola vna, cum tamen & cibus, & potus contineat rationem; ergò pariformiter in conuiuij spirituali non sufficit illa Sanguinis concomitantia, sed vera, & propria, requiritur inter cibum, & potum distinctio. Tum quia licet sub speciebus Panis, etiam Sanguis per concomitantiam reperiat, hoc tamen non est ex vi Sacramenti, sed ex vi verborum, sed velati per accidens; hoc autem non est sufficiens ad veram, & essentialem conuiuij rationem, ad quam ponendam & potus, & cibus per se requiritur; alioqui si in solo cibo ratio conuiuij saluari posset, etiam in solo potu posset saluari; & sic, sicut conuiua dici potest qui solum comedit, ita qui solum bibit, quod nemo dicit.

Secunda ratio. Quia si integra Sacramenti essentia in

vtra-

NB

X NB



utraque specie saluaretur, sequeretur licere in casu extremæ necessitatis ad communicandum infirmum, ne sine viatico moriatur consecrare in sola specie Panis; sed hoc nec Belarminus, nec alii communiter admittunt; ergò &c. Sequela probatur, quia ideo infirmo morienti licitum est Penitentia Sacramentum sine satisfactione administrare, quia tota Penitentia ratio saluatur sine satisfactione; ergò si in nostro casu tota ratio Sacramenti Eucharistia in solis speciebus Corporis continetur, ita quod species Sanguinis respectu illarum se habeant solum de integritate, poterit id ipsum fieri ad infirmum communicandum, alioqui assignetur disparitatis ratio.

Tertia ratio. Si species Corporis, & Sanguinis essent duo Sacramenta totalia ut vult Belarminus, & solum accidentaliter, seu integraliter in vnum coalescerent; sequeretur Ecclesiam habere plusquam septem Sacramenta, contra Conciliorum mentem, & PP. Hoc dici nequit;

ergò &c. Pater Vasquez licet nostram tueatur sententiam, dicit tamen hoc argumentum non habere vim, quia tunc temporis illa Sacramenta licet essent plura specie, non tamen genere, quia in vno conuenirent genere Sacramenti Eucharistia, ut habemus exemplum ordinis, qui licet sint plura Sacramenta specie, sunt tamen vnum genere, sicut etiam Sacramentum Extremæ unctionis.

Sed, bona venia, decipitur P. Vasquez, quia Ecclesia dum Sacramenta enumerat, non genera, sed species enumerat, non subalternas, sed infimas; si enim semel dicitur Ecclesiam genera numerare, cum non esset maior ratio de supremis, quam de immediatis, ita possent dici Sacramenta duo quam septem, in quantum quod omnia Sacramenta vel essent viuorum, vel mortuorum, quod nemo dicit. Nec verum est quod dicit Vasquez, quod nimirum Sacramentum Ordinis sit vnum genere, & plura specie, nam secundum Thomistarum sententiam, & secundum communem

NB

X  
NB



munem Ecclesiæ sensum ordines non sunt plures specie completa, sed incompleta, nõ sunt plura Sacramenta adæquata, sed inadæquata duntaxat; quod clare colligitur, tum ex gratia quam significant, & causant, tum etiam ex caractere; ex gratia quidem, quia hoc Sacramentum significat, & causat gratiam ad dignè, & rectè, & sanctè in Dei Ecclesia ministrandū, & quod hoc fiat hoc, vel illo modo, de materiali, & per accidens se habet. Ex caractere quidem, quia vt infra Deo dante dicemus vna est omnium ordinum entitas characteris, licet sint diuersæ extensiones; ita quod licet quilibet ordo proprium producat extensionis modum, non tamen propriam entitatem, sicut patet in habitibus scientiarum, in quibus prima conclusio producit entitatem habitus, cum primo extensionis modo; secunda conclusio producit secundum extensionis modum, sine entitate, cum iam producta reperitur, & sic deinceps. Ad illud de extrema vnctione dicetur suo loco:

pro modo sufficiat dicere, non esse tot Sacramenta adæquata, quot sunt vnctiones.

Quarta ratio: Species Corporis, & Sanguinis Christi Domini quando simul à Sacerdote sumuntur in Missa, sunt vnum tantum Sacramentum, non duo; ergo etiam si simul non sumantur. Antecedens concedit Belarminus loco citato propositione quarta: consequentia probatur, nã si semel verum esset, quod Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi Domini, essent duo integra, & distincta Sacramenta essentialiter, siue simul, siue non simul sumerentur, semper essent talia; implicat enim quod temporis variatio, & diuersitas, rei essentialiam mutet, cum tempus sit quid extrinsecum: quid enim interest ad essentialiam Sacramenti, & distinctionis eius essentialis, quod simul, vel non simul sumantur.

Dices cū Belarmino, quod licet quælibet species, secundum se sit completum Sacramentum, tamen quando simul à Sacerdote sumuntur, ad vnã ordinantur refectio-

nem,



nem, & vnā rem significāt, & vnum effectum producunt; vt patet in conuiujs corporalibus; si quis enim tria, vel quatuor, vel plura fercula eodem tempore in mensa ponat, illa omnia vnum facient conuiuium; si vero duo tantum ponantur hodie, & cras reliqua, iam duo erunt conuiuia. Similiter in baptismo si quis ter mergatur, vnus erit baptismus, si autem diuersis temporibus cum trina formæ repetitione, tria essent baptismata. Ita similiter in Sacramento Altaris si quis vno eodemque tempore duas, vel plures sumat hostiolas, vnum accipit Sacramentum; si autem diuersis temporibus, plura Sacramenta. Licet enim, inquit, quælibet particula integrum Sacramentum contineat, tamen cum adiungitur alteri, non multiplicantur Sacramenta, sed solum augetur, quod est materiale in symbolo:

Nam contra est, quia dum species Panis, & Vini simul à Sacerdote in Missa sumuntur, vel amittunt suam antiquam essentiam, & nouam acquirunt, vel non; primum dici nō

potest, nam cum hoc Sacramentum non consistat in vsu, sed in facto esse, nec huius Sacramenti essentia ab ipso dependet vsu, vt confiteantur fideles contra nostri temporis hæreticos, sequitur quod per vsu non varietur Sacramenti essentia; vnde est perinde respectu essentiæ Sacramenti, quod simul à Sacerdote sumatur, vel successiuè. Si dicat secundum, vt reuera dici debet, sequitur quod si dum simul sumuntur vnum sunt Sacramentum essentialiter, etiam vnum erunt etiam si successiuè sumantur, non enim rei permanentis essentia ex ipso rei vsu dependet. Nec illa exempla sunt ad rem, nam conuiuium non dicit essentialiter ferculorum pluralitatem hoc enim est de materiali, sed dicit rationem cibi, & potus; vnde si hodie sit cibus, & potus erit conuiuium, si solus cibus sit, vel solus potus non erit; vnde qui plures recipit hostiolas non est conuiuium, sed ita se habet, ac ille, qui sine potu hodie plura comedit fercula, vnde sicut plura fercula non faciunt integrum



conuiuium, ita neque plures hostiæ integrum Sacramentum, vt ex dictis liquet. Per quæ pater ad illud de vna, vel tribus immersionibus, nam immersiones non multiplicat Sacramentum Baptismi, nisi etiam formæ multiplicentur non in eodem, sed in diuersis subiectis, cum Baptismi Sacramentum non sit iterabile; vnde ex hoc, & ex aliis Belarmini exemplis contra illum fortè desumitur argumentum; si enim Baptismus non plurificatur essentialiter, nisi etiam forma plurificetur; ita neque Sacramentum Altaris, nisi & sua materia, & forma essentialis plurificetur; patet autem quod hoc Sacramentum cum sit institutum per modum spiritualis conuiuii, non plurificabitur, nisi conuiuii materia & forma plurificentur: sunt autem materia, & forma conuiuii cibus, & potus, vnde si sola fiat materiæ plurificatio Sacramentum prout essentialiter conuiuium est, non plurificatur, sed solum materialiter, seu materia eius.

Sexta ratio: Integra, & perfecta sacrificii ratio in vnica

tantum non saluatur specie; ergò neque integra, & perfecta ratio Sacramenti. Antecedens probatur, quia Eucharistia vt sacrificium est, cruentum Christi Domini in Cruce significat sacrificium, vt colligitur ex illis Christi Domini verbis: *hoc facite in meam commemorationem*; Atqui Sacrificium Crucis nõ solū dicit Corpus, verum etiam Sanguinem; ergò sacrificium incruentum non solum species Corporis, verum etiam Sanguinis afferre debet; alioqui debita non esset correspondentia inter signum, & rem signatam; inter sacrificium incruentum, & cruentum. Consequentia patet, tum ex paritate rationis, tum ex ratione ipsa, ex paritate quidem rationis, quia licet diuersa prorsus sit ratio constitutiva sacrificii, & Sacramenti (nāque Sacramentum per rationem gratiam significandi constituitur, sacrificiū vero, in quadam ratione oblationis sistit, modo quo infra explicatur) tamen secundum rem sunt idē & vnum secundum diuersam rationem, supponitur ad aliud

per



per sacrificium enim materia offertur, parata per consecrationem; ita tamen quod per sacrificium Corpus, & Sanguis offeratur, quod per consecrationem conficiuntur. Ex ratione etiam ipsa, quia ideo vna tantum species non potest æquè, & perfectè significare Corpus Christi Domini mortuum, & Sanguinem effusum, vt patet, sed hoc idem contingit in Sacramêto, quia licet sub speciebus Panis, etiam sanguis per concomitantiam contineatur, hoc tamen non est per se, & formaliter, sed quasi per accidens, & materialiter, vt ex dictis liquet. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum desumit Belarminus ex Concilio Tridentino sess. 21. cap 3. vbi dicitur. *Insuper declarat, quamuis Redemptor noster, vt antea dictum est, in suprema illa Cena hoc Sacramentum in duabus speciebus instituerit, & Apostolis tradiderit; tamen fatendum esse, etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verum Sacramentum sumi; ac propte-*

*rea, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos fraudari, qui vnâ speciem solam accipiunt. Hæc ibi, vbi apertè definitur sub vna specie totum Christum Dominum sumi, & per consequens verum Sacramentum:*

Respondetur optimam esse Concilii definitionem, & nullo modo vrget nos, sed hæreticos vrget, qui dicunt communionem laicis sub vtraque specie dandam esse necessitate Sacramenti, quia putant Christum Dominum non esse in hoc Sacramento nisi sub vtraque specie, Concilium autem hos sua definitione vrget, determinans quod vnâ sumentes speciem totum Christum sumant, & verum Sacramentum: totum Christum ratione concomitantia: verum Sacramentum, quia non est Sacramentum per tropum, per figuram, sed secundum veritatem; non tamen definit Concilium vnâ dumtaxat speciem esse integrum Eucharistiæ Sacramentum, sed solum quod sit verum Sacramentum licet non totale, sed partiale.



Est verum Sacramentum, quia totum continet Christū Dominum modo dicto, nempe partem vi Sacramenti, partem per concomitantiam: nō est autem integrum, quia ex vi Sacramenti solum vnam continet partem, nempe solum Corpus, vel solum Sanguinem: ita ferè noster Cornelius loco citato.

Vnde non placet quod dicit Lugo supra num. 12. quod singulæ species possint dici integrum Sacramentum, licet non integrum Eucharistiæ cōuiuium, quia, inquit, sicut qui in prandio sumit vnum, vel duo fercula ex multis non dicitur sumpsisse integrum prandium, benè tamen dicitur sumpsisse integrum cibum & integrum alimentum; ita in præsentī, & rationem assignat, quia in compositis homogeneis quorum partes habent nomen totius, vt ignis, aqua &c. singulæ partes habent nomen totius. Sic cum singulæ partes Eucharistiæ sint Sacramenta, si dentur separatæ dicentur integrum Sacramentum, sicut quælibet pars

aquæ est integra aqua, quando est separata; quælibet pars ignis, est ignis, &c.

Hoc inquam non placet, nam cum ratio sacramenti Eucharistiæ sit ratio significationis gratiæ per modum completæ, & perfectæ alimonie spiritualis, seu cōuiuii, & hæc ratio non saluetur in vnica tantum specie, clare sequitur in vna solum specie non saluari integram, & completam sacramenti rationem, sed solum incompletam, & dimidiatam. Adde quod dato, & non concesso quod essentia sacramenti Eucharistiæ esset significare Corpus, & sanguinem Christi Domini, cum vna species vtrūque ex æquo non significet, non poterit integrum esse sacramentum.

Nec exempla quæ adducit Lugo illi profunt, quia in aqua separata, tcta, & adæquata aquæ ratio reperitur non vero in vnica Eucharistiæ specie, vt patet: similiter qui duo ex multis comedit ferculis dicitur simpliciter comedere, quia ad hoc verificandū sufficit quod in illis ferculis  
vera



vera cibi ratio reperitur, hoc enim affert hoc quod est comedere, non tamen dicitur ille prandere, seu conuiuare quia tota ratio conuiuij in solis ferculis non reperitur; & sic, cum ratio sacramenti Eucharistiæ non sit spiritualiter comedere, sed ratio conuiuij, & hæc in vnica solum specie non reperitur, nec ratio sacramenti reperietur. Quod autem ratio Eucharistiæ non sit spiritualiter comedere, patet, quia non essent vnum sacramentum, in specie atomata, sed duo ex æquo distincta, quorum vnum esset essentialiter comedere, aliud bibere.

Secundum Belarmini argumentum est: Res per quamlibet speciem significata, integram habet conuiuij rationem; ergò in qualibet huius Sacramenti specie integra Eucharistiæ ratio saluatur. Antecedens in quo est difficultas probatur, quia res per speciem Corporis, verbigratia, vel est ipsum Christi Domini Corpus, & hoc sufficientem habet conuiuii rationem; cum enim in Sacramento non ponatur Corpus exangue, &

mortuum, sed viuum, habens proprium intra se sanguinem, perfectam habebit rationem conuiuii; ratione namque carnis nutrire habebit, & ratione Sanguinis humectare, & refrigerare. Vel certè res significata est gratia, & hæc, vt patet, vtranque præstare habet rationem.

Respondetur negando antecedens, & consequentiam; antecedens quidem quia falsum est rem significatam per hoc Sacramentum secundum vnam tantum speciem habere integram conuiuii rationem, nam, vt in hac eadem questione vidimus ex vi Sacramenti non importatur formaliter, & directè per species Corporis, Sanguis, sed solum concomitanter, vt omnes Theologi docent, & nos infra magis explicabimus. Consequentia etiam negatur, quia dato antecedenti, adhuc illa Belarmini consequentia falsa est, & malè ex antecedenti sequitur; nam ratio Sacramenti in omnium sententia non desumitur ex re significata per Sacramentum, sed ex modo significandi ipsius Sacra-



menti, unde dato quod Corpus Christi Domini integrum haberet conuiuij rationem, non propterea sequitur quod species illud significantes illam habeant, nisi ex proprio significandi modo id ipsum habeant, quod non habere ostendimus. Deinde etiam si daremus gratiam significantam utramque habere rationem, & spiritualiter cibandi, & spiritualiter reficiendi, non tamen utraque ratio per solas Corporis species ex æquo significatur, nam gratia ut significatur per species Corporis solum habet rationem spiritualis cibi, spiritualiter reficientis, licet materialiter, etiam refrigerandi rationem fortiatur.

Tertium argumentum est, quia ex opposita sententia, duo sequerentur absurda: primum quod qui species corporis sumit non integrum sumeret Sacramentum. Se-

cundum quod in Sacrario, Eucharistiæ Sacramentum non seruaretur, processionaliter non deferretur, &c. contra Tridentinum sess. 21. capit. 3. & sess. 13. canone 7: ubi expresse vocat Sacramentum, hostiam quæ processionaliter deferitur.

Respondetur ex dictis, quod licet species corporis non sint integrum Sacramentum, sunt tamen verum Sacramentum, licet partiale, non totale. Ex quibus patet ad hæreticorum argumentum in principio quæstionis positum: Ecclesiam non dare populo mutilum Sacramentum ad sensum illorum prout explicuimus in solutione primi argumenti, sed datur integrum quia sub speciebus corporis, etiam sanguis per concomitantiam reperitur, & sic Corpus Christi Domini non dimidiatur.





## QVAESTIO III.

*Vnde sit desumenda huius Sacramenti vnitas numerica.*

**V**ariæ sunt de hac re sententiæ. Prima est, quæ docet plures Hostias cōsecratas esse vnum tantum numero sacramentum quando simul sumuntur, quia Eucharistiæ sacramentum situm est in conuiuium spirituali, conuiuium autem idem est numero quamuis in eo plura sumantur fercula, secus quando non simul. Ita Sotus in 4. dist. 8. quæstione vnica ar. 2. Ledesma 1. par. 4. quæst. 14. Belarm. lib. 4. capit. 22. Bonacina quæstione prima, puncto 4. & alii plures.

Secunda sententia docet omnes Hostias quæ consecratæ inueniuntur, siuè simul, siuè seorsim sumantur, siuè ab vno, siuè a pluribus esse idem, & vnum sacramentum. Hanc sententiam vt Theologicā, & probabilem laudat Suarez, & illam sequitur Lugo hic disp. 2. sect. 2. num. 15.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Vnitas numerica sacramenti Eucharistiæ à physica huius sacramenti continuatione desumitur. Hęc est expressa D. Thomæ sententia, vt postea videbitur, illam defendit post alios Valquez disp. 168. cap. 2. Henriquez lib. 8. capit. 8. Ochagauija quæst. 3. Hurtadus disput. difficultate 1. N. Cornexus hic dub: 3. & alii plures.

Probatur primo conclusio. Vnitas numerica cuiuscunque rei sumitur à materia eiusdem prout est quantitate signata; ergò etiam vnitas numerica Eucharistiæ desumi debet ab eo, quod in ea habet rationem materiæ; sed hæc sunt species secundum quod physicam habent continuationem; ergò &c. Antecedens probant N. Sulman-ticenses tom. 1. de principio in-



indiuuationis disp. 1. dub. 2. num. 43. ex Aristotele 5. metaphy sicæ tex. 12. vbi dicit: *Amplius autem alia secundum numerum sunt unum, alia secundum speciem, alia secundum genus, alia secundum analogiam: numero quidem quorum materia una.* Vbi D. Thomas lectione 8. dicit; *ponit aliam diuisionem vnus, quod quedam sunt unum numero, quedam specie, quedam genere, quedam analogia. Numero quidem sunt unum quorum materia est una. Materia autem secundum quod stat sub dimensionibus signatis, est principium indiuuationis, &c* Hæc D. Thomas, idem docet Angelicus Præceptor multis aliis in locis quæ referunt, & expendunt N. Sulmant. loco citato. Vbi idem antecedens probant pluribus aliis auctoritatibus, & rationibus quæ apud ipsos videri possunt. Consequentia probatur, quia eodem proportionali modo loquendum est de vnitate numerica Eucharistiæ, ac de omnibus aliis rebus; ergò sicut in aliis rebus numerica vnitas à materia desumitur, &

specifica à forma, ita in Eucharistia, vnde sicut Eucharistia alias res immitatur quoad vnitatem specificam, quod nimirù ab eius forma desumatur, sicut & in alijs rebus; etiã immitari debet quoad vnitatem numericam.

Confirmatur hoc argumētum, quia vnitas numerica Eucharistiæ desumi non potest nisi vel à materia, vel à forma totali quæ est significatio, vel à forma partiali quæ est forma consecrationis; non potest desumi à forma totali nempe à significatione, quia ab hac specifica vnitas desumitur, ab eo autem à quo desumitur species, numerus desumi non potest; & quia vnitas quæ desumitur à forma non potest non esse formalis, sicuti quæ desumitur à materia, materialis esse debet. Nō à forma partis, quia hæc vel consideratur vt transacta, & sic nullam cōferre potest vnitatem, vel consideratur vt remanet in speciebus consecratis, & determinatis, & tunc simul cum speciebus totalem, & proximam conficit materiam, respectu significationis, quæ



quæ est vltima, & completa forma; & tu ne non ponit in numero cum ipsis speciebus, seu cum ipsa Sacramenti Eucharistiæ materia proxima; & hoc modo multiplicatur ad multiplicationem specierum determinatarum, cum enim plures species determinet, ut sic determinans in omnibus illis manens plurificatur, & multiplicatur, & sic à primo ad vltimum nihil restat à quo primo numerica vnitas Sacramenti Eucharistiæ desumatur nisi ab eiusdem Sacramenti materia, quæ aliud non est nisi species consecrata, & continuæ continuitate reali, & physica, ut patet.

Sed dices concedi quidem posse vnitatem numericam Sacramenti partialis, verbi gratia specierum consecratarum, desumi posse ex physica earundem specierum continuitate, sicut etiam numerica sanguinis vnitas ex continuitate specierum eiusdem sanguinis, non tamen hoc concedi potest de vnitatem numericam Sacramenti totalis, quod ex vtriusque coalecit speciebus, nempe Corpo-

ris, & Sanguinis Domini in his enim hæc physica vnitas non reperitur, & tamen dum Sacerdos Missæ offert Sacrificium non plura, sed vnicum dicitur sumere Sacramentum

Respondetur namque etiam in Sacramento totali hanc physicam reperiri debere vnitatem. In tantum enim Sacramentum totale vnum numero dicitur in quantum vnū conficit conuiuium, non fit autem vnicum conuiuium quando cibis, & potus in conuiuante physicè non vniuntur, vnde sicuti numerica vnitas Sacramenti Corporis ex physica specierum eiusdem Sanguinis desumitur vnitatem; ita vnitas numerica totalis, & integri Sacramenti Eucharistiæ ex earundem specierum physica vnitatem desumi debet, quod si hæc physica vnitas non reperiat non vnum sed plura Sacramenta partialia fumentur, vel ad summum vnum morale non physicum. Nota tamen hanc specierum Corporis, & Sanguinis vnitatem non debere esse rigorosam, cum in Sacramentis alia non requiratur vnitas nisi entium



tium artificialium, sunt namque Sacramenta quædam Dei artefacta non entia completa, vt de Sacramentis in genere disp. prima, quæstione prima, & infra docuimus.

Probatnr secundo nostra conclusio destruendo potissimum primæ sententiæ fundamentum, quia si plures hostiæ consecratæ, quando simul sumuntur essent vnum tantum numero Sacramentum, sequeretur Eucharistiæ Sacramentum suam sumere numericam vnitatem à sumptione; sed hoc dici nequit; ergò Sacramentum Eucharistiæ nequit dici vnum numero, quia vna fit numero sumptio, ita quod hostia consecrata siuè vna fit, siuè plures vnum sint Sacramentum quando simul sumuntur. huius argumenti maior est aduersariorum sententia. Minor probatur, primo quia vnitatis quæ à sumptione desumitur, cum sit tantum moralis, non potest esse sufficiens ad constituendam Sacramenti numericam vnitatem, quia hæc debet esse firma, & stabilis, illa vero variabilis est. Secundo; quia Sacramentum prius debet esse, vnum quam

sumatur; est enim sumptio quid extrinsecum Sacramento, & supponit illud, imo nihil ponit in eo. Tertio quia alioqui ante sumptionem consistere nequiret de Sacramenti vnitatem numericam, an nimirum sit vnum, vel plura cum nescire poscimus an vnica, vel pluribus sumi debeat sumptionibus

Sed dices, numericam huius Sacramenti vnitatem non desumi ab ipsa actuali sumptione, sed ab ordine ad illam. Nam contra est, quia hic etiam ordo, Sacramentum supponit, cum sua vnitatem numericam, prius namque est quod Sacramentum sit, quam quod ad sumptionem ordinetur; tū quia hæc ordinatio non potest non esse extrinseca, & per accidens cum per accidens sit quod plures hostiæ ad vnā ordinentur sumptionem, & vna ad vnā, cum possit diuidi, & pluribus concedi. Et hæc argumenta probant, etiā contra illos qui dicunt vnitatem numericam desumi per ordinem ad vnica refestionem, cum hoc Sacramentum sit institutum per modum spiritualis cōiuii est enim eadem huius ac præceden-



cedentis sententiæ ratio.

Probatur tertio destruendo secundæ sententiæ fundamentum. Nam formalissima ratio constitutiva Sacramenti Eucharistiæ non à Corpore, & Sanguine Christi Domini sub speciebus contentis desumitur, sed ab ipsis met speciebus, ut latè probauimus disput. præcedenti quæst. 3. ergò vnitas numerica huius Sacramenti, non à Corpore, & Sanguine Christi Domini sub speciebus contentis desumi potest, sed à speciebus ipsis; implicat enim quod vnitas numerica Sacramenti desumatur ab eo quod non est Sacramentum, sed solum in obliquo à Sacramento importatur. Vnde cum species Sacramentales sint simpliciter plures in rationi signi, licet Corpus Christi signatum vbi que terrarum sit vnum, Sacramenta erunt plura. Deinde Eucharistia non dicitur Sacramentum quia significat Christum Dominum, ut loco citato, & alibi docuimus, sed quia significat gratiam sanctificantem, patet autem significationes gratiæ plurifica-

riæ plurificatione signorum.

Confirmatur, quia quoties sub aliqua specifica ratione plura continentur, æqualiter eandem specificam rationem participantia, numero ad inuicem distinguuntur; atqui sub specifica ratione Eucharistiæ, quæ est ratio spiritualis refectiois, plura æqualiter eandem rationem participantia continentur; ergò sub Eucharistia plura indiuidua continentur, & per consequens huius Sacramenti numerica vnitas à Corpore, & Sanguine Christi Domini contentis sumi non potest. Maior est certa secundum philosophiam; Minor probatur, nam species Sacramentales æqualiter essentialiter participant rationem significandi spirituales refectioem, non Corpus Christi, cum & rationem sensibilis, & significationis à speciebus mutuetur. Vnde sententia opposita videtur esse contra communem Ecclesiæ, & Conciliorum sensum, quæ plures formulas distinctis consecratas temporibus, & diuersis distributas fidelibus, plura vocat sacramenta, licet idem

T nume-



numero Christus Dominus sub illis contineatur. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum pro prima sententia est, quia in conuiuio corporali etiam si plura apponantur fercula, adhuc tamen vnica conuiuij ratio saluatur, propter vnicā refectioem ad quam omnia illa fercula ordinantur; ergo etiam in conuiuio spiritali etiam si plura, vt ita dicatur, spiritalia apponantur fercula vnica conuiuij ratio erit. Antecedens patet ex communi modo loquendi hominum, & sentiendi de conuiuio; Consequentia bene sequitur ex paritate rationis.

Respondetur concedendo totum argumentum prout pro- cedit de pluribus speciebus in ordine ad vnum conuiuium; cum enim secundum hanc rationem Sacramentū sit quoddam artefactum coalescense pluribus entibus completis, vt domus; ad hoc vt secundum hanc rationem sit vnum vnitate numerica artefactorum, sufficit quod partes componentes, quamdam habeant vnionem contiguitatis, vt pa-

ret in domo. Vnde sicut ad hoc vt conuiuium corporale quod est quoddam humanum artefactum sit vnum numero, sufficit quod fercula, & potus in vno conuiuia vniantur, saltem per quandam contiguitatem. Ita pariformiter in conuiuio spiritali ad hoc vt sit vnum vnitate physica artefactorum, sufficit, & requiritur quod cibis, & potus in vno eodemque conuiuia vniantur. Quæ ratio artefacti spiritalis cum non reperitur inter diuersas hostias, ad inuicem, & diuersos Calices similiter ad inuicem, sit quod in istis numerica vnitas ab illorum continuitate desumenda sit; & sic tot erunt Sacramenta partialia specierum Corporis, quod erunt species ad inuicem separatæ; & tot erunt Sacramenta partialia Sanguinis, quod erunt species eiusdem Sanguinis ad inuicem similiter separatæ.

Secundum argumentum in ordine, & potissimum secundæ sententiæ fundamentum desumitur ex illo Apostoli I. Cor. 10. *Vnum Corpus sumus omnes, qui de vno Pane*  
 & de



*& de vno Calice participamus.*  
 Vbi Apostolus non potest loqui de vnitatem huius Sacramenti specifica, cum ex hoc loco colligat vnitatem numericam Corporis mystici Christi Domini, quod est Ecclesia.

Respondetur faciliter Apostolum non loqui de Eucharistia vt est Sacramentum, & signum causatiuum gratiæ, sed loquitur de contento sub hoc Sacramento, quod reuera est vnum numero in omnibus Sacramentis; vnde per Panem vnum, & vnum Calicem, non intelligit species ipsas consecratas, quæ omnino multæ sunt, sed rem sub illis contentam methonymice accipiendo continens pro contento.

Tertium argumentum pro eadem sententia secunda est, quia si Verbum Diuinum plures assumeret humanitas esset vnus numero homo, propter vnã numero hypostasim; ergo etiam si Corpus Christi Domini pluribus vniatur speciebus vnum numero Sacramentum erit, ratione vnitatis eiusdem Corporis Christi Domini.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam, ratio disparitatis est, quod vnio hypostatica est assumptio naturæ ad vnitatem suppositi, & sic suppositi vnitas, vel pluralitas, confert ad vnitatem, vel pluralitatem numericam, cum naturæ à Verbo assumptæ per eandem Verbi Diuini substantiam subsistant: at vero in Sacramento Altaris non est sic, quia species non assumuntur ad subsistendum substantia Christi Domini, cum propriam retineant, licet careant actuali in hærentia: vt infra magis dicetur.

Quartum argumentum est, quia si numerica vnitas, ex physica Sacramenti distinctione sumeretur, sequeretur quod qui duas, vel plures sumeret Hostias consecratas ceteris paribus maiorem ex opere operato consequeretur gratiam, quam qui vnã solam recipit Hostiam; hoc dici nequit cum sit contra communem Ecclesiæ sensum; ergo &c. Maioris sequela probatur, quia qui duo recipit Sacramenta maiorem accipit



gratiam quam qui vnum dum taxat; at tunc temporis ille duo, vel plura reciperet Sacramenta; ergò &c.

Respondetur negando sequelam, & ratio clara est, quia cum Eucharistiæ Sacramentum sit institutum per modum spiritualis refectiois, gratiam non habet producere nisi dependenter ab usu, siue ab actuali sumptione, tanquam à conditione, sinè qua non, sicut cibus materialis, corporalem non producit refectioem, nisi dependenter à sumptione: est tamen differentia inter corporalem refectioem, & spiritualem, quod corporalis refectio est maior, vel minor secundum maioritatem, vel minoritatem ferculorum; quis enim dicet, quod tantum corporaliter reficiat vnum, quam duo fercula, etiam si sint eiusdem speciei? At vero in refectioe spiritali pluralitas ferculorum, verbigratia Hostiarum, spiritualem maiorem refectioem non producit, cuius discriminis ratio est, quia nutritio corporalis eo est maior quo plus substantiæ vi

natiui caloris ex cibo extrahitur, & in substantiam alii conuertitur, cum autem sit maior substantia in pluribus ferculis eiusdem speciei, quam sit in vno, fit quod ex pluribus ferculis per se maior fiat corporalis nutritio. Si vero loquamur de spiritali refectioe, cum hæc non desumatur à Sacramento tanquam à materia, sed tanquam à causa efficiente instrumentali, & à Deo tanquam à causa principali, non potest esse maior per applicationem plurium Hostiarum; nam cum causa principalis duo, vel plura applicat instrumenta, eiusdem rationis, vnum, & eundem producit effectum, sicuti cum plures Sacerdotes eandem consecrant Hostiam, in eorum prima ordinatione; cum plures eundembaptizant &c. Sed de huius argumenti materia infra iterum sermo redibit.

Sed petet aliquis an consecratio aliquo modo concurrat ad causandam Sacramenti Eucharistiæ vnitatem numericam. Respondeo consecrationem solum extrinsecè



cè concurrere per modum principij efficientis. Vnde licet non possit Sacramentum fieri nisi per consecrationem, non tamen est necesse, quod vnica consecratio vnicum solum ponat Sacramentum, imò postquam positum est subest

plurificationi, cum subsit diuisioni, vt patet de aqua, & alijs. Vnde videmus, quod non minus numero distinguntur duæ Hostiæ ab eodem Sacerdote consecratæ quam si à duobus &c.





## DISPV TATIO

## T E R T I A.

DE NECESSITATE

## SACRAMENTI

## EVCHARISTIAE,

TVM IN RE,

TVM IN VOTO.

**P**RO intelligentia eorum quæ in præsentî disputatione tractanda sunt, notandum ex communi scribentium sensu, quod dupliciter potest aliquid esse necessarium ad salutem: vel necessitate medii, & finis, vel necessitate præcepti; ea dicuntur necessaria necessitate medii, vel finis, sine quibus finis, haberi non potest, quia ex se,

& ex propria natura necessariam habent connexionem cû fine, & hoc modo fides, gratia; & charitas, sunt necessaria necessitate medii ad salutem, quia sine illis salus haberi non potest. Similiter passio, & merita Christi Domini omnino necessaria sunt ad salutem æternam consequendam necessitate medii, quia sine illis nullus gloriam consequetur



tur æternam; idem diximus supra de Baptismo; & idem dicemus infra de Pœnitentia. Alia deinde sunt necessaria necessitate præcepti, vel Diuini, vel humani, & sunt ea quæ quamuis ex sui natura nullam habeant cum gloria connectionem, tamen quia obligant sub mortali, nisi obseruentur gratia amittetur sine qua gloria haberi non potest. Inter hæc triplex assignatur discrimen: primum est quod ea quæ sunt necessaria necessitate mediæ, sunt causa per se, & positiuè consecutionis, gloriæ, quæ vero sunt necessaria necessitate præcepti, sunt causa illius solum per accidens, & negatiuè, quia respectu consecutionis gloriæ solum se habent vt remouens prohibens, quia obseruando præceptum non ponitur peccatum, quod tali obstat consecutioni. Secundum discrimen est, quod ignorantia inuincibilis non excusat in primo, excusat tamen in secundo, cum excuset à peccato. Tertium

discrimen est, quod ea quæ sunt necessaria necessitate mediæ, quando in nostra sunt potestate, sunt etiam necessaria necessitate præcepti, non è contra, quia ex præcepto tenemur apponere ea media, quæ ad salutem consequendam sunt necessaria.

Nora deinde quod id quod necessarium est necessitate mediæ ad salutem dupliciter haberi potest, vno modo in se ipso, & dicitur haberi illud in re. Alio modo in alio in quo virtualiter continetur, & dicitur haberi in voto, seu in desiderio; vnde supra de Baptismo notauimus, quod hoc desiderium est duplex expressum, & implicitum, quo modo contritio perfecta votum est Baptismi. Denique obserua quod id quod est necessarium in re, vel in voto, vel est tale ex natura rei, vel ex Christi Domini institutione; sed vt hæc omnia quoad præsentem materiam explicata maneant sit.



## QVAESTIO I.

*An realis Eucharistiæ susceptio, sit necessaria  
necessitate mediij in re, ad salutem  
obtinendam.*

**D**E necessitate mediij disputamus, quia quid dicendum sit de necessitate præcepti patebit ex dicendis infra quæstione 80. art. 11. cum D. Thoma; triplicem autem examinabimus in hac quæstione difficultatem: 1. an Eucharistiæ realis susceptio sit necessaria paruulis ad deletionem originalis, ad primam gratiã obtinendam, aut conseruandam; 2. an sit necessaria adultis ad primæ gratiæ consecutionem. Et 3. an ad perseuerandum in gratia finaliter.

Circa primam difficultatẽ fuit error Armenorum, vt refert Guido Carmelita noster lib. de hæresibus, & N. Vvaldensis lib. de Sacramentis capit. 91. & N. P. Petrus Cornexus hic dubio primo; quod

Eucharistia sit necessaria paruulis ante vsum rationis ad peccati originalis remissionẽ, ad gratiam obtinendam, & conseruandam; propterea mos illorum erat pueros suos saltem post baptismum communicare.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Realis Eucharistiæ susceptio nullo modo est necessaria paruulis ad delendum originale, ad gratiam in illis causandam, & conseruandam. Hæc conclusio est de fide definita in Tridentino sess. 21. can. 4. vbi dicitur: *Si quis dixerit paruulis, antequam ad annos discretionis peruenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem; anathema sit.* Et sess. 5. in Decreto de peccato originali



ginali can. 5. declaratur peccatum originale per Baptismi Sacramentum totaliter deleri, & per consequens non requiri ad hunc effectum Eucharistiæ Sacramentum.

Probatur conclusio ratione sic: illud est necessarium necessitate mediæ ad salutem paruulis, quod est per se institutum ad tollendum peccatum originale, quo sublato paruuli sunt vitæ æternæ capaces; sed hoc non est Sacramentum Eucharistiæ, sed Sacramentum Baptismi; ergo Sacramentum Eucharistiæ nõ est necessarium paruulis ad hoc, vt sint salutis capaces, & per consequens non erit realis huius Sacramenti susceptio necessaria ad delendum originale, ad gratiam causandam, & conseruandam in illis; si enim semel paruuli sunt salutis capaces sine reali Eucharistiæ susceptione, clarescit sequitur hanc non requiri ad delendum originale &c. cum sine originalis deletione, & gratia nullus possit esse æternæ vitæ capax. Maior patet ex modò dictis; cum enim paruuli nequeant esse æternæ

vitæ capaces, nisi originale in ipsis deleatur, sequitur, quod illud erit necessarium ad talem capacitatem, quod erit necessarium ad originale delendum; quod autem hoc non possit esse Eucharistia, sed Baptismus, patet ex decreto citato sess. 5. de peccato originali. Sed contra hanc veritatem aliqua argumenta proponuntur, quæ solui debent.

Primum argumentum est, quia sicut Ioan. 3. dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sãcto, non potest introire in Regnum Dei*; ita similiter Ioan. 6. dicitur: *Nisi manducaueritis meam Carnem & biberitis meum Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; ergo sicut ex prioribus verbis deducitur necessitas mediæ Sacramenti Baptismi etiam pro paruulis, idem deduci debet ex posterioribus quoad Eucharistiam, cum sit idem loquendi modus.

Respondetur, quod licet in utroque testimonio adducto sit eadem forma loquendi, idemque modus, diuersa tamen est vtriusque testimonij intelligentia; nam Baptismi



Sacramentum, cum sit necessarium per modum principij effectiui vitæ spiritualis, & principium effectiuum postulet cum suo effectu coniungi; inde oritur Baptismi necessitas in re suscepti. At vero Eucharistia cum solum sit necessaria, vt finis, ad quem omnis gratia, & Baptismi, & aliorum refertur Sacramentorum, per se solum postulat vniri cū effectu in intentione, seū in voto, qui modus causandi est proprius causæ finalis; vnde ex illo argumento solum sequitur Eucharistiam esse necessariam etiam paruulis in voto, non quidem expresso, & ab illis facto, sed interpretatiuè incluso in ipsa reali Sacramenti Baptismi susceptione.

Secundum argumentum desumitur ex vsu primitiuæ Ecclesiæ, de quo fit mentio in Tridentino sess. 21. capit. 4. quando infantibus decedentibus hoc dabatur Sacramentum, infundendo ori ipsorum species Vini; ergò existimabat Ecclesia primitiua realem Eucharistiæ sumptionem paruulis fuisse necessariam. Vn-

de refert D. Greg. lib. 2. Dialog. cap. 24. de Sancto Benedicto, quod cum magna reuerentia iusserit poni Eucharistiam supra pectus cuiusdam paruuli defuncti, cuius corpus quotidie à sepulchro foras proieiebatur, quo facto talis cessauit proiectio; quo facto voluit Benedictus significare illi paruulo defuisse Eucharistiam ad salutem necessariam. Vnde D. Augustinus 1. contra Iulianum capit. 1. dicit: *Paruulos sine Carne Christi, & Sanguine vitam habere non posse.*

Respondetur, quod illa consuetudo communicandi infantes decedentes non fuit, vt notat Tridentinum, vniuersalis, sed particularis, & aliquarum dumtaxat Ecclesiarum; neque illud faciebant, quia putarent Eucharistiam esse paruulis ad salutem necessariam, sed ad maiorem gratiam illis conferendam, sic erat illius temporis sensus. Ad illud de D. Benedicto, dico id solum fecisse, ne dæmones ob reuerentiam tanti Sacramenti non amplius illud Corpus à sepulchro proiicerent. Nec

D. Au-



D. Augustinus illius fuit sententiæ; sed solum voluit significare hoc Sacramentum esse etiam paruulis necessarium in voto, modo explicato, nimirum interpretatiuè tantum, secundum quod in ipsa reali baptismi susceptione continetur. Et hæc de prima difficultate in principio quæstionis proposita.

Ad secundam difficultatē, an Eucharistia sit adultis necessaria ad primæ gratiæ consecutionem; dico secundum fidem non esse; ita D. Thomas in hoc art. 3. & infra q. 80. art. 11. & est communis omnium. Et ratio est, quia, vt infra quæst. 79. dicetur hoc Sacramentum non est institutum ad causandam primam gratiam, sed ad augendam, quam supponit nihil autem potest per se illud producere, quod præsupponit; ergò cum hoc Sacramentum, quippe viuorum, primam supponat gratiam, non potest esse necessarium ad illius consecutionem.

Ad tertiam difficultatem, an realis Eucharistiæ suscepcio sit necessaria ad perseue-

randum in gratia finaliter. Negatiuè respondeo, & est omnino certum. Huius rei ratio est, quia perseuerantiæ donum pluribus datur adultis, qui nunquam Eucharistiæ Sacramentum susceperunt, vt sunt illi, qui tum ante baptismum cum sola contritione perfecta saluantur, tum post baptismum, qui vel mortaliter nunquam peccauerunt, vel si peccauerunt, peccata expiarunt, vel per contritionem perfectam sine confessione, vel cum confessione &c. & licet teneatur homo communicare in Paschate, vel etiam in mortis articulo ex præcepto, non tamen ex necessitate, vnde si quis aliunde legitime impeditus communicare non possit, non propterea eius salus desperatur. Vnde optimè notat N. Vvaldensis de Sacram. cap. 92. quod Christus Dominus bono promisit latroni paradisum, qui tamen carnem suam realiter non sumpsit.

Sed dices primo, quia hæc resolutio videtur contra illud Ioan. 6. *Nisi manducaueritis Carnem meam, & biberitis*



*meum Sanguinem non habebitis vitam in vobis, & infra: Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me. Vbi Christus Dominus necessitatem, qua debemus vivere propter ipsum, comparavit cum illa, qua ipse vivit propter Patrem; quasi dicat, sicut est impossibile, quod ego vivam sine Patre, ita est impossibile, quod vos vivatis sine me.*

Respondetur, verba Christi Domini non intelligi de reali suæ carnis sumptione, sed de spirituali, & in voto, modo, quo sequenti explicabitur questione.

Dices secundo, quia non minus est necessarius cibus spiritualis in re susceptus ad conseruandam vitam spiritualem, quam sit necessarius cibus corporalis ad conseruandam vitam corporalem; sed cibus corporalis est omnino necessarius ad conseruandam vitam corporalem; ergo etiam Eucharistia, quæ est cibus spiritualis, erit necessaria ad conseruandam vitam spiritualem; ideoque in Tridentino sess.

13. cap. 2. dicitur hoc Sacramentum institutum in antidoctum, quo homines à culpis liberantur quotidianis, & à mortalibus præservantur, quod etiam notavit D. Thomas 4: contra Gent. cap. 61. & sess. 21 cap. 4. idem Concilium definit paruulis ante rationis vsu non esse hoc Sacramentum necessarium, eo quod in illa ætate gratiam per baptismum habitam amittere nequeunt.

Respondetur, argumentum optimè procedere de voto huius Sacramenti, non de reali susceptione, quod optimè vidit D. Thomas in hoc art. ad 2. vbi elegantem assignat differentiam inter cibum corporalem, & spirituale, qui est Corpus Christi Domini, his verbis. *Hæc est differentia inter alimentum corporale, & spirituale, quod alimentum corporale conuertitur in substantiam eius, qui nutritur; & ideo non potest homini valere ad vitæ conseruationem alimentum corporale, nisi realiter sumatur, sed alimentum spirituale conuertit hominem in se ipsum secundum id quod Augustinus dicit in lib. confess. quod quasi audivit*



*diuit vocem Christi dicentis sibi, nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuae, sed tu mutaberis in me. Potest autem aliquis in Christum mutari, & ei incorporari voto mentis, etiam sine huius Sacramenti perceptione. Et ideo non est simile.*  
 Hæc Angelicus Doctor, quibus nihil melius.

Aliam differentiam inter cibum corporalem, & spiritua- lem adducit N. Cornexus ex Durando in 4. dist. 9. quæst. 2. num. 8. quod cibus corporalis deseruit vitæ corporali, quæ necessario ad desitionem tendit, & ita semper nouum, & nouum subministrari debet alimentum, vt ei quantum fieri potest subueniatur, & sic & vita, & cibus, & nutritio non sunt perpetua; At vero vita spiritualis de se non tendit ad desitionem, cum de se perpetua sit, cum nullus illam amittat, nisi volens; vnde quamuis alimentum spirituale in re susceptum vtile sit, nõ tamen est necessarium ad vitæ

spiritualis conseruationem. Nec ea, quæ adducuntur ex Tridentino obstant, cum solum ex illis colligatur hoc Sacramentum esse necessarium in voto, vt quæstione sequenti dicetur. Igitur Eucharistia in re suscepta non est necessaria necessitate medij, neque paruulis, neque adultis, quia in quolibet prima sufficit iustificatio, & perseuerantia in ea vsque ad finem vitæ, quæ perseuerantia haberi potest tam in paruulis, quam in adultis sine Eucharistia in re suscepta, quia paruuli vt perseuerent, sufficit rapi ante rationis vsum, quia ante hunc non possunt amittere gratiam per baptismum receptam. Adulti autem vt perseuerent sufficit, quod gratiam receptam continuent vsque ad finem vitæ, quod sine Eucharistia fieri potest, vt dictum est; est quidem medium valdè vtile, & valdè accomodatum, ad donum perseuerantiæ obtinendum, non tamen necessarium.



## QVAESTIO II.

*De necessitate Sacramenti Eucharistiæ in voto  
ad primam gratiam  
habendam.*

**P**ER votum quo Eucharistiæ Sacramentum dicitur ad primam gratiam, seu ad salutem necessarium, non intelligimus propositum actuale, vel virtuale seruandi omnia præcepta, & faciendi, quæ necessaria sunt ad salutem, quod propositum quis habet, vel dum suscipit Baptismum, vel dum conteritur; qui enim iustificatur, propositum habet saltem virtuale, & implicitum seruandi omnia præcepta, & per consequens implendi præceptum Eucharistiæ; hoc enim votum Eucharistiæ nullam addit excellentiam supra votum seruandi ieiunium, vel quodlibet aliud præceptum, cum sit omnibus commune. Sed intelligimus aliquid specialius supra votum aliorum præceptorum. Hoc autem specialius votum est duplex: vnū,

quod est commune, tum paruulis, tum adultis: aliud, quod est aduulorum proprium, & nullo modo paruulis potest conuenire. Primum, quod est commune paruulis, & adultis est illud, quod respicit hoc Sacramentum per modum finis vitæ spiritualis, & ceterorum Sacramentorum, vt loquitur D. Thomas in articulo. Secundū est illud, quod respicit hoc Sacramentum, vt est causa efficiens gratiæ spiritualiter cibantis. Quæ duo vota ad inuicem dupliciter differunt. Primo, quia primū votum implicitē clauditur in Baptismi susceprione, & in contritione, & sic habetur ab omnibus, qui Sacramentum Baptismi suscipiunt; cum enim Sacramentum Baptismi, & omnia Sacramenta ad Eucharistiā ordinentur, tanquam



quam ad finem, implicat aliquem suscipere Baptismum, & non habere illud votum Eucharistiæ; nota tamen, quod hoc votum non habetur ab ipsis paruulis, sed ab Ecclesia, & fit paruulorum proprium, ad eum modum, quo voluntas suscipiendi Baptismum non est ipsius pueri, sed est Ecclesiæ, ipsi tamen puero applicata. Non sic votum secundo modo, quod non nisi expresso, & formali actu haberi potest, vt ex se patet; nam hoc votum Eucharistiæ, vt est spiritualis cibus animæ haberi non potest, nisi præcedat eiusdem Eucharistiæ cognitio, secundum quod est effectus illius causatiua.

Differunt secundo, quod per votum primo modo gratia huius Sacramenti specificè non participatur, sed solum habetur gratia suæ causæ, nimirum Sacramenti, vel contritionis, quæ tamen gratia est etiam ab hoc Sacramento quodammodo in genere causæ finalis. Dico, quodammodo, quia ratio finis mouentis non est expressè, & in se cognita, vt patet. At vero per vo-

tum secundo modo causatur gratia, quæ quandam habet participationem gratiæ, quæ per hoc Sacramentum causatur, vt suo loco dicetur. his positis. Conueniunt omnes Sacramentum Eucharistiæ esse necessarium adultis necessitate præcepti in voto ad primam gratiam habendam, cum enim (vt dicebamus in huius quæstionis principio) qui iustificatur, debeat habere propositum saltem virtuale, & implicitum seruandi omnia præcepta, etiam hoc sub illa intentione venire debet; ideoque sub hac ratione hoc Sacramentum dicitur necessarium necessitate præcepti ad primam salutem, vel gratiam, vel iustificationem habendam. Difficultas solum est, an hoc Sacramentum in voto altiorum habeat necessitatem, quæ est necessitas mediij; & sic an sit necessarium necessitate mediij in voto primo modo explicato, quod est commune tam paruulis, quam adultis.

Prima sententia nullam agnoscit necessitatem in hoc Sacramento, nisi præcepti: unde



de vult votum Eucharistiaē necessarium non esse necessitate medijs, sed præcepti tantum. Ita Suarez hic disp. 40. sect. 1. Vasquez disput. 169. cap. 3. & alii iuniores post Alensem 4. par. q. 11. membro 2. art. 4. §. 1. Durandum in 4. dist. 9. quæst. 2. Paludanum ibidem quæst. 1. & Gab. quæst. 2. art. 2.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Sacramentum Eucharistiaē in voto, prout votum respicit hoc Sacramentum per modū finis spiritualis vitæ, & Sacramentorum ceterorum modo explicato, est necessarium necessitate medijs ad primam gratiam habendam, tam respectu adultorum, quam paruulorum. Hæc conclusio est expressa D. Thomæ sententia, & Discipulorum eius, vnde merito dicit Nugnus hic diff. 2. hanc esse communem inter Scholasticos, & Doctores Sanctos. Videatur Sorus 4. dist. 8. quæst. 1. art. 3. N. Cornexus hic dub. 1. qui hanc rem profundè, & doctè resoluit.

Probatur primo, auctorita-

te Angelici Magistri in hoc art. 3. vbi inquirens: Vtrum Eucharistia sit de necessitate salutis, respondet esse de necessitate salutis in voto, non re, sicuti & Sacramentum Baptismi, deinde ponens differentiam inter baptismum, & Eucharistiam dicit: *Est tamen differentia, quantum ad duos primo quidem, quia baptismus est principium spiritualis vitæ, & ianua Sacramentorum; Eucharistia vero est quasi consummatio spiritualis vitæ, & omnium Sacramentorum finis, ut supra dictum est. Per sanctificationes enim omnium Sacramentorum fit præparatio ad suscipiendam, vel consecrandam Eucharistiam. Et ideo perceptio baptismi est necessaria ad inchoandam spiritualem vitam; perceptio autem Eucharistiaē est necessaria ad consummandam ipsam, non ad hoc, quod simpliciter habetur, sed sufficit eam habere in voto, sicut, & finis habetur in desiderio, & intentione.*

*Alia differentia est, quia per baptismum ordinatur homo ad Eucharistiam, & ideo ex hoc ipso, quod pueri baptizantur, ordinantur per Ecclesiam ad Eucharisti-*



charisiam; & sic sicut ex fide Ecclesia credunt, sic ex intentione Ecclesia desiderant Eucharisiam, & per consequens recipiunt rem ipsius: Sed ad baptismum non ordinantur per aliud Sacramentum præcedens; & ideo ante susceptionem Baptismi non habent pueri aliquo modo Baptismum in voto, sed soli adulti. Vnde rem Sacramenti non possunt percipere sine perceptione Sacramenti; & ideo hoc Sacramentum non hoc modo est de necessitate salutis, sicut Baptismus. Hæc D. Thomas, ubi ut vides totam explanat difficultatem, & omnia quæ supra satis fusè explicuimus de huius Sacramenti voto quoad paruulos, & adultos, quatuor verbis profundissimè claudit. Hoc idem docet infra quæst. 79. art. 1. ad 1. ubi sic fatur: *Hoc Sacramentum ex se ipso virtutem habet gratiam conferendi, nec aliquis habet gratiam ante susceptionem huius Sacramenti, vel nisi ex aliquo voto ipsius, vel per se ipsum sicut adulti, vel voto Ecclesie sicut paruuli.* Et quæstione 80: art. 11. in corpore habet: *Duplex est*

modus percipiendi hoc Sacramentum scilicet spiritualis, & Sacramentalis, manifestum est autem quod omnes tenentur saltem spiritualiter manducare, ut supra dictum est; spiritualis autem manducatio includit votum, seu desiderium percipiendi hoc Sacramentum, ut supra dictum est, & ideo sine voto percipiendi hoc Sacramentum non potest homini esse salus &c.

Respondet Suarez supra sect. 2. quod propter D. Thomæ auctoritatem admitti potest in aliquo sensu omnes iustificatos habere votum huius Sacramenti. Primò, secundum quandam accommodationem, seu propensionem, quatenus videlicet, omnis res inclinatur ad suam consummationem, & perfectionem; nam quia per gratiam vnimur Christo, & hæc vnio specialiter perficitur per hoc Sacramentum ideo qui iustificantur quasi ipso pungere gratiæ dicuntur appetere perfectam vnionem cum Christo quæ fit per hoc Sacramentum. Secundo dici potest, paruulum per baptismum quodammodo accipere ius ad communicandum



Christi Corpori, sicut sponsa per Matrimonium ratum, & quia est necessarium accipere hoc ius, & qui habet ius ad aliquam rem quasi moraliter censetur appetere consumationem, seu usum illius iuris; ideo Sacramentum Baptismi conferendo hoc ius, censetur conferre votum huius Sacramenti. Tertio, & melius quia ad iustificationem, medium necessarium, est propositum, seu votum implendi omnia præcepta, vel per actum proprium, ut in adultis, vel per habitum, seu per alios, ut in paruulis.

Sed nulla ex istis interpretationibus est ad mentem D. Thomæ. Non prima, & secunda, quia ut legenti citata loca patebit non loquitur D. Thomas secundum accomodationem, nec loquitur de aliquo morali iure ad Eucharistiæ, sed loquitur absolutè, simpliciter, & sine vlla limitatione, alioqui cum æquiparet Eucharistiæ cum Baptismo quoad voti necessitatem, si semel Eucharistiæ votum est solum necessarium ad salutem per quandam accomodatio-

nem, hoc idem dici deberet de voto Baptismi. Non tertia, quia, ut patet, D. Thomas recognoscit in Eucharistiæ aliquid amplius quam sit votum generale seruandi omnia præcepta; non enim alia præcepta possunt esse finis omnium Sacramentorum, ut Eucharistiæ, non sunt consumatio vitæ spiritualis, ut Eucharistiæ, nec ex intentione Ecclesiæ desiderant paruuli alia præcepta, sicut Eucharistiæ, nec ex eadem intentione Ecclesiæ recipiunt rem aliorum præceptorum, sicut recipiunt rem Eucharistiæ.

Probatur secundo ratione desumpta ex verbis Christi Domini Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Qui locus non solum de adultis intelligitur sed etiam de paruulis; ita S. Cyprianus lib. 3. ad Quirin. cap. 25. Inno. Papa Epist. 26. & D. Augustinus Epist. 106. & lib. contra duas Epist. Pelag. cap. 22. & lib. 1. de peccatorum meritis cap. 20. vbi id confirmat quia verba generalia sunt. Et Epist.



17. ad Vitalem dicit: *Paruulos credere, & comedere Carnem Christi per corda, & orationem gestantium*. Sed hæc necessitas respectu paruulorum nõ potest esse Eucharistiæ in re, vt patet; nec potest esse præcepti, quia hæc locum non habet in parutlis; ergò medij in voto.

Respondet Suarez supra, sect. prima in fine quod illud verbum: *Non habebitis vitam in vobis*, non significat necessitatem huius Sacramenti ad obtinendam primam gratiam, sed ad summum ad retinendam, & conseruandam; rectè enim exponitur: *non habebitis vitam, idest, non retinebitis, nec conseruabitis vitam; vt 1. Ioan. 3. dicitur: Omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem, idest, perdet illam*. Hæc Suarez.

Sed hæc solutio est contra eundem Suarez, nam vt ipse & bene, & omnes Catholici docent, Eucharistia non est necessaria ad retinendam, & conseruandam gratiam, cum possit quis, & retinere, & conseruare gratiam sine illa, & si dicat ille Eucharistiam neces-

sariam esse in voto ad retinendam, & conseruandam gratiam; cum votum Eucharistiæ non transcendat aliorum vota præceptorum, nihil noui dicet; cum tamen Christus Dominus in illis verbis aliquid speciale Eucharistiæ tribuat: Deinde non videtur esse idem secundum rectum intellectum habere vitam in se, & retinere illam, hoc namque secundum, primum supponit; vnde proprius illorum verborum sensus videtur esse, non recipietis vitam in vobis. Nec illud quod adducit: *Omnis homicida &c.* illi fauet, nã non est illorum verborum sensus homicida perdet vitam, sed iam perdidit vitam per homicidium, amisit, &c. Adde quod illa P. Suarez expositio videtur esse contra contextũ illius capituli, dicit enim Christus: *Qui manducat me, & ipse viuet propter me*; vbi clare colligitur Christum Dominum non tribuere Eucharistiæ solum vitæ spiritualis conseruationem, sed ipsam vitam spirituales, ita enim sonare videntur illa verba, *ipse viuet propter me*.



Probatur tertio ratione desumpta ex citatis D. Thomæ testimonijs. Eucharistiæ est finis omnium Sacramentorum, & consequenter etiam Baptismi; ergo continetur in illo ut finis in medio: in omnium namque Philosophorum sententia, medium continetur in fine quoad intentionem, eo quia intentio finis est causa finalis electionis mediorum, & e contra finis continetur in medio quoad executionem, eo quod executio medii est causa efficiens consecutionis finis, cum hic consequi non possit nisi illo executo; ergo sicuti intentio finis est votum mediorum eligendorum in ordine intentionis, ita executio medii est votum finis exequibilis; & per consequens implicabit, supposita veritate Doctrinæ D. Thomæ, quæ omnino supponi debet, quod Eucharistiæ sit finis Sacramenti Baptismi, sicuti est & aliorum ceterorum, quod quis Baptismum suscipiat, & non habeat votum Eucharistiæ, & sic implicabit, *quod pueri baptizentur* (verba sunt D. Thomæ) & non ordi-

*nentur per Ecclesiam ad Eucharistiæ, quia sicut ex Fide Ecclesiæ credunt, sic ex intentione Ecclesiæ desiderant Eucharistiæ.* Cum ergo pueri non aliter baptizentur nisi per fidem, & intentionem Ecclesiæ, sequitur quod per eandem Ecclesiæ intentionem Eucharistiæ votum habeant, eadem namque intentio quæ est sufficiens ad recipiendum medium in re non potest non esse sufficiens ad Eucharistiæ in voto.

Sed dices cum Suarez, & aliis, hoc non esse votum propriè dictum, sed impropriè, & secundum quandam accommodationem, & proportionem. Votum namque propriè dictum, actum sonat desiderii, saltem virtualem, qui certè esse nequit in paruulis ante rationis usum.

Nam contra est, quia hic, duo vota considerari possunt, vnum intrinsecum, & aliud extrinsecum; vnum essenziale, & aliud accidentale, & de foris adueniens. Votum intrinsecum, & essenziale quod in hoc casu reperitur est continentia Eucharistiæ in Baptismo,



tismo, sicut finis, quoad executionem, continetur in medio; & hæc continentia est omnino essentialis, supposita Christi Domini institutione, quod nullus sit capax Eucharistiæ nisi per baptismum; ad eum modum quo finis essentialiter continetur in medio, quando hoc est solum unicum. Et si Pater Suarez contendat hanc continentiam non esse votum propriè dictum, parum de hoc curamus; sufficit nobis, nè de verbis contendamus, hanc continentiam esse essentialem, & per consequens Eucharistiæ esse necessariam necessitate mediij, & non solum præcepti, ut vult Suarez, respectu adultorum non magis quam sit præceptum ieiunii, & similia.

Votum extrinsecum, accidentale, & de foris adueniens in casu præsentis est votum Ecclesiæ, quod explicat D. Thomas dum dicit; quod dum pueri baptizantur ordinantur per Ecclesiam ad Eucharistiæ, & de hoc voto negari non potest quin sit, & dici possit propriè dictum votum; si enim illa Ecclesiæ intentio per

quam propria puerorum intentio dum baptizantur suppletur, est vera, & propriè dicta intentio ipsi pueris appropriata, & si illa fides Ecclesiæ per quam pueri dum baptizantur credunt, & ipsi pueris appropriatur, est propriè dicta fides quare non etiam votum Ecclesiæ, quo pueri ad Eucharistiæ ordinantur, & ipsi pueris appropriatur, votum propriè dictum non erit?

Confirmatur, & explicatur præcedens ratio D. Thomæ: Nam realis baptismi susceptio, votum Eucharistiæ implicitum includit; sed realis baptismi susceptio ut omnes fatentur, & nos de Baptismo ostendimus est de necessitate mediij; ergo & votum Eucharistiæ implicitum erit de necessitate mediij. Minor, & consequentia clarent. Maior in qua est difficultas ostenditur. Mediij per se ad aliquem finem ordinati realis susceptio, de necessitate includit in se votum saltem implicitum eiusdem finis, implicat enim, quod quis velit aliquod medium per se ordinatum ad aliquem finem, & non velit eundem



dem finem, atqui Eucharistia est finis ad quem omnia Sacramenta, & præsertim baptismus per se, & ex sui institutione ordinatur; ergò implicabit aliquem velle, vel suscipere baptismum, & non ordinari ad Eucharistiam, & per consequens non habere votum illius. Quod Eucharistia sit finis præsertim Baptismi patet ex ratione D. Thomæ, quia baptismus est vera vitæ spiritualis inchoatio, cum sit spiritualis regeneratio, & Eucharistia perfecta illius consummatio; inchoatio autem alicuius rei est medium per se ordinatum ad consummationem tanquam ad finem. Et hoc argumentum valet, si de penitentia, & contritione perfecta formetur respectu auctorum: nam tam baptismus, quam Penitentia, quam contritio perfecta, cum sint principium vitæ spiritualis, per se ordinantur ad Eucharistiam tanquam ad consummationem eiusdem vitæ, & sic sicut eo ipso, quod quis vult baptizari, vel baptizatur, votum habet Eucharistiæ, ita eo ipso quod quis penitet, vel

conteritur, eiusdem Eucharistiæ votum habet. Soluuntur argumentum in contrarium.

Primum argumentum desumunt aduersarij ex D. Thomæ supra quæst. 65. art. 4. vbi agens ex professo de Sacramentorum necessitate disertè asserit ex septem Sacramentis duo tantum esse cuique simpliciter necessaria, nempe Baptismum, & Penitentiam, Ordinem autem esse necessarium toti Ecclesiæ dumtaxat. Quod testimonium visum est adeo clarum P. Mæratio disp. 3. lect. 3. num. 4. vt dicat esse adeo perspicuum, vt ei nihil satis probabiliter responderi possit.

Respondetur D. Thomam apertè loqui de Sacramento in re suscepto non in voto; in re namque hoc Sacramentum non est necessarium vt iam diximus, benè in voto, vt iam probauimus; & hæc solutio non est nostra, sed est eiusdem Angelici Magistri in eodem art. ad 2. Audiatur Mæratio argumentum quod sibi proponit Angelicus, deinde audiat eiusdem Angelici solutionem



tionem, & videat an aliquid probabiliter possit responderi. Argumentum est: *Sicut in Baptismo dicitur: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei, ita de Eucharistia dicitur Io. 6. Nisi manducaueritis Carnem Filij Hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis; ergo sicut Baptismus est Sacramentum necessitatis, ita & Eucharistia.* Responso est. *Ad secundum dicendum, quod illud Verbum Domini est intelligendum de spirituali manducatione, non de sola Sacramentali, ut Augustinus exponit super Ioannem.*

Secundum argumentum. Prima gratia non est Eucharistiæ effectus, nec in re, nec in voto susceptæ; ergo Eucharistia non est in voto necessaria ad primam salutem, seu gratiam recipiendam. Antecedens probatur. Primò, quia prima gratia est proprius Sacramenti Baptismi, & Pœnitentiæ effectus, cum solum hæc duo Sacramenta quippe mortuorum ad primam gratiam causandam sint ordinata.

Secundo quia prima gratia, vel est regeneratiua, & hæc causatur per Baptismum; vel est remissiva, & hæc per Pœnitentiam. Tertiò, quia in Tridentino sess. 13. cano. 5. damnatur qui dixerit præcipuum huius Sacramenti fructum, esse peccatorum remissionem. Quarto quia Eucharistia, quippe Sacramentum viuorum, institutum per modum cibi spiritualiter cibantis, primam gratiam supponit; ergo nequit illam causare. Quinto, quia realis Eucharistiæ susceptio non est necessaria parvulis; ergo neque votum illius; in tantum enim Sacramenti votum est necessarium, in quantum quod Sacramentum in re susceptum necessarium est, ut infra quæst. 80. art. II. docet D. Thomas.

Respondetur negando antecedens. Ad primam probationem dico primam gratiam esse proprium Sacramenti Baptismi, & Pœnitentiæ effectum in genere causæ efficientis, & conceditur, in genere causæ finalis, & negatur, cum enim Baptismus, & Pœnitentia sint votum Eucharistiæ ab ipsa  
de



dependent in genere causæ finalis, in ordine ad primam gratiam causandam, per quæ patet ad secundam probationem, gratia namque tum generatiua, tum remissiua in genere causæ efficientis ab illis duobus dependet Sacramentis efficienter, finaliter vero ab Eucharistia vt iam dictum est. Ad tertiam probationem ex Trideatino desumptam, dico Concilium loqui de effectu ab Eucharistia causato in genere causæ efficientis non finalis; vt enim Eucharistia est causa efficiens, per se solam secundam habet producere gratiam secundum propriam, & specificam rationem, vt vero est aliorum Sacramentorum finis, cum secundum hanc rationem, prout in illis hoc modo continetur, illa finaliter mouet ad proprias gratias producendas. Ad 4. dico Eucharistiam cum sit Sacramentum viuorum primam supponere gratiam in genere causæ efficientis & præcedere in genere causæ finalis. Ad 5. & ultimam probationem dico reale Eucharistiæ susceptionem esse

ex præcepto diuino paruulis necessariam non pro statu paruulorum, sed pro tempore vsus rationis, quod nam autè hoc tempus sit, & quomodo infra explicabitur.

Tertium argumentum. Si Eucharistia esset necessaria in voto ad primam gratiam suscipiendam, quia est finis Sacramenti baptismi, & pænitentia, sequeretur quod cum etiam sit finis aliorum Sacramentorum, non posset illorū gratia haberi nisi per eiusdem Eucharistiæ votum; hoc dici nequit; ergò neque illud. Minor in qua est difficultas probatur. Sit quis morti proximus, qui iam viaticum suscipit, & inde suscipiat extremam vnctionem, cum animo non amplius communicandi; iste reuera gratiam suscipit extremæ vnctionis, & tamen nullū habet suscipiendæ Eucharistiæ votum, cum habeat de contrario propositum; ergò &c. Similiter si quis morti proximus viaticum recipiat, & extremam vnctionem, deinde turpi consentiat cogitationi peccando mortaliter, à quo resurgat per pænitentiam cū pro-



proposito non recipiendi illa Sacramenta, cum sit statim moriturus, verè iste per Pænitentiam iustificatur, & saluabitur; ergò recipit gratiam primam per Pænitentiam collatam sine Eucharistiæ voto; ergò &c.

Respondetur concedendo maiorem, ad hoc enim ut suscipiens alia Sacramenta illorum gratiam recipiat, huius votum Sacramenti saltem implicite habere debet, quod in illa voluntate alia recipiendi Sacramenta continetur; imò implicat, quod quis sufficientem habeat voluntatem suscipiendi aliquod Sacramentum, & quod in ea votum Eucharistiæ non contineatur; implicat enim, quod quis velit medium ad aliquem finem per se ordinatum, & non ve-

lit eundem finem, quod si semel efficaciter finem excludat, & medium excludere censetur. Deinde neganda est minor. Ad utramque probationem dicitur, tale propositum stare posse cum Eucharistiæ voto, illud enim propositum nec vincit illam voluntatem primam suscipiendi extremam vnctionem, & Pænitentiam, in quibus Eucharistiæ votum continetur, nec opponitur illi, cum hoc propositum sit particulare, pro eo tempore quo non potest, vel non expedit Eucharistiam sumere, & Eucharistiæ votum, in voluntate illa Sacramenta suscipiendi sit generale secundum se, & vt ita dicam terminis habilibus, idest quando, vbi &c.



## QVAESTIO III.

*An Eucharistia Sacramentum in voto sit necessarium ad perseverandum in gratia usque in finem.*

**N**on dubium, quin hoc Sacramentum sit valde utile, & efficax ad perseverandum in gratia per multum tempus, ita quod impossibile moraliter iudicetur, quod adultus diu sine mortali peccato vivat, absque reali huius Sacramenti susceptione; hoc tamen benè limitatur à Nungno ad eos, qui habent opportunitatem huius Sacramenti suscipiendi, & non suscipiunt; si namque daretur aliquis, qui opportunitatem non haberet huius Sacramenti suscipiendi, sufficeret illi eiusdem Sacramenti votum explicitum ad diu manendum in gratia, & per totam vitam, quod post D. Thomam supra quæst. 65. art. 4. & in 4. dist. 12. quæst. 3. art. 2. & 4. contra Gent. cap. 61. docent

moderni. Vnde est illud commune D. Augustini dictum: *Cibus iste quotidianus est, quotidie sume, ut quotidie proficiat.* Difficultas ergò præsentis quæstionis non est de reali huius Sacramenti susceptione, sed solum de voto illius, non quidem explicito, cum sit huius ratio eadem ac de reali susceptione, sed implicito; an nimirum Eucharistia in voto implicito modo præcedenti quæstione explicato sit necessaria necessitate medij ad vitam æternam consequendam, seù ad secundam salutem, seù quod in idem reddit, ad perseverandum in gratia usque in finem.

Prima sententia est, quod Eucharistia in voto nulli necessaria est ad perseverandum in gratia; ita Suarez disput. 40 se &



sess. 2. Vasquez disput. 169. Egidius Coninchus quæst. 73 art. 3. & alij.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Supposita huius Sacramenti institutione, votum implicitum Eucharistiæ est simpliciter necessarium necessitate medij ad perseuerandum in gratia, & ad gloriam consequendam. Hæc conclusio est aperta D. Thomæ sententia, vt postea videbimus; illam optimè probat Didacus Nugnus difficultate 3. concl. 3. N. Cornexus dubio 2. & alij plures, quos breuitati consulens non refero.

Probatur primo conclusio Sacrosancti Concilij Tridentini auctoritate. Nam sess. 13. cap. 2. agens de huius Sacramenti institutione post alia dicit. *Sumi autem voluit Sacramentum hoc, tanquam spirituales animarum cibum, quo alantur, & confortentur viuentes vita illius qui dixit: qui manducat me, & ipse viuet propter me: & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præseruemur. Vbi*

vt vides vult Concilium, hoc Sacramentum esse institutum non solum in remedium peccatorum venialium, quæ à Concilio culpæ vocantur quotidianæ, verum etiam vt per ipsum à peccatis præseruemur mortalibus, patet autem, quod præseruari à mortalibus est in gratia perseuerare.

Probatur secundo auctoritate Angelici Præceptoris, in hoc art. 3. in corpore, vbi habet: *Perceptio Baptismi est necessaria ad inchoandam spirituales vitam; perceptio autem Eucharistiæ est necessaria ad consumandam ipsam, non ad hoc quod simpliciter habeatur, sed sufficit illam habere in voto.* Videatur infra quæst. 79. art. 1. ad primum, & qu. 80. art. 11. quæ loca quæstione præcedenti retulimus, examinauimus, & aliquorū glossæ satisfecimus.

Probatur tertio ponderando aliqua verba Christi Domini Ioan. 6. *Hic est Panis de Cælo descendens, non sicut manducauerunt Patres vestri manna, & mortui sunt; qui manducat hunc Panem viuet in æternum: & Qui manducat*



meam Carnem, & b. bit meum Sanguinem, habet vitam æternam: Et sicut me misit viuens Pater, & ego uiuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse uiuet propter me. & Nisi manducaueritis Carnem Filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in uobis: Patet autem uiuere in æternum; habere vitam æternam; uiuere propter Christum, sicut Christus Dominus uiuit propter Patrem, &c. sonant huius Sacramenti necessitatem non in re ut patet, & concedunt omnes; ergo in voto; & per consequens hoc Sacramentum in voto necessarium erit ad habendam vitam æternam, seu ad perseuerandum. Quæ omnia clara fient si duæ adducantur Sanctorum Patrum auctoritates. Prima sit Sancti Augustini tract. 26. in Ioan. ubi dicit: Cum cibo, & potu id appetant homines ut neque esuriant neque sitiant: hoc ueraciter non præstat, nisi iste cibus, & potus, qui eos à quibus sumitur, immortales, & incorruptibiles facit, id est societas ipsorum Sanctorum, ubi pax erit, &

unitas plena, atque perfecta. &c. Secunda sit Sancti Patris N. Cyrilli lib. 10. in Ioan cap. 13. ubi sic de isto loquitur Sacramento: Non poterat aliter corruptibilis hæc natura corporis, ad incorruptibilem vitam traduci, &c.

Probatur quarto ratione: gratia quæ datur in Baptismo Pænitentia, & contritione est effectus in genere causæ finalis, Sacramenti Eucharistiæ in voto, ut quæstione præcedenti probauimus; ergo etiam per seuerantiam in eadem gratia, erit effectus eiusdem Eucharistiæ in eodem genere causæ finalis; ergo sicut ob illam rationem Eucharistiæ in voto est necessaria necessitate mediæ ad illam gratiam obtinendam ita ob eandem rationem erit eadem Eucharistiæ necessaria in eodem genere causæ finalis ad obtinendam perseuerantiam. Hæc ultima consequentia, ex antecedenti, & prima consequentia sequitur; si enim semel uerum est perseuerantiam esse effectum in genere causæ finalis Eucharistiæ in voto, manifestè sequitur Eucharistiæ necessarium



riam esse in voto ad perseuerandum in gratia . Antecedens iam probatum est quaestione praecedenti . Consequentia de qua est difficultas probatur : quia vnaquaeque res ab eadem causa habet conservari à qua habet primò esse ; ergò si semel gratia quae datur in Pœnitentia , Baptismo , & contritione habet primò esse ab Eucharistia in voto in genere causæ finalis , ab eadem , eodem modo habebit conservari . Videmus namque in naturalibus , quod causa , quæ valet aliquem effectum producere , valet etiam ipsum conservare , vt patet de igne , qui quia potest calorem producere , potest etiam illum conservare .

Confirmatur hæc ratio , quia vita æterna , & resurrectio sunt effectus Eucharistiæ in genere causæ finalis ; ergò etiam perseuerantia . Antecedens patet ex citatis Christi Domini verbis , & ex illis , *Et ego resuscitabo eum in nouissimo die* . Consequentia probatur quia implicat vitam æternam esse effectum in genere causæ finalis Eucharistiæ ,

& idem dicendum de Resurrectione ad eandem vitam æternam , & non esse perseuerantiam , quæ est via ad illam ; ergo si illa sunt effectus Eucharistiæ modo dicto , & perseuerantia erit .

Sed dices cum Suarez , vitam æternam , Resurrectionem , &c. tribui Eucharistiæ ad denotandam eius efficaciam , nõ quia sint effectus Eucharistiæ in voto . Nam contra est , quia peto à P. Suarez an vita æterna , Resurrectio , &c. attribuantur Eucharistiæ ad ostendendam efficaciam illius erga prædicta in genere causæ efficientis , vel finalis : non in genere causæ efficientis , quia causa efficiens non agit nisi existat in se , vel in virtute , quam post se reliquit ; patet autem quod Eucharistia quando fiet Corporum Gloriosa Resurrectio , non existet in se , nec in aliqua virtute à se relicta , cum talis virtus assignabilis non sit ; ergò solum in genere causæ finalis ; quia quando Resurrectio (& idem de vita æterna est dicendum ) ponetur , ex fine Eucharistiæ ponetur ; vt magis patebit



ex argumentorum solutionibus.

Probatur quinto, quia ad vitam æternam obtinendam non solum est necessaria iustificatio à peccato mortali, sed etiam est necessaria perseverantia in illa usque ad mortem; ergò sicut Baptismus, & Pœnitentia sunt necessitate mediis necessaria ad vitam æternam, & per consequens ad perseverantiam, quia sunt instituta ad iustificandum, ita Eucharistia erit necessaria necessitate mediis ad eandem vitam æternam, cum instituta sit ad perseverandum in iustificatione, seù ut præseruemur à mortalibus, per quæ perseverantia cessat, ut supra ex Tridentino notauimus.

Respondent oppositum defendentes, Eucharistiam institutam esse ad perseverandum ut docet Concilium, sicut Baptismus, & Pœnitentia instituta sunt ad iustificandum, aliter tamen, & aliter: nam Baptismus, & Pœnitentia taliter instituta sunt ad iustificandum quod sine illis in re, vel in voto, iustificatio haberi non potest, ideoque hoc mo-

do necessaria sunt necessitate mediis, ut docent omnes. At vero Eucharistia non sic, quia lege ordinaria perseverantia aliis mediis haberi potest, quàm per Eucharistiam, & votum ipsius; & sic licet instituta sit ad perseverandum non tamen est ad id necessaria, cum sine illa haberi possit.

Nam contra est, quia Baptismus, & Pœnitentia in re, vel in voto sunt necessaria necessitate mediis ad iustificationem, & vitam æternam; ergò etiam Eucharistia in voto. Antecedens concedunt omnes; Consequentia probatur, quia gratia collata per Baptismum & Pœnitentiam in genere causæ efficientis, causatur ab Eucharistia in genere causæ finalis, cum Eucharistia sit aliorum finis Sacramentorum, ut docet D. Thomas, & nos quæstione præcedenti docuimus; ergò ubi adest necessitas Baptismi, & Pœnitentiæ in re, vel in voto, ad causandam efficienter gratiam, adesse etiam debet necessitas Eucharistiæ ad causandam eandem gratiam in genere causæ finalis; atqui illa duo Sacramen-



ta sunt necessaria ad causandam gratiam, efficienter qua iustificamur, qua vitam habemus aeternam, & per consequens qua perseueremus; ergo etiam Eucharistia ad illud ipsum erit necessaria in genere causae finalis.

Probatum sexto, quia Sacramentum Eucharistiae est spiritualis animarum cibus, quibus eisdem praestat effectus, quos corporibus corporalis praestat cibus, ut definit Eugenius IV. in suo decreto fidei; ergo sicut cibus corporalis est necessarius in re necessitate medij ad vitam sustentandam corporalem, ita Sacramentum Eucharistiae necessarium erit necessitate medij ad vitam animarum spiritualem sustentandam, non quidem in re, ut patet; ergo in voto.

Huic argumento occurrit P. Suarez quadrifariam. Primo, hoc argumentum non habere locum in paruulis, in quibus differentia est inter vitam corporalem, & spiritua-lem, quod in illam semper, & in omni aetate calor agit naturalis, & corpus patitur à cō-

trarijs, & sic semper aliquo egent alimento; at vero spiritualis vita pro tempore infantiae nulli subest contrariae actioni, & ideo non indiget cibo. Secundo, quia etiam in adultis sua reperitur differentia, quia in illis corporalis vita ex necessitate actionem patitur contrarij: At vero spiritualis vita pati non potest nisi per actionem liberam, quae libera actio impediri potest per alias, ut per amorem Dei, & per actus omnium virtutum. Tertio, quia spiritualis vita non vnicum habet cibum quo sustentetur, sed plures, ubi autem plures sunt cibi, nec iste, nec ille in particulari est necessarius, sed solum indefinitè. Quarto, quia cibus corporalis mutatur in alitum, cibus vero spiritualis, mutat alitum in se ipsum, quod fieri potest non solum per Sacramentum, verum etiam per fidem, per spem, per amorem in Christum Dominum &c.

Sed omnes istae interpretationes nullae sunt, cum solū procedant de Eucharistia in re, non in voto; est verum, quod



quod Eucharistia in re non est necessaria paruulis pro gratia conseruanda pro illa ætate, tamen est etiam verum, quod paruuli illam habent gratiam, & conseruant ex voto Eucharistiæ in ipso Baptismo contento, vt quæstione præcedenti cum D. Thoma docuimus. Est verum, quod adulti actionem naturalis contrarij, humidum naturalem destruentis necessario sustinent, & quod vita spiritualis non nisi per actionem liberam destrui possit, & quod hæc libera actio destructiua vitæ spiritualis impediri possit per amorem Dei, & per alias virtutum actiones. Sed est etiam verum, quod hoc totum fiet ex Eucharistiæ voto, seu prout sunt votum saltem implicitum illius, cum Eucharistia sit finis Sacramentorum, & virtutum omnium, & quid quid causatur à Sacramentis efficienter, & ab actibus omnium virtutum, ab Eucharistia causetur finaliter. Est verum, quod vbi sunt plura ciborum genera vnum determinatum, & in particulari non est necessarium; sed est etiam ve-

rum, quod Eucharistia agit in genere causæ finalis in omnibus cibis spiritualibus, vnde licet alii cibi solum indefinitè ad vitam spiritualem conseruandam sint necessarii, Eucharistia tamen in voto, cum per omnes diuagetur cibos spirituales, erit determinatè necessaria. Est verum quod cibi materiales conuertuntur in alitum, & spirituales alitum in se conuertant, quod fieri potest in re per Fidem, Spem, Charitatem, &c. Tamen est etiam verum, quod id quod fit in re per Fidem, Spem, &c. fiat in voto per Eucharistiam, vt iam satis superque est explicatum, & explicabitur magis ex argumentorum solutionibus.

Primum argumentum. Si Sacramentum Eucharistiæ esset necessarium necessitate medijs etiam in voto ad perseuerandum vsque in finem, deberet aliquem effectum in ordine ad talem perseuerantiã ponendam producere; sed nihil producit; ergo non est necessarium in voto ad perseuerandum. Maior clara est: nã implicat aliquam causam esse neces-



necessariam ad ponendum aliquem effectum, & nihil speciale agere circa eundem effectum; & si talis ponatur effectus aliunde, & non ex vi illius causæ ponetur. Minor in qua est difficultas probatur. Nam Eucharistia nihil agit erga perseverantiam, & vitæ æternæ consecutionem, tum paruulorum, tum adultorum, quia tam ex illis, quàm ex istis plures damnantur; ex illis cum ad usum perueniunt rationis, etiam post realem huius Sacramenti sumptionem; & esset valde mirum, quod Eucharistiæ Sacramentum in voto maioris esset efficaciam, quam sit in re; ergò cum videamus plures post realem Eucharistiæ sumptionem damnari, à fortiori etiam post ipsius votum.

Nec valet respondere inquit Suarez perseverantiam esse quidem effectum Eucharistiæ in voto, sed non esse infallibilem etiam si hoc Sacramentum dignè suscipiatur quia in ijs effectibus qui non statim dantur cum suscipitur Sacramentum, fieri potest, ut postea non dentur propter su-

perueniens impedimentum. Nam contra hoc arguit Ille, quia licet hoc possit in alijs effectibus habere locum, non tamen in hoc, quia de ratione intrinseca huius effectus, nempe domi perseverantiæ est quod omne tollatur impedimentum, & si semel impedimentum ponatur, clarum signum erit hunc effectum non fuisse positum.

Nec valet iterum respondere esse de ratione perseverantiæ, quod quando ponitur, omne impedimentum tollatur, & tunc solum est huius Sacramenti effectus. Nam contra hoc arguit Suarez, quia falsò, & sine vllò fundamento dicitur quod quibus datur hic effectus ratione Eucharistiæ, vel in re, vel in voto detur; nam interdum dari potest, vel ex merito congruo, vel ex Dei arbitrio, propter solum meritum Christi, sine ordine ad vllum Sacramentum.

Respondetur vtramque solutionem esse optimam, nimirum perseverantiam non esse effectum Eucharistiæ infallibilem, & quod quando

Z datur



datur ob Eucharistiã, seu in reitu illius datur; cum enim sit finis omnis gratiæ, & omnium donorum, cum contineat principium, & fontem omnium illorum, non mirum quod quando perseverantiæ donum datur, Eucharistiæ in reitu datur, quod autem perseverantiæ donum non omnibus datur, ob duas rationes esse potest. Prima est, quia cum hoc Sacramentum datur per modum cibi, & potus, sortitur conditionem illorum; & sic sicut cibus, & potus corporalis conferuat, vivificat, fortificat vitam corporalem, taliter tamen quod illam incorruptibilem non facit, sed obnoxiam contrariis relinquit, & tamen ob id non desinit esse necessarius necessitate mediij; ita pariformiter Eucharistia, licet sit cibus animæ spiritualis, & animam conferuat, vivificet, & fortificet, non tamen reddit illam incorruptibilem vitam gratiæ, sed relinquit eam suis subiectam contrariis, à quibus corrumpi potest, non tamen hic valet deduci non esse ad hoc ipsum necessariam neces-

sitate mediij, quia si quando spiritualis vita corrumpatur, à contrariis erit, quando vero conferuatur ab hoc cibo spirituali erit, sicut contingit in vita corporali, vt dictum est. Secunda ratio generalis est pro omnibus Sacramentis, quæ licet conferant specialia auxilia ad proprios effectus non tamen ita quin possit non sequi operatio, eo quod illa conferunt auxilia cum subordinatione ad liberum hominis arbitrium quantum ad eorum auxiliiorum exercitium, tamen quando proprii dantur cuiusque Sacramenti effectus, ob Sacramenta dantur &c.

Secundum argumentum est, quia Concilia, & Patres duo solum admittunt Sacramenta esse necessaria necessitate mediij ad vitam æternam ergò frustra ponitur tertium. Nec valet dicere Concilia, & PP. loqui de Sacramentis necessario suscipiendis in re, Eucharistia autem solum est necessaria in voto. Nam contra est, quia etiam Baptismus, & Penitentia non sunt simpliciter necessaria in re, sed solum



Ium in voto, cum sufficiat adultis ea in voto habere, ut etiam nos supra docuimus de Sacramento Baptismi, & infra dicemus de Sacramento Pœnitentiæ. Vnde potest adultus per actum contritionis secundum quod est votum Baptismi, & Pœnitentiæ iustificari, & saluari.

Respondetur dupliciter: primò Sacramentum Baptismi, & Pœnitentiæ per se loquendo esse necessaria in re, si autem aliquando votum sufficiat id est per accidens, vel ex defectu ministri bap-

zantis, vel quia oportet baptismum differre &c. At vero Eucharistia per se loquendo in voto solum est necessaria; ut ex dictis supra, & ex infra dicendis clarius patebit.

Respondetur secundo. Sacramentum Eucharistiæ esse necessarium solum in genere causæ finalis, quia solum in hoc genere gratiam causat, & gloriam: at vero Baptismus & Pœnitentia sunt necessaria in genere causæ efficientis, quia in hoc genere tanquam instrumenta physica gratiam causant sanctificantem &c.





DISPUTATIO  
 QUARTA  
 DE TEMPORE INSTITUTIONIS  
 SACRAMENTI  
 EUCHARISTIAE.

**A**git D. Thomas de subiecto præsentis disputationis art. 5. huius quæst. 74. & nos cum eo; vnde relicto articulo 4. ubi agit de diuersis huius Sacramenti nominibus, de quibus satis constat ex dictis in huius tractatus principio, de materia articuli 5. dumtaxat

tractabimus; & relicta illa quæstione quam hic aliqui pertractant expositores, nimirum, an si status perdurasset innocentia, hoc Sacramentum institutum fuisset, quia huius resolutio quæstionis patet ex ijs quæ de Sacramentis in Genere disp. 3. quæst. 1. per totam docuimus, ideo sit.



## QVAESTIO I.

*Qua Die Christus Dominus Pascha Agni  
celebrauerit.*

**S**upponit quæstionis titulus annum, inquit diem, supponit annum cum sit omnino certum Christum Dominum Pascha Iudæorum celebrasse eo anno quo mortuus est, ut colligitur ex illo Matth. 26. ubi Discipuli inter rogauerunt Dominum: *Vbi vis paremus tibi comedere Pascha?* Et postquam ostendit illis ubi pararent, subditur: *Et fecerunt Discipuli sicut constituit illis Iesus, & parauerunt Pascha.* Et Marci 14. dicitur. *Primo die azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei Discipuli: quo vis eamus, & paremus tibi ut manduces Pascha.* Inquit diem, de qua celebris est difficultas, de qua re.

Prima sententia est, Christum Dominum celebrasse Festum Agni Paschalis, eo quidem anno quo mortuus est, sed non ea die qua cele-

brabant Iudæi, nempe die 14. Lunæ Martij, sed die 13. ita quod anticipauerit unam diem. Hanc sententiam sequuntur Euthymius in Matth. 26. Nicephorus 1. Histor. cap. 28. Epiphanius Hæresi 50. Chrysostr. hom. 82. in Ioan. Theophylactus in cap. 18. Ioan. & Græci omnes communiter.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Christus Dominus celebrauit Pascha Agni die decimaquarta Lunæ Martij ad Vesperam, secundum quod à Iudæis celebrabatur ex præscripto legis Exo. 12. Hæc conclusio est omnium latinorum sensus, tam Patrum, quam Scholasticorum, & Theologorum, & etiã omnium Sacræ Scripturæ interpretum.

Sed antequam nostram probemus conclusionem nota, morem fuisse hæbræorum



computandi Menses, & Annos non ex Solis, sed ex Lunæ motu, computabant namque menses ex nouilunio in nouilunium, & annum ex 12. nouiluneis, seu ex 12. mē-sibus Lunaribus, quorum aliqui constant 30. diebus, alij viginti nouem, vnde fit vt annus Lunaris minor sit anno solari diebus vndecim. Initium autem anni sumebant à mense Nisan qui nostro Martio solari ferè correspondebat, & incipiebat à nouilunio quod est propè æquinoctium vernale; vnde mensis Nisan amplectebatur partem mensis Martij, & partem mensis Aprilis. Et sic vt notauit Onophrius Panuinus libr. 2. Festorum: dies 15. mensis Nisan quo mortuus est Christus Dominus, fuit dies decimus octauus Aprilis. Et sic die decimaquarta mensis Nisan hoc est die 14. illius Lunæ, Christus Dominus celebrauit festum Agni, & erat dies 17. Aprilis, qua instituit Sacramentum Altaris. Et 15. eiusdem Mensis Nisan, quæ erat 18. Aprilis pro nobis mortuus est, & dies sequens nempe

16. mensis Nisan, quæ erat dies 19. Aprilis magnum erat Festum Iudæorum, & erat dies Sabati: his positis, & breuiter prælibatis.

Probatur conclusio, Sacræ Scripturæ testimonijs. Exodi 12. habetur: *Dixit quoque Dominus ad Moysen, & Aaron in terra Aegipti: mensis iste, vobis principium mensium: primus erit in mensibus anni. Loquimini ad vniuersum catum Filiorum Israel, & dicetis eis: decima die mensis huius tollat vnusquisque agnū per familias, & domos suas, erit autem agnus sine macula, masculus, anniculus, iuxta quem ritum tolletis, & hadum & seruabitis eum vsque ad quartam decimam diem mensis huius: immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israel ad Vesperam. Vbi vt vides Pascha agni fiebat die 14: Mensis Nisan, qui mensis erat primus in mensibus anni, & hac die comedit Christus Dominus Pascha, vt constat ex illo Marci 14. *Primo autem die azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei Discipuli; quouis eamus, & paremus,*  
*&c.**



*Ec. & Luc. 22. Venit dies azymorum, in quo necesse erat occidi Pascha. Soluuntur argumenta in contrarium.*

Primum argumentum est, quia Christus Dominus fuit occisus die decimaquarta Lunæ Martii; ergo non potuit comedere Pascha eadem die; consequentia tenet, quia ad vesperam illius diei iam fuisset mortuus. Antecedens probatur, quia figuratum debebat correspondere figuræ, nēpe immolatio veri agni fieri debebat eo die quo fiebat immolatio agni figuralis, sed hæc ut patet ex lege citata Exodi, fiebat die 14. Lunæ Martii; ergo etiam eadem die debuit fieri, veri agni immolatio, & per consequens debuit Christus Dominus Paschalem esum prævenire.

Respondetur negando antecedens. Ad probationem dicitur, quod non est necesse, quod figura respondeat figurato quoad circumstantiam diei, sicut non correspondet circumstantiæ hore, sed sufficit quod corresponderet substantiæ figuræ, nimirum quoad occisionem, imo fuit con-

ueniens quod talis fieret correspondentia, quia prius debebat Christus Dominus observare legem immolationis agni, quam quod ipse verus agnus immolaretur.

Secundum argumentum est, quia Ioan. 18. de Iudæis accusatoribus dicitur: *Et ipsi non introierunt in pratorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha;* ex quo loco clarè colligitur iudæos fuisse celebraturos Pascha eo die quo Christus Dominus fuit occisus, & per consequens Christus Dominus pridie debuit comedisse Pascha: alioqui non benè adverteret Ioannes, Iudeos accusantes Christum Dominum noluisse intrare pratorium ne contaminarentur, per quam contaminationem non possēt manducare Pascha.

Respondetur quod eo loco Ioannis, Paschatis nomine non intelligitur esus agni Paschalis, quia iam agnum comederant Iudæi, nec esus panum azymorum, qui panes azymi nonnunquam in Sacra Scriptura Pascha vocantur, sed aliarum victimarum esus intel-



intelligitur, qui in illis septē diebus fiebat; immolabantur namque plures aliæ victimæ, & comedebantur non nisi à mundis; quæ omnia colliguntur ex Deuter. 16. & ex 2. Paralip. 30. & 35. & ex Leuit. 7. & alibi, vnde ille victimæ dicebantur Phase idest Pascha.

Tertium argumentum est, quia Ioan. 19. Christus Dominus mortuus dicitur in parasceue Paschæ, & per consequens die illa qua iudæi comedebant Pascha, seu agnū Paschalem, & in eodem Sancti Ioan. Evangelio capit. 13. vbi narrantur quæ facta fuerunt à Christo Domino antequam comederet Pascha dicitur: *Ante diem Festum Paschæ*, hoc est ante diem quo Pascha à iudæis celebrabatur &c.

Respondetur ad primum Ioannis testimonium. Christum Dominum dici mortuum in parasceue, hoc est in die præcedente Sabatum, vt dicitur Marci 15. *Erat autem parasceue, quod est ante Saba-*

*tum*. parasceue namque significat ciborum præparationem ad manducandum die sequenti, vt aduertit D. Augustinus tract. 17. in Ioan. quæ ciborum præparatio licebat fieri in festo Paschatis, & in diebus azymotum cum fieri non posset in ipso die Sabati; vnde parasceue non erat solum dies immediatè antecedens Sabatum, sed erat dies illa in qua licebat præparare cibos pro die Sabati. Ad secundum testimonium dico, quod cum Festum Paschæ inciperet à vespers primæ diei azymorum quæ erat dies 14. Lunæ Martii, & duraret per totam diem 15. sequentem hæc dies dicebatur Paschæ Festum, quia erat dies Paschæ vsualis: vel certè dicitur ante diem Festum Paschæ, quia ea de quibus loquitur ibi Ioannes facta fuerunt antequam inciperet dies festus Paschæ, quæ dies incipiebat ab illis vespers quæ tunc temporis nondum erant inceptæ &c.



QVAESTIO II.

*An Eucharistiæ Sacramentum fuerit ante, vel post pedum lotionem à Christo Domino institutum.*

**P**ro huius difficultatis intelligentia nota Christū Dominum in illa nocte antecedente ad suam passionem, quando Altaris Sacramentum instituit triplicem cum Discipulis suis egisse cœnam. Prima fuit Agni Paschalis, quæ cœna, legalis, vetus, & figuratiua nuncupatur. Secunda fuit cœna communis, quæ usu alis dicitur. Tertia fuit huius Sacramenti institutio, quæ cœna noua, & mystica vocatur. Vt autem videamus an hoc Sacramentum fuerit institutum ante, vel post pedum lotionem videndū est, an pedū lotio fuerit facta ante, vel post cœnam legalem, & ante, vel post cœnam vlualem.

Prima est aliquorum sententia quod lotio pedum ante omnem cœnam fuerit facta; vnde explicant illa Ioannis

verba; *& cœna facta &c.* idest cœna parata, cœna structa, cibis paratis, sedentibus omnibus Discipulis, qui tunc erant cœnaturi. Sed cum hæc interpretatio omnibus nimis exorta videatur relinquatur.

Secunda est aliorum sententia, pedum lotionem factam fuisse cœna legali incepta, nõdum tamen finita, quod innui videtur per illa Io. verba *Surgit à cœna*, Sed hæc etiam sententia communiter reicitur, quia videtur esse contra præceptum, quod de modo vescendi agnum habetur Exodi 12. nimirum, *comedetis festinantes*, quod præceptum certè non fuisset obseruatum si fuisset illa cœna agni per pedum lotionem interrupta.

Tertia aliorum sententia est Christum Dominum lauissse Discipulorum pedes post



omnem cœnam & post Iudæ discessum, & videtur sententia D. Cypriani sermone de lotionem pedum, quatenus dicit Christum Dominum lauisse Discipulorum pedes post Sacramentum institutum. Sed neque hæc sententia sustineri potest. Nam illa verba, *Cœna facta*, de cœna legali intelliguntur, vt patet. Tum quia Iudas fuit præsens ablu-  
 tionem pedum, vt colligitur ex illis Christi Domini verbis: *Vos mundie stis, sed non omnes, sciebat enim qui eum traderet, propterea dixit, non estis mundi omnes: Si autem Iudas præsens non fuisset, Dominus dicere non potuisset, Vos mundi estis sed non omnes, quia Iuda absente omnes mundi erant. Fuit etiam Iudas præfens cœnæ vsuali, vt colligitur ex illis verbis Luc. 22. Verum tamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa; & ex illis Ioan. 13. cui intinctum panem porrexero &c. quæ verba de vsuali mensa intelliguntur, quæ post lationem pedum facta fuit, vt patet ex illis verbis; & cum iterum recubuis-  
 set.*

Quarta sententia est pedum lotionem fuisse factam post finitam cœnam legalem, & post inchoatam cœnam vsualem, sed antequam finiretur, quod colligunt plures, & graues expositores ex illis verbis Ioannis: *surgit à cœna*. Sed neque hæc dici potest, primò quia videtur in congruum quod in cœnæ mediò fiat pedum lotio.

Nostra, & communis sententia sequenti explicatur conclusione. Christus Dominus lauit Discipulorum pedes inter vtramque cœnam legalem videlicet, & vsualem, seù finita cœna legali, nondum cæpta vsuali, & per consequens pedum lotio facta fuit ante cœnam mysticam, seù ante Eucharistiæ Sacramenti institutionem.

Prima huius conclusionis pars patet per aliarum exclusionem sententiarum. Secunda pars patet ex contextu Evangelij, postquam enim lauit Discipulorum pedes sua, reassumpsit vestimenta, & cū iterum discubuisset dixit Apostolis illa grauiissima verba: *Scitis quid fecerim vobis: vs-*  
 qu:



que ad illa: *Exemplam dedi vobis, ut quem admodum ego feci, ita & vos faciatis.* Postea Apostolos de fidei mysteriis instruxit, & præsertim de Altissimo nostri Sacramenti mysterio, per quæ attentos reddidit Apostolos, & deuotos pro Sancta recipienda, communionem, & sic dum cum tali affectu, attentione, & reuerentia cænant vsuali cæna Altissimum instituit Sacramentum, vt constat ex illis verbis, *Cænantibus autem illis, &c.* Quo facto profecuti fuerunt cænam vsualem, postquam disc. s. Iudas, vt aperte colligitur ex illis verbis Christi Domini: *Verumtamen ecce manus tradentis me, meum est in mensa.* Et ex illis. *Amen amen dico vobis unus ex vobis me traditurus est: & ex illis: Qui intingit mecum manum in paropside &c.* Quæ omnia dicta fuere post huius Sacramenti institutionem, & in ipsa cæna vsuali, & per consequens Iudas adhuc erat præsens.

Ex quibus patet Iudam nõ solum fuisse præsentem huius Sacramenti institutioni, verũ

etiam fuisse communicatum, quod elegantissimè docet D. Thomas infra quæst. 81. art. 2. in corpore dicens: *Hilarius posuit s. per Matthæum, quod Christus Iudæ Corpus suum, & Sanguinem non dedit, & hoc quidem conueniens fuit considerata malitia Iudæ; sed quia Christus nobis debuit esse exemplum iustitiæ, non conueniebat eius magisterio, vt Iudam occultum peccatorem, sine accusatore, & euidenti probatione ab aliorum communionem separaret, ne per hoc daretur exemplum prælati Ecclesiæ, similia faciendi, & ipse Iudas exasperatus, inde sumeret occasionem peccandi.* Et ideo dicendum est quod Iudas cum alijs Discipulis Corpus Domini, & Sanguinem suscepit, vt dicit Dionys. in lib. de Eccles. Hierar. & August. super Ioannem. Hæc D. Iohannes.

Petet aliquis qua nam hora noctis fuerit hoc Sacramentum institutum. Respondeo, relicta eorum sententia qui dicunt hoc Sacramentum fuisse institutum in noctis profundo seũ versus mediam noctem, dicendum fuisse hoc Sacra-



mentum institutum in principio noctis duabus scilicet circiter horis, post solis occasum, quod patet, quia Deut. 16 dicitur *Immolabis phasæ vespere ad solis occasum*; & Evangelistæ notant Christum Dominum accessisse ad immolandum Pascha, *cum facta esset hora*, à lege videlicet præscripta; Atqui cæna legalis, & lotio pedum, cum mysteriorum instructione, per duas circiter horas durare potuit, & postea huius Sacramenti institutio facta est; deinde finita cæna discessit Iudas, post cuius discessum longam fecit Dominus concionem, inde iuit in hortum.

Igitur breuiter recapitulando quæ circa huius Sacramenti institutionem obseruata fuerunt, dico quod annus fuit ille quo Christus Dominus mortuus est, & fuit initium trigesimi quarti, die namque 25. Martii compleuit annum trigesimum tertium, & die 17. Aprilis hoc Sacramentum instituit, & die sequenti nempe

die 18. eiusdem mensis pro nobis mortuus est, vt quæstione præcedenti notauimus. Mēsis fuit Aprilis, dies fuit Iouis & hoc rationabiliter, quia in hac die Pisces Maris, & volucres Cæli sunt creati, vt actiui per pisces, & contemplatiui per volucres designati, hoc digni haberentur Sacramento. Tum quia hac die prout D. insinuat Angustinus 4. de Trinitate B. V. Maria puerum Iesum in templo est præsentata, quod huic consonat mysterio, quando Christus Dominus se ipsum Deo Patri in hoc obtulit Sacramento. Tum etiam quia in ipsa die Iouis suum intulit corpus in Calum, quod sub Sacramento consecrandum reliquit in Ecclesia. Hora similiter congrua fuit, quia suo non vacat mysterio. Eo enim tempore creditur B. V. ab Archangelo Gabriele fuisse salutata. Tum quia eo ferè tempore fuit Christus Dominus in sepulchro reconditus.



# DISPUTATIO QVINTA

## *De materia Sacramenti Eucharistiæ.*

**N**on disputabimus in hac disputatione de huius Sacramenti materia proxima; nam de hac sufficienter diximus disput. 1. huius tractatus per totam, ubi pluribus ostendimus species Sacramentales esse ipsū Sacramentum in recto, & per consequens materiam huius Sacramenti proximam. De sola ergo materia remota, ex

qua ipsum conficitur Sacramentum, quæque est ipsi Sacramento extrinseca, & est id circa quod consecratio verifatur præsens procedet disputatio, & quia licet hoc Sacramentum formaliter sit vnum in specie atoma, materialiter tamen est duplex, scilicet Corporis, & Sanguinis, de vtriusque materia erit sermo. Sit ergo.

## QVAESTIO I.

*An Panis, & Vinum sint Sacramenti Eucharistiæ materia.*

**V**arij fuere prisorum errores hæreticorum, vt Caraphrygianorum, Peputianorum, Manichæorum, Ophitorum, Aquariorum, & aliorum, vt videre est apud D. Au-

gustinum lib. de hæresibus hæresi 17. 26. 27. 28. 46. & 64 Chrysostrum homil. 84. in Matth. Epiphanium de hæresibus, & apud alios, qui Caralogum conficiant hæretico-

rum.



rum. Sed quia hæ hæreses iam diu extinctæ sunt, satius erit solum vigentes adducere, & impugnare.

Est ergo Calvinistarum sententia Panem, & Vinum ita esse huius Sacramenti materias, vt tamen illis deficientibus aliæ possint eorum loco subrogari, vt omne esculentum loco Panis, & omne poculentum loco Vini, Beza Epist. 2, ad Tillium, Polanus lib. 5: Syntagmatum Theologorum cap. 56. Scharpius de Cæna sacra controu. 3. q. 1. & alii.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Materia Sacramenti Eucharistia est solus verus panis triticeus & solum verum vinum vitigineum. Hæc conclusio est de fide definita ab Innoc. III. in Concilio Lateranensi cap. 2. & refertur cap. *Firmiter*, de Summa Trinitate, & Fide Catholica; ab Eugenio IV. in suo decreto fidei; & constat ex perpetuo vsu, & traditione Ecclesiæ: & deducitur ex Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. ex 1. ad Cor. 11.

Rationem à priori non ha-

bemus, sed solam Christi Domini institutionem, sic enim voluit, sic iussit, sit pro ratione voluntas, congruentiam tamen habemus multiplicem: quatuor ponit Angelicus Doctor in art. 1. quæstionis 74. Prima est desumpta ex vsu Sacramenti qui est manducatio: sicut enim aqua assumitur in Sacramento Baptismi ad vsu spiritualis ablutionis, quæ corporalis ablutio communiter fit aqua; ita Panis, & Vinum quibus communiter reficiuntur homines, assumuntur in hoc Sacramento ad vsu spiritualis manducationis; ergo cum Sacramentum Baptismi sit institutum per modum spiritualis ablutionis, in aqua fuit institutum, quæ communiter ad corporealem deseruit ablutionem; ita cum Sacramentum Eucharistia sit institutum per modum conuiuij, debuit in ijs rebus institui, quæ cõmuniter in conuiuijs apponissolent: sunt autem Panis, & Vinum; ergo &c.

Huic congruentiæ addi potest alia quæ desumitur ex sequentia Corporis Christi, dū dicitur: *Ecce Panis Angelorum, factus cibus viatorum.*

Quam



Quam congruentiam sic expendit Durandus; quia corporalis cibus viatorum, & peregrinorum, quibus splendendam, & opiparam non vacat parare mentam, est Panis, & Vinum, ita cum hoc Sacramentum sit institutum pro viatoribus in solo pane, & vino institui debet, & ob id vocatur viaticum, ex eo quod viatorum sit cibus, & peregrinorum, *quandiu enim sumus in hoc mundo peregrinamur à Domino.*

Secunda D. Thomæ congruentia desumitur in ordine ad Christi Domini passionem in qua sanguis fuit à corpore separatus, & sic cum hoc Sacramentum sit eiusdem Christi Domini passionis memoriale, sub specie panis, qui corpus significat, & sub specie iure quod Sanguinem notat institui debuit; quod autem panis corpus significet, & vinum Sanguinem ex sequenti congruentia patebit.

Tertia D. Thomæ congruentia est desumpta ex eff. Cuius quem hoc Sacramentum in vnoquoque causet sumentium, *valet enim ad tuitionem*

*anima, & corporis, & ideo Corpus Christi sub specie Panis, pro salute corporis, sanguis vero sub specie Vini pro salute anime offertur, sicut dicitur Leuit. 17. quod anima carnis in Sanguine, &c. Cum ergo panis materialis corpus tueatur; Panis, namque, cor hominis confirmat, & Vinum materiale letificet cor hominis, conuenienter hoc Sacramentum sub his speciebus fuit institutum ut corpus, & animam tueatur, confirmet, letificet.*

Quarta congruentia per ordinem ad corpus mysticum, quod est Ecclesia desumitur; sicut enim Ecclesia constituitur ex diuersis fidelibus; sic Panis conficitur ex diuersis granis, & vinum fluit ex diuersis Vitis; ut dicit Glossa super illud prima Cor. 10. *Multi unum sumus, &c. Hæc D. Thomæ congruentia confirmari potest ex D. Augustino tractat. 26. Ioan. ubi dicit: Cum cibis, & potu id appetant homines ut non esuriant, neque sitiant: hoc veraciter non præstat nisi iste cibus, & potus qui eos à quibus sumitur immortales, & incorruptibiles facit; id est societas*



tas ipsa Sanctorum: ubi pax erit, & unitas plena, atque perfecta. Propterea quippe fecit etiam ante nos hoc intellexerunt homines Dei, Dominus noster Iesus Christus Corpus, & Sanguinem suum, in ijs rebus commendauit quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud in unum ex multis granis conficitur: aliud in unum ex multis acinis confluit, &c. Soluuntur hæreticorum argumenta.

Primum argumentum. Illud est conueniens Eucharistiæ Sacramenti materia per quod melius Christi Domini passio repræsentatur; sed hæc est panis hordeaceus, & acetum; ergo hæc est huius Sacramenti materia, & non illa à nobis assignata. Maior patet, cum enim hoc Sacramentum sit institutum vt passionis Christi Domini commemoratiuum, vt patet ex illo Christi Domini: *Hoc facite in meam commemorationem*, & ex illo Apostoli I. ad Cor. II. *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & Cálicem bibetis mortem Domini annuntiabitis*, sequitur quod illa sit

conuenientior huius sacramenti materia, per quam melius passio Domini repræsentatur. Minor probatur, quia per hordeum, & acetum passionis Domini acerbitas, dolor, & afflictio melius repræsentatur, quam per panem frumentaceum, & vinum vitineum; nam illa acrimoniam causant, hæc delectationem.

Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem dico, quod licet panis hordeaceus, & acetum melius repræsentent Christi Domini passionem secundum hanc rationem acerbitatis, non tamen secundum alias omnes rationes, secundum quas per hoc Sacramentum repræsentari debet, vt patet ex modo adductis D. Thomæ congruentijs. Tum quia hoc sacramentum est institutum per modum conuiuij ad repræsentandam vnionem fidelium inter se, qui non ferino, sed humano modo congregantur, præsertim in conuiuijs, ideo non per hordeum & acetum, sed per panem frumenti, & vinum &c. Tum etiam quia panis in scriptura signi-



significat passionem, vt patet ex illo Hierem. 11. *Venite mittamus lignū in panem eius,* idest Crucem in Corpus Christi vt explicat Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 18. Et vinum significat Sanguinem pro nobis in Cruce effusum, vt colligit D. Hieronymus ex illo Gen. 49. *Lauabit in vino stolam suam, & in Sanguine Vuæ pallium suum,* vbi Sanguis Christi Domini propter ruborem, vinum vocatur. Et Isa. 63. dicitur Christus Dominus calcasse torcular solus, & expressisse vinum ex vua, quando in Cruce pro nostra reconciliatione Sanguinem suum fudit in præteritum simul, & la-uacrum, vt redempti à miserabili seruitute, à peccatis omnibus mundaremur.

Secundum argumentum. Illa est legitima huius sacramenti materia, quæ ex Christi Domini intentione hoc sacramentum instituentis col-

ligitur; sed hæc est quælibet res quæ cibi, & potus rationem habet; ergo &c. Minor probatur. Nam intentio Christi fuit instituire Sacramentum, vt esset spiritualis quædam nutritio; sed hoc habet omne quod cibi, & potus rationem habet; ergo &c.

Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem. Nam cum hoc Sacramentum sit institutum per modum conuiuii, illa sola debet esse huius sacramenti materia, quæ in conuiuium per se importatur, hæc autem est Panis, & Vinum; vnde panis aliquando conuiuium signat: ideoque est valde frequens in scriptura inuitare ad conuiuium sub verbo comedendi panem; Et vinum est adeo de conuiuii ratione, quod ex communi adagio, *anima vocatur conuiuij.* Alii autem cibi, & potus, vel belluini sunt, vel non necessarii &c.



## QVAESTIO II.

*Qualis debeat esse Panis triticeus.*

**L**icet præsentis resolutio quæstionis ferè iam habeatur ex resolutis quæstione præcedenti, claritatis tamen gratia, & ut aliqua difficultates magis in particulari maneat resolutæ hanc quæstionem proponimus. Licet enim frumenti nomine, ut ex Plinio lib. 18. naturalis historiæ cap. 7. & 8. & ex D. Isidoro lib. 17. Ethymologiarum cap. 3. veniat omne granum, quod aristas, & spicas habet, quo modo est genus ad hordeum, auenam, & triticum &c. tamè in magis propria significatione solum triticum venit, quod est propria huius Sacramenti materia, ut docet Decretum Eugenij his verbis: *Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cuius materia est panis triticeus, & vinum de vite;* ubi ut vides materiam corporis in specie determinavit, propterea non frumentum quod est genus ad illa, sed triticum.

quod est illius generis species nobilissima. At vero materiam Sanguinis vinum genericè assignavit de vite, abstrahens ab aliqua specie, quod sit album, vel rubrum, Hispanicum, vel Gallicum, &c. ex quibus manet explosa Gabr. lect. 35. in Canonem Missæ, sententia, quod huius Sacramenti materia sit genus ad triticum, prout comprehendit hordeum, auenam, &c. Sed quia tritici species secundum aliquos non est infima, sed subalterna, restat adhuc inquirendum, an panis ex filigine, farre, zea, oriza, spelta, lollio, &c. sit sufficiens huius Sacramenti materia; cum omnia illa tritici nomine veniant, & sint essentialiter triticum. Ad quod

Dico primo sola illa grana sunt verè, & propriè huius Sacramenti materia, quæ propriè sunt triticum, siuè ad inuicem specie|physica propriè distin.



distinguantur, siuè non; & huius ratio est quod Christus Dominus cum vinum pro materia Calicis determinauit, omne vinum quod est propriè vinum determinauit; ergò etiam cum determinauit triticum pro materia corporis proprium triticum debuit determinare; an modo prædicta sint propriè triticum nec re ex cõmuni vsu, & intellectu hominum desumendum est.

Dico secundo, in dubio an aliqua grana sint triticea nec ne, ex illis hoc Sacramentum confici non potest: cum enim hoc Sacramentum non sit necessitatis vt baptisumus, in materia dubia confici non debet; hinc quia dubitatur an secala sit triticum propriè dictum, nõ licet ex illa hoc Sacramentum conficere; idem dic de spelta siligine, farre &c. Item à fortiori excluditur oriza, auena, millium, fabæ, & alia legumina, & arborum fructus, &c.

Dico tertio ad hoc vt panis consecrandus sit huius Sacramenti materia non sufficit, quod sit confectus ex granis triticeis, sed requiritur quod

ille panis sit moraliter communis, & vsualis, hinc amydu non est materia sufficiens, quia non est panis vsualis, cum vsu ali modo non fiat, cum grana corrumpi relinquuntur prius in aqua &c. Similiter massa triticea cruda, vel non cocta per modum panis, sed frixa, vel elixa vt pultæ, siuè differant specie à pane, siuè solum accidentaliter ratione maioris, vel minoris siccitatis, &c. non est sufficiens huius Sacramenti materia, panis enim vsualis solus ille censetur qui ex farina triticea, & aqua naturali mixtus, & igne tostus, siuè etiam assus, & in sua specie incorruptus. Quod si panis sit subactus aqua artificiali, vel oleo, butyro, lactæ, ouis, sacharo alioque liquore, cum non sit vsualis, non est sufficiens; subactus tamen aqua maris sufficiens est, cum aqua naturalis sit vt aduertit Diana p. 9. tract. 9. resol. 58.

Dico quarto, si panis fiat ex granis tritici, cum mixtione aliorum granorum erit sufficiens huius Sacramenti materia si farina triticea taliter prædominetur quod ad se



aliam trahat, eamque in se  
 convertat; quia tunc tempo-  
 ris dicitur ille panis verè, &  
 propriè triticeus; secus si op-  
 positum contingat. Idem di-  
 cendum de admixtione alte-  
 rius aquæ cum naturali, si e-  
 nim hæc prædominetur, ma-  
 teria erit sufficiens, secus nul-  
 lomodo; aduerte tamen non  
 esse licitum vti istis materijs,  
 vbi talium diuersorum grano-  
 rum sit mixtio, vel aquatum.  
 Ex quibus patet quid dicen-  
 dum sit ad illud dubium quod  
 proponit Diana parte 7. tract.  
 12. an hostiæ rubræ in quibus  
 sit mixtio cinnabris, sint ma-  
 teria sufficiens huius Sacra-  
 menti, si enim multum cinna-  
 bris sit mixtum non videtur  
 materia sufficiens, secus si pa-  
 rum; licet semper materia sit  
 illicita per se loquendo; secus  
 si aliqua grauis vrgeat neces-  
 sitas celebrandi, & nullum es-  
 set scandalum, & alia non  
 haberetur materia &c.

Petes primo, an conueni-  
 entior sit panis azymus, an  
 fermentatus. Supponit hu-  
 ius dubij petitio, vtrunque  
 panem esse sufficientem, vt  
 habemus expressum in Licte-

ris Sanctæ vniõnis Ecclesiæ  
 Latinæ, & Græcæ in vltima  
 sess. Florentini Concilij, qui-  
 bus litteris tam ipsi Græco-  
 rum Episcopi, quam eorum  
 Imperator, cum latinis Patri-  
 bus subscripsere, vt ibi est vi-  
 dere: licet postea iterum re-  
 dierint ad vomitum Græci.  
 Qua propter vocant nos Græci  
 Azymitas: vnde scribit Iac-  
 obus Vitriacus in sua Orien-  
 tali historia cap. 75. & in Oc-  
 cidentali cap. 38. Græcos ab-  
 luere Altaria super quæ Lati-  
 ni consecrant Sacerdotes, nec  
 assurgunt quando Christi Do-  
 mini Corpus sub azymis spe-  
 ciebus ad ægrotos defer-  
 tur. Quod panis ferment-  
 atus sit sufficiens hoc volunt  
 Græci, quod autem etiam  
 azymus tenēt Catholici, quod  
 probant primo, quia panis  
 azymus est verus proprius-  
 que panis. Nam Leu. 7. iu-  
 betur vt in oblatione pro gra-  
 tiarum actione offerentur pa-  
 nes absque fermento, & Luc.  
 24. absolutè nominatur pa-  
 nis ille in cuius fractione per-  
 hibentur discipuli cognouisse  
 Christum Dominum, & tamē  
 non est dubium, quin panis  
 ille



ille fuerit azymus, cum illud factum contigerit sub Festum Paschæ quo tempore fermentato non utebantur Iudei. Secundo probant ex facto Christi Domini, qui in ipsa sacramenti huius institutione, pane azymo fuit usus. Hoc enim sacramentum, ut supra disp. præcedenti ostendimus, die prima azymorum instituit.

Ex quibus inferitur malè dicere nostri temporis hæreticos materiam Sacramenti Eucharistiæ esse adiaphoram, ita ut liceat uti utralibet ad Eucharistiam conficiendam, licet enim utraque materia sit sufficiens, tamen ex præcepto Ecclesiastico Ecclesia Latina debet uti azymo, & Græca fermentato, ita quod unaquæque Ecclesia suum sequi debeat morem, ut constat ex litteris unionis in Concilio Florentino. Solum ergò procedit petitio de maiori convenientia, an nimirum convenientior materia huius Sacramenti sit panis azymus, an fermentatus: Et dico cum D. Thoma hic ar. 4. consuetudinem Ecclesiæ Latinæ esse convenientiorem, Primò,

quia Ecclesiæ Latinæ usus est conformior facto Christi Domini. Secundo, quia per azymum Christi Domini puritas significatur 1. Cor. 5. per fermentum contrarium significatur iuxta illud Apostoli ad Galatas 5. *Modicum fermentum totam massam corrumpit.*

Potissimum Græcorum argumentum, quo solent insultare Latinis est, quia usus panis azymi erat cæremonia Iudaicæ; ergò Iudaizant Latini cum azymis utuntur.

Respondetur Latinos non uti pane azymo ut iudaizent, sed ut se conforment Domino, qui in azymo Sacramentum instituit; & ut per huiusmodi panem azymum infinita Christi Domini puritas, dignoscatur, & denotetur etiam qua conscientia puritate, & sinceritate debeamus ad hoc Sacramentum accedere.

Potes secundo, an possit contingere casus quo licitè Sacerdos Græcus possit consecrare in azymo, & latinus in fermentato? & respondeo affirmatiuè quando nimirum Sacerdos latinus commoratur apud Græcos, non ut peregrinus,



nus, sed vt incola, & è contra, tunc & potest, & tenetur celebrare in fermentato, quando Ecclesiam non habet latinam in qua Latinorum more celebrare possit, secus quando Sacerdos Latinus commoratur apud Græcos, non vt ibi habitet, sed alicuius negotij causa, inde postea reuersurus Ita habetur in citato Florentini Decreto. Nec valet, quod peregrinus teneatur seruare leges, & consuetudines loci in quo, & per quem transit, quia per tale decretum tali derogatur consuetudini. Dixi nisi habeat Ecclesiam in qua celebrare possit, quia vt docet communis Ecclesiæ praxis, vbi Græci permanenter habitant, & suam habent Ecclesiam proprio more ibi celebrare possunt, & è contra.

Ex quibus infertur neque ad communicandum infirmū posse Sacerdotem Latinum consecrare in fermentato, nec Græcum in azymo; neque pro audiendo sacro in die Festo; quia præcepta affirmatiua tam iuris Diuini quam humani, obligant tantum positis circumstantiis, loci, tem-

poris, personarum, &c. cum autem præcepta, & ritus quæ Sacramenta respiciunt postulent vt fiant modo ab Ecclesia præscripto, sequitur quod vt obseruentur illa, non debent ista infringi, præsertim cum in istis circumstantiis non obligent, vt patet.

Petes vltimo cuius figuræ esse debeat panis consecrandus, & dico, quod in Ecclesia Latina ex præcepto debet esse figuræ rotundæ; & in Ecclesia Græca figuræ quadratæ, licet vt notat Acudius, sit etiam vsus in aliquibus locis, vt sit figuræ triangularis. An autem Hostia debeat esse ex maioribus, vel etiam sufficiat per se loquendo celebrare cum parua Hostia, dico si priuatim Missa celebretur nullum esse inconueniens id facere, quando maior non habetur, cum nullum sit præceptum vtendi Hostia illa maiori; si vero esset dies Festus, ad tollendam populi admirationem, posset simul cum hostiola Sacerdos, eleuare hostiam magnam in sacrario repositam, & ab alio, vel à se prius præconsecratam quod notat Diana p. 5. tract.



13. resol. 80. & p. 6. tract. 7. resol. 13. Tambur. expedit. sacris. lib. 2. cap. 8. & alii. Vnde bene notat idem Tambur. debere Sacerdotem illam hostiam quam consecrauit sumere ideoque malè facere Parochum, qui renouaturus Eucharistiam, Hostiam ab alio consecratam ipse sumit, & à se consecratam in sacrario reponit, vel hierotheca; debet enim Sacerdos de suo sacrificio communicare. Sed non gravabor apponere hic dubiù de quo noviter fui interrogatus à quodam missionario, nimirum quanto tempore conservari possint hostiæ incorruptæ ut queant esse materia apta cõsecrationis, cum enim isti Missionarii maneant per longum tempus extra conuen-

tum, & extra loca ubi hostiæ conficiuntur, ideoque necesse sit illas secum asportare optimum erit scire quamdiu durare possunt per se loquendo absque corruptione.

Et dico quod si ab humiditate defendantur poterunt conservari per duos, & tres annos, experientia enim didici unam hostiam quæ duos superabat annos, nec erat mucida, nec acetosa, licet parum accesserit, quæ sunt communia magis corruptionis signa. Vnde Mediolani videntur cõmuniter hostiis Bergomi confectis, quæ pulcherrimæ sunt, & in capsis magnis, Mediolanum mittuntur, & antequam vendantur multum quandoque transit tempus, ut docet experientia.

### QVAESTIO III.

#### *Quale esse debeat Vinum consecrandum.*

**L**icet ex dictis quæstione prima huius disputationis solum vinum vitigineum possit esse huius Sacramenti

idonea materia, & sic quodlibet aliud vinum excludi debeat ut vinum pomorum, melogranatorum, & aliorum fructuum;



fructuum; tamen quia vinum vitis sub multis potest considerari statibus, præsentem excitamus quæstionem, vt sub quo statu sit idonea materia videamus.

Pro quo nata vinum vitis sub 6. statibus posse considerari. Primus quando ex vucis acerbis exprimitur, & agresta, seu vmpfacium vocatur. Secundus vt continetur in vuis iam quidem maturis nondum tamen expressum, & vocatur botrus, seu racemus. Tertius quando est recenter expressum, suis adhuc mixturæ facibus, & aliqua substantia solida, & vocatur mustum. Quartus quando est decoctum, & vocatur defrutum. Quintus quando est frigore congelatum. Sextus quando iam est acetosum. Quorum omnium intellectum dabunt sequentes conclusiones.

Prima conclusio. Agresta, in vuis vinum adhuc contentum, vinum perfectè acetosum, vinum perfectè decoctum, nullo modo potest esse huius Sacramenti Materia. Hanc conclusionem tenent omnes Theologi cum D. Thoma

hac quæstione art. 5; & ratio communis est quia licet fortè Agresta, vinum in vuis contentum, acerum, & decoctum sint essentialiter vinum, non tamen sunt vinum vsuale, quo vti solent communiter homines in conuiujs. Si tamen vinum non sit perfectè acetosum, sed solum acefcat, potest esse materia sufficiens, docet Missale Romanum in Rubricis cap. de defectibus num. 4. & ratio est quia tunc non solum est essentialiter vinum, sed etiam retinet aliquam rationem, & conditionem potus communis; notat tamen D. Thomas, & cum eo omnes, grauer peccare eum qui sciens, & volens consecrat in Vino notabiliter acefcente, ob indecentiam, & irreuerentiam quam huic infert Sacramento, secus esset si Vinum non notabiliter, sed leuiter acefceret. Idem dicendum est de Vino non perfectè decocto, illud enim, & est essentialiter Vinum, & conditionem communis potus retinet, & sic videmus multos, tempore hyemali, vti Vino leuiter calefacto, & etiam leuiter deco-



decocto, & in aliquibus locis mos est vinum media aliqua decoctione conseruare. Item id ipsum dici debet de vino limphato, seu aqua mixto; si enim aquæ copia adeo magna sit, quod vinum excedat, ita quod nec saluetur essentia vini, nec communis conditio potus, huius Sacramenti materia non erit, secus si oppositum contingat.

Secunda conclusio. Mustum, seu vinum recens suis adhuc permixtum fæcibus, potest esse huius Sacramenti materia. Ita omnes Theologi cum D. Thoma, & colligitur ex Rubricis citatis quatenus dicitur, *si vinum sit expressum ex vuis non maturis non conficitur Sacramentum*: ergò à contrario sensu si sic expressum ex vuis maturis sufficiens erit. Cuius rei ratio est, quia mustum & est essentialiter vinum, & habet rationem, & conditionem potus, mustum namque comedi non dicitur, sed bibi. Vnde in capite didicimus, & in cap. cum omne crimen, de consecratione dist. 2. dicitur, quod si necessitas celebrandi urgeat, potest ac-

cipi botrus, & comprimi in Calice: sine necessitate tamen peccatum mortale est, vt dicitur in Rubricis Missalis.

Sed petes, an quando consecratio fit in musto, fæces admixtæ consecrentur, an solum mustum. Sunt de hac re duæ sententiæ, prima est Alani lib. 1. de Eucha. capit. 11 quod fæces permixtæ cum musto simul cum eo consecrantur, secus si iam aliquo modo in Calicis fundo separatæ reperiantur. Secunda & melior videtur sententia Gab. quod ille fæces etiam si permixtæ sint, nullo modo in Sanguinem conuerti possint. Cuius resolutionis duplex est ratio. Prima est, quia materia consecrationis Sanguinis, vt quæst. prima huius disput. docuimus, est solum vinum vitis essentialiter tale; Atqui ille fæces non sunt huiusmodi; ergò non possunt esse materia sufficiens; tum quia si semel fæces prout sunt vino permixtæ sunt materia sufficiens consecrationis Calicis, etiam quando sunt separatæ in fundo eiusdem Calicis, materia sufficiens essent quod ne-



gat Alanus . Secunda ratio, quia materia de se insufficiens ad aliquod Sacramentum conficiendum, non fit sufficiens ex eo quod cum sufficienti materia misceatur; ergò cum fæces multi sint de se materia insufficiens ad Sanguinem consecrandum, etiam si cum sufficienti misceantur materia, non fient aptæ consecrationi .

Tertia conclusio, vinum siue fortiter, siue leuiter congelatum est materia sufficiens consecrandi Calicis . Ita tenent communiter expositores D. Thomæ hic Soto in 4 dist. 9. art. 5. Syluester V. Eucha. 2. quæst. 10. num. 15. Lugo hic disp. 4. sect. 1. num. 13. & alij.

Probat̃ur conclusio ex Rubricis Missalis Romani incipi . de defectibus tempore Missæ occurrentibus, vbi præcipitur: *ut si Sanguis congelatur in Calice, Calix inuoluatur pannis calidis, ut postea liquesfactus sumatur.* Ex quo loco sic possumus sequentem formare rationem . Illa est materia sufficiens consecrandi Calicis, sub cuius acciden-

tibus Sanguis Christi Domini manet; atqui sub accidentibus vini congelati Sanguis Christi Domini manet, vt docet Rubrica illa; ergò vinum congelatum est materia sufficiens consecrandi Calicis. Maior videtur certa, eadem namque materia, quæ est sufficiens ad conseruari, etiam ad fieri videtur sufficiens; ergò cum species congelatæ sint materia sufficiens ad conseruandum Sanguinem consecratum, erunt etiam sufficiens ad hoc vt idem Sanguis primo ponatur .

Confirmatur primo, quia vinum congelatum est essentialiter vinum, habet eadem vini accidentia, quæ manent post consecrationem, habet quod possit esse signum sensibile ad significandum animæ potum spiritualem, sicut hoc habet post consecrationem; si enim semel ante consecrationem illa accidentia non essent sufficienter significatiua spiritualis animæ potus, nec post consecrationem essent, & sic per congelationem desineret esse Sanguis Christi Domini sub illis speciebus,



bus, cum desineret formalissima ratio Sacramenti, quæ est significationis ratio.

Confirmatur secundo, quia vinum congelatum est secundum se potabile, licet per accidens impediatur; ergo est materia sufficiens ad dictam consecrationem. Antecedens patet: consequentia probatur, quia ita se habet congelatio in vino, ac durities in pane, sicut enim congelatio vini impedit potationem; & durities panis actualem comestionem; sed durities, nec tollit rationem comestibilis, nec facit quominus panis non possit esse materia consecrationis; ergo neque durities vini per congelationem non tollet à vino rationem potabilis, nec impedit quominus non possit esse materia consecrationis. Adde cum Lugo loco citato quod vinum congelatum licet non sit potus liquidus, quia non est potus facilis, est tamen simpliciter potus, cum possit simpliciter potari si dissolvatur, vel panis calefactis, vel ipso calore oris. Unde vinum congelatum deglutitum non soluit ie-

onium cum sit absolute potus, & possit sic deglutitum dici absolute potatum. Nonne nuges sunt absolute cibus licet manducari non possint nisi fragantur? ita vinum congelatum est absolute potus, etiam si potari non possit nisi liquefiat. Tum etiam quia si vinum congelatum ut sic deglutatur, adhuc præstat effectus potus, refrigerando, confortando, lætificando &c.

Sed argunt contra nostram conclusionem Nugnus, & alij quibus opposita magis placet sententia: Vinum quod est materia Calicis debet esse ex Christi Domini institutione potabile; non sic est vinum congelatum; ergo &c. quod si dicas esse potabile secundum se, impediri tamen ab extrinseco argunt: vinum in vasa matura inclusum, est potabile secundum se, & sensibile, & essentialiter vinum, & tamen non est materia consecrabilis pro eo statu, ut conclusione prima docuimus, & docent omnes. Similiter massa riticea cruda est essentialiter panis secundum se comestibilis, sensibilis, & sufficienter



significatiua gratiæ dandæ per modum cibi, & tamen non est materia consecrabilis. Itē aqua congelata est essentialiter aqua naturalis, sensibilis, &c. & tamen non est materia sufficiens Baptismi; ergo neque vinum congelatum, &c.

Respondetur distinguendo maiorem, vinum quod est materia consecrationis Calicis debet esse potabile secundum suam essentiam metaphysicè consideratam tantum, nego maiorem, metaphysicè, & moraliter simul, concedo maiorem; deinde neganda est minor, & consequentia. Ad probationem de vino in vuis maturis incluso, respondeo sub eadem distinctione, est potabile, & sensibile metaphysicè & conceditur; moraliter, & negatur; eodem modo dicitur de massa triticea cruda: est comestibilis metaphysicè conceditur, moraliter negatur. Pro quo nota dupliciter posse aliquam rem esse potabilem, vel comestibilem, vel sensibilem metaphysicè, & moraliter, tunc res est metaphysicè potabilis, comestibilis, sensi-

bilis, quando secundum suam essentiam est talis, præciso quo cunque statu, eo quod ad hoc ut fiat potabilis, comestibilis, sensibilis, nihil ex parte essentia superaddi debet ad hoc ut fiat potabilis, comestibilis, sensibilis; sed solum status, vel quædam accidentia mutari debent: quomodo vinum inuis inclusum est potabile, & sensibile, quia ad hoc ut fiat actu potabile, & sensibile nihil ex parte essentia se tenens superaddi debet, per quod fiat potabile, & sensibile; ut patet. Idem dicendum de massa triticea cruda, est enim essentialiter, & metaphysicè comestibilis, & sensibilis, ut patet; & ut fiat actu comestibilis per modum panis, nihil ut suppono, ex parte essentia se tenens superaddi debet, per quod fiat illa massa, per modum panis, comestibilis; sed solum virtute caloris introduci debet aliquod accidens, verbigratia siccitas, & aliqua durities &c. Tunc autem res aliqua est potabilis, comestibilis, sensibilis moraliter, quando est talis modo humano, nempe secundum modum lo-

quen-



quendi, & iudicandi hominū, ita quod illa res non solum secundum suam essentiam metaphysicè consideratam, verum etiam secundum statum quem habet communi hominum iudicio illa res dicatur talis, licet per aliquod extrinsecam impediatur ne actu, & in exercitio sit talis; ita quod res illa sub tali impedimento non dicatur moraliter transire ad aliam speciem, sed sub eadem specie manere. Vinū ergò in vis matura inclusum est quidem potabile primo modo, non secundo, quia secundum commune hominum iudicium, & secundum communem loquendi modum, qui vvas comedit maturas, non dicitur bibere, sed manducare; qui vero vinum deglutit congelatum, bibere, non comedere dicitur; vnde moraliter loquendo, humor in vis inclusum dicitur transire in aliam speciem dum comprimitur: non sic vinum congelatum dum liquefit; vnde vinum congelatum absolutè vinum dicitur; vinum vero in vis inclusum non vinum, sed humor vocatur, rationem ci-

bi non potus habens. Eodem modo dicitur de massa triticea cruda; nam etiam si non differat metaphysicè à pane, moraliter tamen censetur specie diuersa.

Ex qua Doctrina colligitur non benè Cardinalem de Lugo reicere datam disparitatem inter vinum congelatum, & in vis contentum; nec ratio quam ille adducit ad probandum vinum in vis contentum non esse materiam consecrabilem, placet; dicit enim rationem esse, quia vinum pro eo statu non potest sufficienter designari per pronomen *Hic*, quia illud pronomen debet significare substantiam cuius externa accidentia sint sensibilia, in casu vero præsentis externa accidentia non sunt vini, sed vvas. Non inquam hæc ratio placet, quia ex illa sequeretur, quod vinum in Calice coopertum non posset consecrari. Tam quia est contra id quod infra docet ille nimirum disput. 4. sect. 7. nu. 123. vbi habet: Tertio certum est, materiam in aliquo continere inclusam posse sufficienter demonstrari per illud



Iud *Hoc*, ut vinum in Calice cooperto, vel Hostias in capsulas inclusas: quia iuxta communem loquendi modum sufficienter demonstratur contentum per proximum continens. At vero si panis existeret in alio cubiculo, non sufficienter ostenderetur per *Ly hoc*, vnde Hostia existens in sacrario clauso, valde dubium est, an possit consecrari, hæc Lugo, & ut vides loqui videtur contra se ipsum.

Ad illud quod de aqua congelata afferebatur. Respondetur cum Lugo discrimen esse, quod baptismus cum consistat in usu, non solum requirit aquam, verum etiam ablutionem, ad quam deferuire non potest aqua congelata: At vero Eucharistia cum non consistat in usu, sed in esse permanenti etiam in vino congelato dari potest, cum vinum congelatum sit simpliciter vinum.

Sed quæret primo aliquis an peccaret mortaliter, qui scienter in vino congelato consecraret. Vasquez, & alij negatiuè respondent, si id præsertim contingeret in regio-

nibus septentrionalibus, & valde frigidis, cum de hac re nullum in contrarium extet præceptum: quæ sententia probabilis est. Verius tamen videtur peccare mortaliter, non ratione præcepti, vel consuetudinis consecrandi in liquido; sed quia non licet conficere Sacramentum non necessitatis, in materia satis dubia; facilius admitterem sententiam Vasquez si aliqua grauis celebrandi necessitas daretur, & vinum non posset regelari faciliter, ob ignis defectum, vel si vinum congelaretur in Altari, nec posset id faciliter regelari pannis calefactis, cum non esset huius commoditas, nec posset id faciliter fieri halitu, vel manu calore &c.

Quæret secundo aliquis, an succus ex vuis passis elicited sit materia consecrabilis. Respondedo cum Amico quem refert, & sequitur Diana par. 7 tract. 12. resol. 8. affirmatiuè. Primo, quia in eo consecrare dicuntur Ægyptij, ut testatur Amicus. Secundo quia Italis succus est vinum, eoque perfectius quo est ab aqueo humore



more purgatus. Tertio quia vt testatur Diana se accepisse à vi-is fide dignis, licet vuæ passæ intra aquam ponantur, optimum ex illis elicitur vinû, quod inebriare potest. Vnde quidam sequentem fecit experientiam posuit vuam siccam intra aquam valde calidam, & statim extraxit ex cu-

ius aquæ calore excitatus fuit humor, seû succus intra folliculos eiusdem vuæ re-pertus, qui paulatim inflati optimum distillarunt vinum. Quia tamen non est certum humorem ex siccis vuis expressum esse verum vinum, propterea licet sit materia sufficiens, non tamen licita.

## QVAESTIO IV.

*An Aqua sit Vino consecrando permiscendo, & quo Iure Diuino ne, an humano.*

**Q**uoad primam difficultatem in quæstionis titulo propositam, an nimirû aqua sit vino consecrando miscenda, varij fuere prisorum errores hæreticorum, nam Ebionitæ, vt Diuus refert Epi-phanus hæresi 30. & Tatiani apud eundem hæresi 46 & A-quarij apud D. Augustinum lib. de hæresibus cap. 64. cuiusdam sobrietatis prætextu solam aquam in Calice offerendam volebant. Per oppositum

Armeni vt PP. Trullani Cõc. affirmant can. 32. solum vinum offerendum tenebant. Nostri temporis hæretici Lutherani, & Calvinistæ Armeni imitantur, cum & ipsi velint vinum absque aqua esse consecrandum, & solum admitti posse in Prouincijs calidis aquæ mixtionem, vt Patriæ vsus seruetur.

Veritas Catholica sequenti explicatur conclusione. Calicis consecratio fieri debet in vino



vino aqua mixto . Hæc conclusio est de fide, definita primo in Concilio Carthaginensi 3. cap. 24. cui Diuus interfuit Augustinus . Secundo in Concilio Florentino in Decreto Eugenii . Et demum in Sacrosancta Tridentina Synodo sess. 22. can. 9. vbi dicitur *Si quis dixerit aquam non miscendam esse vino in Calice offerendo, & quod sit contra Christi institutionem; anathema sit* . Id ipsum docent innumeri Sancti Patres ex omnibus mundi partibus præsertim ex septentrionalibus quos longa manu refert Belarm. lib. 4. cap. 10.

Prima, & potissima ratio est, quia Christus Dominus quando hoc Diuinissimum instituit Sacramentum id fecit, vt D. tradit Iacobus Frater Domini, & D. Marcus Euangelista in suis Liturgiis . Clemens Romanus lib. 8. cōstit. cap. 17. docet Eugenius in suo Decreto, & Tridentinum mox citatum.

Secunda ratio desumitur ex huius mixtionis significatione, significat namque ex Christi Domini latere aquam

& Sanguinem fluxisse, vt colligitur ex Inno. Ill. cap. cum *Martha* de celebratione Missarum, & cap. in *quadam nostra*, vbi dicitur quod si aqua ex Christi Domini latere non exisset non posset hac ratione probari, mixtionem hanc esse faciendam . Significat similiter hæc aquæ cum vino mixtionem Populi Christiani cum Christo Domino; nam per vinum Christus Dominus denotatur; per aquam Populus . Item significat duplicem Christi Domini naturam, Diuinam scilicet, & humanam .

Sed obiiciunt nobis primo hæretici, quia aquæ cum vino mixtio pessimam habet in scriptura significationem, nimirum cordis duplicitatem, vt docet D. Hieronymus explicans illud Isa. 1. *Vinum tuum mixtum est aqua*; ergo illa mixtio aliquid boni significare non potest . Respondetur namque in Sacra Scriptura vnâ, & eandem rem secundum diuersas quas habet considerationes, bonam modo, modo malâ habere significationem, vt patet de Leone, qui secundum, quod considera-

tur



tur ratione fortitudinis, bonam habet significationem; vt patet Apocal. 5. vbi ob hoc Christus Dominus Leoni cōparatur. Secundum vero, quod consideratur ratione crudelitatis, malam habet significationem, & ob id diabolus Leoni comparatur, 1. Patri 5. Ita aquæ cum vino mixtio, si consideretur in vendentibus illud, pessimam habet significationem, cum puritatis notet corruptionem. Si vero illa mixtio consideretur respectu bibentium, bonam habere potest significationem.

Obijciunt secūdo D. Chryso-  
stomi auctoritatem, qui ho.  
83. in Matth. ita fatur: *Christum Dominum post Resurrectionem bibisse vinum, & non aquam, vt improbam, heresim extirparet, & doceret in vino esse consecrandum.* Respondetur hanc Chryso-  
stomi auctoritatem à Trullana Synodo explicari can. 32. quod videlicet Chryso-  
stomi mens fuerit Domini Calicis consecrationem non esse faciendam in sola aqua vt volebāt Aq-  
uarij, contra quos ibi disputat Chryso-  
stomus.

Secunda difficultas in quæ-  
stionis titulo proposita, sup-  
ponit contra quosdam apud  
Sanctum Bernardum epist. 69.  
ad Guidonem, aquæ mixtio-  
nem non esse de essentia Cali-  
cis Domini consecrandi, cu-  
ius rei ratio est, quia illud est  
de essentia Calicis consecran-  
di quod primo, & per se ver-  
ba formæ significant; sed ver-  
ba formæ Calicis consecrandi  
primo, & per se solum vinum,  
non aquam significant; ergò  
non aqua, sed vinum, est hu-  
ius Sacramenti cōsecrandi ma-  
teria. Minor probatur, nam  
verba formæ significant illud  
primo, & per se tanquam ma-  
teriam cui primo, & per se  
conuenit significare Sangui-  
nem, hoc autem non aqua,  
sed vinum est, &c. Vnde licet  
Christus Dominus consecra-  
uerit in vino aqua mixto, non  
propterea voluit tam vinum,  
quã aquã esse partes essẽiales  
consecrationis Calicis, sed so-  
lum voluit vinum esse partem  
essentialem, aquam vero dum  
taxat accidentalem; non enim  
omnia quæ fecit Christus Do-  
minus in Sacramentorum in-  
stitutionibus essentialia sunt;



sed aliqua etiam accidentalialia; cuius rei apta ratio est ad casum nostrum, quia Christus Dominus hoc Sacramentum instituit per modum cibi, & potus, per analogiam, ad perfectum, sed corporale conuiuium, ideo eam tantum materiam esse essentialem huic conuiuium voluit, quæ perfecto conuiuium est essentialis; & quæ conuiuium corporali est accidentalialis, etiam huic conuiuium esset accidentalialis; Atqui corporali conuiuium vinum essentialialia est; aqua accidentalialis, ergo &c. hoc supposito disquiritur an talis aquæ cum vino mixtio sit de præcepto Diuino, an humano: Concedunt omnes præceptum humanum quod exprimit Tridentinum mox citandum, significauit Alex. I. Julius I. Eugenius IV & Concilium Trullanum can. 32. disputant de Diuino, vnde duæ sūt extremæ sententiæ.

Prima sententia est mixtionem aquæ cum vino esse de præcepto Diuino. Hanc sententiam post Canum, Sotum, & alios tenet Valentia hic, & alii moderni.

Nostra sententia sequenti

explicatur conclusione. Mixtio aquæ cum vino consecrando non est de præcepto Diuino, sed dumtaxat Ecclesiastico. Hæc conclusio est conformis Doctrinæ D. Thomæ, ideoque illam sequuntur omnes eiusdem Angelici magis expositores hic art. 6. videatur Nugnus, Suarez, Vasquez, Coninchus, & alii. Hanc conclusionem indicauit Alexand. I. Epist. 1. capit. 4. dum affirmat se huiusmodi præceptum à Patribus accepisse. Eugenius in suo Decreto, dum Armenos aquam vino non miscentes solum reprehendit, quia ab vniuersalis Ecclesiæ obseruantia discrepent, non quia Diuinum transgrediantur præceptum. Et Concilium Tridentinum, sess. 22. cap. 7. dum ait: *Monet Sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam in Calice offerendo misceant.* Et in Cōcilio Trullano dicitur can. 32. *Si quis Presbyter non secundum traditum ab Apostolis ordinem facit, & aquam vino non miscens sic immaculatum offert sacrificium, deponatur.*



Probatur ratione, quia Christus Dominus sola Sacramentorum essentialia præcepit, cetera Ecclesiæ dispositioni relinquendo, ut patet per discursum singulorum Sacramentorum, & significat Tridentinum sess. 21. cap. 2. Sed aquæ admixtio nõ est aliquid essentialiale Calici consecrando, sed accidentale dumtaxat, & cæremoniale ad mysticas quasdam repræsentandas significaciones, de quibus supra; ergò Christus Dominus talem non præcepit mixtionem, sed Ecclesiæ dispositioni reliquit; nec enim est conueniẽs quod Summus Princeps omnia præcipiat, sed solum grauiora, leuiora relinquendo iudicibus inferioribus. Vnde licet Christus Dominus aquam vino miscuerit consecrando, cum tamen quid essentialiale non sit, sed cæremoniale, de ea mixtione præceptũ nõ habuit, sed Ecclesiæ dispositioni reseruauit.

Sed quæres primo, an sit de fide Christum Dominum in Calice consecrando aquam vino miscuisse, vel in vino lyra phato consecrasse. Aliqui respondent affirmatiuè, quorum

præcipuum fundamentum est Tridentinum sess. 22. cap. 7. vbi dicitur: *Christum Dominum credi miscuisse aquam vino in Calice offerendo*. Et Eugenius dicit: *id esse iuxta testimonia Sanctorum PP.* melius tamen respondent alij negatiuè, & est aperta D. Thomæ sententia art. 6. huius quæstionis 74. vbi dicit: *id probabiliter dici*: quod autem probabiliter creditur, non est formalissimè de fide. Vnde durandus in 4. dist. 9. quæst. 5. dicit esse incertum an Christus Dominus hanc fecerit mixtionem. & N. Vualdensis tom. 3. de Sacramentalibus cap. 32. Christum Dominum contendit in solo vino consecrasse. Nec Tridentinum aliquid definit, nec Eugenius, sed solum tradunt talis rationem institutionis.

Quæres Secundò, an omisio mixtionis aquæ cum vino consecrando sit peccatũ mortale, an veniale. Lutherani, & Calvinistæ dicunt nullum esse peccatũ; Catholici verò volunt esse peccatum mortale; quod colligunt ex supra citato capite Concilii Trullani, vbi Sa-



cerdos, qui tolem omittit mixtionem, deponi iubetur. Hoc idem statuitur in cap. finali de celebratione Missarum. Vnde Catechismus Romanus ca. 4 §. 17. clare dicit esse talem omissionem mortalem; Cum sit contra Ecclesiæ præceptum & totius vniuersalis Ecclesiæ consuetudinem. Excusabitur tamen Sacerdos à mortali talem omittens mixtionem, si per obliuionem, vel ignorantiam, vel negligentiam, illam omittat. Vnde non rectè dicunt aliqui talem mixtionem esse solum cæremoniam quandam indifferentem, vel leuem solum ad veniale obligantem, fauent enim isti nostri temporis hæreticis.

Quæres tertio in qua quantitate aqua debet poni in Calice, quando debeat apponi, & à quo. & respondeo in modica quantitate ex Eugenii Decreto, & ex cap. *Perniciosus error*, de celebratione Missarum. Pauca namque quantitas sufficiens est ad mysticarum significationum expressionem, per excessum vini significatur meritorum Christi Domini excessus, supra

peccata nostra, significatur excessus dignitatis Christi supra nostram naturam. Quam rationem tetigit Concilium Triburense cap. 19. quando statuit: *Duas partes vini, & tertiam aquæ esse adhibendam in consecrando Calice*; determinatur autè hic tertia aquæ pars, non tanquam quantitas adhibenda, sed tanquam quantitas quam non licet excedere Vnde si Sacerdos in Vino saltem generoso tertiam aquæ partem poneret, non esset arguendus; melius tamen est minorem ponere aquæ quantitatem; & quælibet gutta quæ sensibiliter à suo toto diuidi potest, est sufficiens. Debet autem aqua poni in vino ante consecrationem vt colligunt PP. ex facto Christi Domini, qui propterea dicitur in vino aqua mixto consecrasse; aqua autem poni debeat ante offeritorium vt mos est Ecclesiæ Romanæ, vel in Missæ principio, vt mos est aliquarum Religionum, dico vnumquemque suæ Ecclesiæ morem seruare debere. Vnde si hæc mixtio facta fuisset ante Missam, vel domi, vel in dolio, nihil facit,



facit, in Missa adhuc fieri deberet. Debet autem hæc mixtio fieri ab ipso Sacerdote

in Missis priuatis, in solemnibus vero à Subdiacono, vt Missalis Rubricæ præscribunt.

## QVAESTIO V.

*An ad hoc vt aqua conuertatur in Sanguinem  
debeat prius conuerti in  
Vinum.*

Conueniunt Theologi aquam in Calice positam non conuerti in illam aquam quæ de Christi Domini latere exiuit, vt senserunt quidam quos refert, & damnat Inno. III. in cap. *cum Martha*. de celebratione Missarum; neque conuerti in humorem aquæ, seù aquiticum, vel phlegmaticum, vt senserunt alii cum Glossa in cap. *in quadam nostra* 8. de celebratione Missarum. Hæ namque sententiæ ab omnibus vt falsæ, vt absurdæ, vt erroneæ reiciuntur: prima quidem quia tenet contra sensum formæ, contra communem loquendi modum Sanctorum Patrum, & Conciliorum. vt colligitur ex illo cap.

*cum Martha*, & alibi. Secunda etiam falsa, vana, absurda, & erronea est, & vt tale illam damnat Inno. cap. *in quadam nostra*, quia ex Christi Domini latere vera exiuit aqua non humor, vt D. testatur Ioan. 19. & continuo exiuit sanguis, & aqua.

Conueniunt etiam Theologi communiter aquam in Calice positam in Sanguinem conuerti, vt D. docet Damascenus 4. de fide cap. 14. Algerus lib. 1. de Sacramento Corporis Domini cap. 16. Pascha. lib. 1. de Corpore Christi cap. 11. Rabanus lib. de Corpore, & Sanguine Christi cap. 4. Ambrosius lib. 4. de Sacram. cap. 4. & alii plures: ideo



ideoque idem Innoc. citato cap. *cum Martha*, oppositum damnat.

Conueniunt tandem magis communiter Theologia quam in modica quantitate posse in vinum à quo, & quantitate, & viribus superatur conuerti, quia vt ait Aristoteles 1. de Generatione capit. 1. quod paruum est, & facile diuidi potest, & ab alio magno pati potest, facile potest in magni naturam conuerti, cuius exemplum dat Aristoteles quando scilicet gutta vini, infunditur magnæ copię aquæ; cum autè in nostro casu aqua quæ vino consecrando miscetur possit, & debeat in modica esse quantitate, vini comparatione, ita vt facile in minutissimas diuidi possit partes, & etiam à vini calore, & ab alijs eiusdem vini qualitatibus pati possit, in vinum conuerti poterit. Id ergò de quo præsens currit difficultas est, an necesse sit ad hoc vt aqua in Sanguinem conuertatur, quod prius fuerit in vinum conuersa, ita quod non nisi mediata aqua in Sanguinem conuertatur; & si consecrationis

tempore nondum in vinum conuersa fuit in Sanguinem non conuertatur, sed in sua maneat specie. Sunt de hac re duæ sententiæ.

Prima sententia est, quod si aqua non fuit consecrationis tempore in vinum conuersa, vel ob temporis breuitatē, vel ob vini debilitatem, immediate conuertetur in Sanguinem. Hanc sententiam tenet Card. de Lugo hic disput. 4. sect. 2. nu. 45. vbi dicit quod licet opposita sententia multorum sit, re tamen diu pensata, hæc sibi sententia semper visa est probabilior, & quod illam docent ex recentioribus Theologis non pauci, nec ignobiles.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Aqua non conuertitur in Sanguinē, nisi prius conuertatur in vinum, ita quod si detur casus, quod tempore consecrationis aqua nondū sit in vinum conuersa, non conuertetur in Sanguinem. Hæc est expressa D. Thomæ sententia art. 8. huius quæstionis 74. vbi postquā ex Inno. III. retulit illorum opinionem qui dicebant aquā  
mane.



manere post consecrationem, vel conuerti in aquam quæ de Christi Domini latere exiuit, subiungit sententiam Innocentii, & suam, dicens. *Et ideo sicut ipse dicit aliorum opinio probabilior est, qui dicunt aquam conuerti in vinum, & vinum in Sanguinem: & ideo semper tutius est parum de aqua apponere, & præcipuè si vinum sit debile, &c.* In quibus verbis duplex habemus testimonium Innocentij, & D. Thomæ. Vnde patet non benè Lugo velle Innocentium pro sua latere sententia. D. Thomam sequuntur omnes Thomistæ, & communiter extranei, vnde non est necesse quemquam in particulari referre.

Probatum primo Sacrosancti Concilij Tridentini auctoritate, nam sess. 13. cap. 3 habet: *Statim post consecrationem verum Domini nostri Corpus, verumque eius Sanguinem, sub Panis, & Vini specie vna cum ipsius anima, & diuinitate existere: sed Corpus quidem sub specie Panis, & Sanguinem sub Vini specie, ex vi verborum, &c.* & cap. sequenti habet. *Dicalerat San-*

*Et Synodus per consecrationem Panis, & Vini, conuersionem fieri totius substantiæ panis in substantiam Corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam Sanguinis eius &c.* & can. 2. dicit: *Si quis dixerit in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam Panis, & Vini vna cum Corpore, & Sanguine Domini nostri &c. anathema sit.* Vbi vt vides Concilium perpetuum est in hoc, quod huius Sacramenti materia sub qua Sanguis Christi Domini ponitur, est solum vinum; si autem aqua immediate in Sanguinem conuerteretur, certè huius debuisset Concilium aliquam mentionem facere.

Ad hoc argumentum respondet Lugo vbi supra num. 63. dupliciter. Primò hoc argumentum nihil concludere cum sit negatiuum, ad intentum enim Concilii satis erat substantiam vini conuerti in Sanguinem Christi præscindendo pro tunc à substantia aquæ, de qua non erat controuersia cum hæreticis. Secundò respondet, quod vini nomi-



nomine veniunt ea quæ concurrunt ad componendū vinum vsuale, nempe vinum merum, & modica aqua, illud quippe compositum est propriè vinum vsuale: quod exemplo panis explicat; quia panis ex farina triticea non benè purgata, nempe quæ habeat aliquas furfuris partes cum sit panis vsualis est sufficiens huius Sacramenti materia, ita quod Christi Domini Corpus etiam sub furfuris partibus reponatur.

Sed neutra solutio placet, non quidem prima; nam licet argumentum sit negatiuum maximam tamen habet vim contra Card. de Lugo, & alios suæ sententiæ sequaces. Cum enim simus in materia adeo graui si semel aqua immediate transubstantiaretur in Sanguinem Christi Domini, debuisset Concilium aliquam de hoc facere mentionem: si enim Concilium fecit mentionem mixtionis aquæ dicendo illam esse ex Ecclesiæ institutione, cum tamen hoc sit leuioris momenti, quare non debuit mentionem facere de illo priori, cum valde maioris momē

ti sit. Tum quia Concilii mens melius longè debuit patere illis Patribus, & Theologis qui Catechismum Tridentini edidere, quā pateat Cardinali de Lugo; Atqui illi docent aquam debere prius conuertere in vinum, quam conuertatur in Sanguinem; ergo &c. Minor patet ex eodem Catechismo cap. 4. §. 17. vbi reddens rationem quare aqua in modica poni debeat quantitate in Calice dicit: *Nam Ecclesiasticorum Scriptorum sententia, & iudicio aqua illa in vinum conuertitur.* Idem habetur in Sacerdotali Romano prima parte tract. 10. cap. 2. *Aqua quæ in Calice vino admiscetur, debet esse in modica quantitate, quia eam in vinum conuertere oportet.*

Neque secunda placet solutio; nam dum dicit vinum aqua mixtum esse vinum absolutè, & simpliciter, scilicet esse vinum vsuale; v. e. per vinum vsuale intelligit vinum quod est absolutè, & simpliciter vinum secundū omnes suas partes, & hoc non, cum aqua non dum in vinum conuersa, quæ per illum auctorem est pars vini



vini vsualis non sit vinum, sed aqua: vel certè per vinum, vsuale intelligit non vinum, sed quod dam aggregatum ex vino, & aqua quod aggregatum est communis hominum temperatè viuientium potus, & hoc non est ad rem, nec potest esse huius Sacramenti materia, alioqui si loco aquæ naturalis poneretur alius liquor, verbigratia ceruisia vt est vsus in aliquibus regionibus septentrionalibus cum ibi tale vinum sit vsuale esset materia sufficiens Calicis consecrandi, quod nemo dicet. Nec exemplum illud à Lugo adductum illi fauet, quia cum furfur non sit materia apta ad conficiendum panem humanum, sed caninum, sed equinum, sed asinum, sed animalium, etiam si in modica quantitate furfur, sub fufuris forma in pane reperiatur non erit materia sufficiens consecrationis, sicuti non est talis festuca, vel aliquid simile in pane reperto, præsertim cum facile discerni hæc possint à vera panis triticei substantia; dixi si furfur sub fufuris forma reperiatur, nam si per mo-

lam fuit benè contritum, ita quod illa modica farina fufurea absumatur à maiori quã titatæ farinæ triticeæ, materia illa sufficiens erit pro panis consecratione, vt aduertit D. Thomas art. 3. huius quæstionis ad tertium in casu quo aliquid farinæ hordeacæ cum farina triticea misceretur, si autem totaliter non absumeretur, ita quod facile à farina triticea separari posset, & pars illa panis fufuris, vel hordei à pane triticeo separari posset nullo modo posset esse materia consecrationis panis. Cum autem aqua vino mixta, vt testatur Coninchus hic dub. vnic. num. 168. semper faciliter possit à vino separari, & nunquam taliter misceatur quod talis fieri non possit separatio, sequitur quod nullo modo Calicis materia esse possit nisi à vino absumatur, quod non nisi per conuersionem in illud fieri potest: per quæ euanescent ea quæ à Lugo contra nostram sententiã ex D. Thoma obiicit, num. 68.

Probatum secundo conclusio ex Concilio Carthaginensi tertio can. 24. vbi dicitur:

E c Ne



Ne amplius in sacrificijs offeratur, quam de uuis, & frumento. Et post pauca, Ad gran de peccatum pertinet Prasbytero illi quicumque aliud poculum extra vinum in consecratione Sanguinis Christi offerre præsumpserit. Vnde quando in verbis antecedentibus docet idem Concilium vinum in Calice offerendum debere esse aqua mixtum, loquitur de materia Calicis ante consecrationem præparanda, non de materia immediate consecranda. Non affero Innocentii III. definitionem in capit. cum *Mârtha S. quæsiuisti etiam*; quia iam Innocentij mentem habemus ex D. Thomæ testimonio supra relato.

Probatum tertio Sanctorum PP. testimonijs, qui dum loquuntur de Calice consecrando vtuntur termino excludente aquam, includente vinum. S. Hieronym. Epist. ad Eua-grium habet: *Melchisedech pane, & vino simplici puroque sacrificio Christi dedicauit Sacramentum*. Et lib. 2. contra Iouinianum loquens de Calice per Christum consecrato dicit: *In typo Sanguinis sui non*

*obtulit aquam, sed vinum*. Sic loquitur Sanctus Ambrosius lib. 5. de Sacram. cap. 1. sic loquitur D. Augustinus lib. 3. de Trinitate cap. 4. dum dicit: *Corpus Christi, & Sanguinem dicimus illud tantum, quod de fructibus terræ acceptum, & prece mystica consecratum ritè sumimus ad salutem spiritualem in memoriam pro nobis Dominicæ passionis*. Sic loquuntur cõmuniter alii Patres quos breuitatis gratia relinquo. Ex quibus omnibus testimonijs sequentem formemus rationem.

Prima ratio. Illa est materia consecrandi Calicis inquam ex Christi Domini institutione eius Sanguis immediate conuertitur, sed hæc est solum vinum, & non aqua vino mixta; ergò solum vinum non aqua vino mixta, est Calicis consecrandi materia. Maiorem concedunt, & illi contra quos disputamus. Minorem probant omnia adducta Conciliorum, & Sanctorum Patrum testimonia, præsertim illud ex Catechismo Tridentini, & ex Sacerdotali Romano.



Respondet Lugo ubi supra num. 59. in hæc verba; vel Theologos illos habuisse eam sententiam, sicut alii plures tenent, vel loquutos solum de conuersione late sumpta quoad denominationem vini prædominantis in illo composito. Nam contra est, quia certè ista solutio coherere non potest verbis citatis, nam non est idem aquam in vinum conuerti oportere, ac illam aquam post mixtionem denominari vinum. Tum etiam quia si solum vini denominatio poneretur in qua mixta, & non conuersio in vinum, frustra diceretur oportere ponere aquam in parua quantitate, vt posset in vinum conuerti.

Respondent alij Christum Dominum duplicem Calicis consecrandi materiam instituisse, vnam absolutè, & simpliciter necessariam, & hæc est solum vinum; alteram vero liberam, & non necessariam, & hæc est vinum aqua mixtum; & sic cum Concilia, & Patres dicunt solum vinum, & non aquam esse consecrandi Calicis materiam, de prima, non de secunda loquun-

tur. Sed hæc etiam solutio facili impugnatur negotio; nã si hanc duplicem Calicis consecrandi materiam Christus Dominus instituisset, certè Concilia aliquam de illa fecissent mentionem, cum autem Tridentinum, nec aliud Concilium, nec Catechismus, nec Sacerdotale, nec aliquis Patrum vnquam mentionem fecerit huius duplicis materię, sed semper in hoc constantes fuerint, tum Corporis, tum Sanguinis, vnam, & illam necessariam esse materiam, non debet noua, & illa libera introduci materia; alioqui sicut assignant isti pro materia Calicis duplicem illam materiam, necessariam vnam liberam alteram; ita poterit alter duplicem assignare materiam corporis, necessariam vnam, nempe panem triticum, liberam alteram, nempe mixtum ex pane triticeo, & ordeaceo, quod nullus hucusque dixit.

Secunda ratio. Illa est consecrandi Calicis materia, sub cuius solius accidentibus Sanguis Christi Domini consecratus continetur, & confer-



uatur, sed Christi Domini Sanguis solum sub accidentibus vini continetur, & conseruatur, non sub accidentibus aquæ; ergò solum vinum, & nõ aqua est consecrandi Calicis materia. Maior est Tridentini definitio sess. 13. can. 3. vbi dicitur: *Si quis negauerit in Venerabili Sacramento Eucharistiæ sub vnaquaque specie, & sub singulis cuiusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri; anathema sit.* Minor probatur, quia si separantur species aquæ post consecrationem à speciebus vini, vt posse separari tenent illi quos impugnamus, nominatim Lugo, & Coninchus locis citatis, remaneret Sanguis Christi Domini sub speciebus aquæ sicut remanet sub speciebus vini, & hoc quamdiu species ille conseruantur; sed hoc est contra Concilia, & Patres supra citatos, & præsertim contra Concilium Tridentinum sess. 13. can. 2. vbi dicitur: *Si quis negauerit mirabilem illam, & singularem conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vi-*

*ni in Sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini, &c. anathema sit.* Vbi vt vides Concilium vult quod post consecrationem non maneat Sanguis Christi Domini nisi sub speciebus panis, & vini, manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini. Ob id non est tuta Coninchi sententia loco citato num. 191. dum dicit posse probabiliter sustineri, quod facta specierum aquæ separatione à speciebus vini, maneat Sanguis Christi Domini sub illis, sicut manet sub speciebus vini. Vnde merito dicit Lugo num. 67. Coninchi sententiam esse contra Concilia, quia tunc Sanguis Christi Domini non esset sub speciebus vini, vt illa vult.

Respondet ergò Lugo loco citato, quod casu eo non remaneat Sanguis Christi sub speciebus aquæ, sed statim ac separantur à speciebus vini, desinit esse, recuperantibus illis speciebus propriam substantiam.

Sed contra, quia hæc solutio videtur aperte contradicere Doctrinæ Tridentini, &



Doctrinæ illius auctoris, Concilium namque can. illo, citato definit totum Christum Dominum contineri sub vnaquaque specie consecrata, & sub singulis cuiusque speciei partibus separatione facta. Sed Concilium sub nomine specierum vini per illum auctorem intelligit etiam aquam seu species aquæ vino consecrando mixtas, seu adiunctas; ergò per eundem auctorem Concilium debet velle, quod facta separatione illarum duarum Calicis partium, sub vtraque, Sanguis maneat Christi. Eodem namque modo intelligi debet Concilium de partibus Calicis ante, & post consecrationem; si ergò ante consecrationem partes Calicis sunt vinum, & aqua; etiam post consecrationem erunt species vini, & aquæ; & si per illum auctorem vinum, & aqua, ut verè Calicis partes, possunt consecrari, etiam post consecrationem, ut verè eiusdem Calicis partes conseruari poterunt.

Deinde falsum est, quod dicit Lugo, quod illa accidentia aquæ statim separatione

facta suam recuperent substantiam; nam accidentia consecrata numquam amplius recuperant substantiam cui inhaereant, cum substantia noua non producat, nisi quando accidentia corrumuntur; ergò cum illa accidentia aquæ per separationem non corrumuntur, substantiam cui inhaereant non acquirunt, & per consequens Christi Domini Sanguis sub illis remanebit. Quod autem substantia noua non perducatur nisi posita accidentium corruptione, patet primò, quia ut communis tradit Theologorum Doctrina, Sanguis Christi Domini tandiù manet sub speciebus, quandiù mansisset substantia sub illis, ad desitionem autem substantiæ desinunt accidentia illius; ergò si facta specierum aquæ à vino separatione desinit Sanguis Christi, vel debent desinere species, & noua produci substantia, vel certè si species conseruantur sine Sanguine Christi, ut illi volūt manebunt sine subiecto cui inhaereant. Tum quia non videtur assignabilis actio in cuius virtute antiqua aquæ substantia



stantia de nouo sub propriis ponatur accidentibus; non separatio specierum aquæ à speciebus vini, quia hæc actio est puræ naturalis, & sic nec naturaliter substantiam habet producere, nec per Diuinam virtutem cum nullibi reperitur hæc actio à Deo ad id deputata; nec in virtute præcedentis miraculi, quia potius in virtute illius non substantia produci deberet, sed Sanguis Christi conseruari, vt de facto sub speciebus vini conseruatur. Nec exemplum quod addit Lugo de speciebus panis, quod nimirum in illis aliqua pars aquæ extrahi possit sub quibus desinet Corpus Christi, vel si separarentur partes furfuris, sub quibus prius erat Corpus Christi, illi prodest; nam vt patet ex dictis supra in hac eadem quæstione, furfur non est huius Sacramenti materia, nisi taliter à farina triticea absumatur, quod extrahi nullatenus possit; nec à pane aqua naturalis extrahi potest, cum in pane cocto, aqua, sub forma aquæ non contineatur, & per consequens extrahi non poterit.

Tertia ratio, pura aqua antecedenter ad mixtionem cū vino non potest esse materia consecrandi Calicis; ergò neque mixta vino. Antecedens est de fide, & conceditur ab illis contra quos disputamus. Consequentia probatur, quia si aqua esset materia consecrabilis, id haberet ratione suæ substantiæ, & essentiæ; sed hæc habetur siuè aqua sit separata à vino, siuè sit cum illo coniuncta, quandiù non est in illud conuersa; ergò &c. Cum enim aqua (si semel in Sanguinem immediate conuertitur) ratione suæ essentiæ, & substantiæ in Sanguinem conuertatur; namque aquæ substantia fit substantia Sanguinis, & non solum substantia vini; sequitur, quod sicut vinum, quia ratione suæ substantiæ in Sanguinem conuertitur, siuè ab aqua separatum, siuè vnitum, semper conuerti potest, etiam de aqua id ipsum dici poterit.

Respondent aliqui concedendo antecedens, & negando consequentiam. Ad probationem dicunt aquam posse quidem consecrari vino mi-

xtam



xtam non separatam, quia dum mixta est habet rationem materiae consecrandi Calicis cum sit vinum vitale, secus ut separata, cuius rei plura affert exempla, nam anima rationalis corpori unita est capax recipiendi characteris, secus ut separata; similiter species panis, vel vini insensibilis separata consecrari non potest; bene tamen unita.

Sed hæc solutio vim nostræ rationis non eneruat; nam licet verum sit aliquid posse convenire alicui, sub vno statu, & non sub alio, ut patet in exemplis allatis, & in aliis sexcentis, quæ adduci possent, tamen quando utrobique eadem saluatur ratio, si in vno aliquid convenit statu, etiam in alio convenire debet; Atqui in nostro casu eadem ratio quæ excludit aquam solitariè à ratione consecrandi Calicis, illam etiam excludit ut unitam vino, & e contra, eadem ratio quæ movet aduersarios ad faciendam aquam vino mixtum materiam consecrabilem, militat in aqua secundum se, & solitariè; ergo si semel solitariè aqua nequit

esse materia consecrandi Calicis, neque mixta; & si semel mixta esse potest, etiam separata poterit. Quod autem eadem ratio inclusionis, & exclusionis aquæ à materia consecrandi Calicis in utroque aquæ statu, tum separationis tum unionis cum vino reperitur, sic discurrendo ostenditur, Ratio includendi, vel excludendi aliquid à materia Sacramenti est ratione propria illius Sacramenti, ita quod illud esse poterit materia apta alicuius Sacramenti, cui significatio propria illius Sacramenti convenire poterit, & illud materia erit inepta, cui talis significatio non poterit adaptari; Atqui significatio consecrati Calicis, aquæ in neutro statu siue separationis, siue mixtionis cum vino convenire potest; ergo aqua in neutro statu potest esse materia consecrandi Calicis. Minor in qua sola residet difficultas ostenditur, quia significatio consecrati Calicis accidentibus aquæ nullo modo potest convenire; non enim accidentia aquæ possunt esse signa practica gratiæ latifi-



ficantis cor hominis, sicut accidentia panis sunt signa gratiæ confirmantis; & sic, cum propter defectum illius significationis aqua separata excludatur, cum hunc eundem defectum habeat aqua vino mixta, sequitur quod in nullo statu possit esse Calicis consecrandi materia. Tum quia aqua, vt communiter tradunt Sancti Patres, & traditur in cap. cum omne crimen, de consecratione dist. 2. aqua non miscetur vino ad gratiam significandam; sed ad significandum populum, vt ibi tradit Iulius I. & etiam ob alias significationes, vt supra cum D. Thoma notauimus, & non ad denotandam gratiam per Calicem dandam; ergò si aqua caret hac essentiali significatione etiam vt vino mixta, nõ poterit esse Calicis consecrandi materia, sed solum ob alias miscebitur mysticas significationes; nisi in vinum conuertatur. Soluuntur argumenta sententiæ oppositæ.

Primum argumentum desumit Lugo ex modo loquendi Sanctorum Patrum, qui eodem modo loquuntur de con-

secratione aquæ, ac de consecratione vini, & per consequens supponere videtur tam aquam, quam vinum immediate in Sanguinem Christi Domini transire. Deinde affert per extensum Damasceni testimonium lib. 4. fidei cap. 14. Ambrosij lib. 4. de Sacram. cap. 4. Paschasij lib. de Corpore, & Sanguine Domini, & aliquorum aliorum, quorum omnium verba non refero, ne sint tædio lectori cum facilem habeant interpretationem.

Respondetur ergò, quod dum Patres dicunt vinum consecrandum debere esse aqua mixtum, non posse, nec debere intelligi, quod vinum cui immediate accedit consecratio debeat esse aqua mixtum, hoc enim vt ex dictis satis superque liquet, Patrum sensum esse non potest, sed sensus est, quod vinum quod consecrandum præparatur ex Ecclesiæ præscripto aqua mixtum esse debeat, quod est verissimum; est enim vt supra monuimus præceptum Ecclesiasticum, quod vinum dum consecrandum præparatur, vel in Missæ prin-



principio, vt est aliquarum vsus Religionum, vel antea offertorium, vt est Ecclesiæ Romanæ vsus, modica miscetur aqua. Et quod istæ, & non ille quem prætendunt aduertarij sit Patrum sensus, patet, quia dum ex professo agunt de eo, quod vi verborum in Christi Domini Sanguinem conuertitur, licet antea aquæ mixtionis meminerint, tamen vbi loquuntur de obiecto, circa quod conuertendum consecrationis verba suam exercent efficaciam, solum vini meminerunt, nec volo in re satis clara amplius immorari. Videatur Hyacinthus Petronius in opus. de hac materia edito, & alij, præsertim D. Thomæ expositores hoc loco.

Secundum argumentum, quod fusè prosequitur Coninchus est, quia totum id quod continetur in Calice, quæ Calix est, vi verborum immediate transubstantiatur in Sanguinem; sed totum illud ex vino, & aqua coalescit; ergo tam vinum, quam aqua, in Sanguinem Christi Domini conuertetur. Maior patet, quia illa particula Calix si-

gnificat totum illud, quod per modum potus liquidi continetur. Addit Lugo, significat potum vini vsualem, sed vinum aqua mixtum est huiusmodi; ergo &c. Minor clara est, supposita vini mixtione &c.

Respondetur distinguendo maiorem: totum id quod continetur, si verum vinum vitis sit, ex vi verborum transubstantiatur in Sanguinem, & conceditur; si verum vinum vitis non sit, & negatur; alioqui si in vino vt aliquando contingit festuca sit, vel musca, & simul cum vino sit mel, & illud conuertetur in Sanguinem; nec verum est quod addit Lugo, vinum mixtum aqua esse vinum vsuale, est quidem vsus multorum miscere vinum aqua, sed ipsum vinum aqua mixtum non est vinum vsuale; aliud enim est dicere esse vsum miscere vinum; aliud vero quod vinum aqua mixtum sit vinum vsuale; per vinum enim vsuale vitis vinum intelligimus, non vinum, & aquam simul. Nam in multis locis est vsus ponere parum mellis, vel sacchari in vino, vt dulcedinem reddat, vt ego non semel obseruari, &



ramen si consecraretur hoc vinum melle mixtum ipsum mel in Christi Domini Sanguinem non conuerteretur, nec aliquis dicet vinum melle mixtum esse vinum vsuale, sed solum dicet esse in hac, vel illa regione vsum mel vino miscere.

Tertium argumentum. Aqua in vinum conuersa ante consecrationem immediate conuertitur in Sanguinem Domini; ergò etiam conuertetur quantumuis non sit in vinum conuersa. Consequètia probatur, quia aqua per conuersionem non habet, quod fiat materia sufficiens consecrandi Calicis; ergò si ante non erat, neque post erit, & è contra; probatur antecedens, quia propria Calicis materia est vinum vitis, sed aqua non est vinum vitis per talem conuersionem; ergò.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam: ad probationem dico, quod dum aqua in vinum conuertitur, formam substantialem aquæ amittit, & acquirit formam substantialem vini; quod autem Patres,

& Concilia dicunt, Calicis materiam esse vinum vitis, nihil aliud volunt, nisi quod Calicis materia habeat formam substantialem vini vitis, licet illa portio superaddita non sit talis per emanationem à vite, sed per substantialem conuersionem, sicut substantia quæ per nutritionem acquiritur, est vera, & propria hominis substantia, licet non habeatur per generationem ab homine, sed per nutritionem, quæ tamen fit in virtute primæ generationis.

Quartum argumentum, quod fusè prosequitur Coninchus est tale, quia aqua in vinum conuerti non potest, vt docent qui id diligentissimè inuestigarunt, vt Aristoteles, Plinius, omnesque Medici, & Chimici, quibus in hac re maior fides adhibenda est, quam Theologis, qui id non tam diligenter examinarunt; ergò &c.

Respondetur negando antecedens, nec verum est Aristotelem illius fuisse sententiæ, sed oppositæ vt colligitur ex 1. de Generat. cap. 10. tex. 39. apud eundem Coninchum,

vbi



vbi cum quæsiuisset qualiter id, quod nutritur per alimentum augeatur, per similitudinem vini explicat dicens. *Haud secus atque si quis aquam vino infundat, & is id quod admixtum est efficere vinum possit.* Vbi aperte docet alimentum conuerti in substantiam aliti, & ex eo augeri, sicut aqua conuertitur in vinum, & ex ea vinum augeatur. Sed audiat Lector Coninchi interpretationem loco citato num 178. vbi postquam retulit prædicta Aristotelis verba subdit: *vbi dum ait, efficere vinum possit, ostendit id non verè fieri, sed fingi solum posse.* & sic dum Philosophus dicit aquam vino mixtam fieri posse vinum, vult dicere, quod vinum fingatur. sed quam notam hæc interpretatio mereatur iudicent alii; si enim ita interpretatur Philosophum, quomodo Plinium, Medicos, & Chymicos interpretabitur? Vnde eorum dicta non refero.

Quintum argumentum desumit Choninchus ab experientia. Primo, quia potest aqua post mixtionem iterum separari. Secundo, quia, vt

experimur, & peritissimi fatentur, corpora simplicia, qualis est aqua, non nutriunt, quia in mixtum conuerti non possunt, & cum vinum sit plenum calidissimis spiritibus, nullo modo gigni possunt ab aqua. Tertio quia aqua est tenacissimæ naturæ; vnde si eam proicias in ollam ferream candentem, si vapores a lambico excipias, totam omnino integram recipies. Quarto quia dato, quod vinum vim haberet conuertendi aquam in se, non tamen posset omnes aquæ partes conuerrere; nam ignis quàm umuis actiuissimus non tamen omnes ligni, vel etiam stupæ partes in se conuertit: nec homo conuertit in se omnes partes alimèti, quia crassiores, vel subtiliores in excrementa eiicit, & sic cum non omnes aquæ partes eandem habeant crassitiem ad vini formam requisitam, necesse est aliquas partes remanere, quæ vini formam non possint induere. Quinto quia experimur vinum perdere virtutem pro multitudine aquæ, vnde tanta imponi potest aqua, vt quantitas vini



incipiat plus habere naturam aquæ quam vini, ita vt videatur vinum conuersum in aquã cum tamen contrarium experiamur, in ijs quæ certo scimus alias res in proprias naturas conuertere. Quantum cunque enim panem comedamus, nunquam fiemus panis; quantumcunque ligni apponas igni, nunquam ignis fiet lignum, aut debilitatur, Sexto addit Lugo quod dato, quod aqua posset in vinum conuerti, non tamen tam breui tempore; nam licet vinum non sit substantia viuens, est tamen succus substantiæ viuens intra vnam elaboratus per virtutem nutritiuam, sicut sanguis elaboratur in iecore animalis; quare sicut Sanguis separatus non habet virtutem ad transubstantiandum vnam guttam aquæ in sanguinem, sic nec vinum separatum ab vna virtutem habebit transubstantiandi aquam in propriam substantiam. Septimo, quia detur, quod pro temporis breuitate, vel ob vini debilitatem, vel ob nimiam aquæ positæ copiam, aqua tempore consecrationis in vinum non

fit conuersa, & ob id in Sanguinem non cõuertatur, idolo latræ occasio daretur populo; cum adoraret aquam pro Sanguine, intentio namque populi, & fidelium omnium Calicem adorantium, ad totam materiam contentam ordinatur.

Respondetur nullum inconueniens ex nostra sequi sententia, vt satisfaciendo singulis patebit. Ad primum ex experientia desumptum, dico quod postquam aqua in vinum est conuersa; non amplius sub forma aquæ extrahi potest, sed solum quidam humor vini magis subtilis, qui aquæ naturam, ob subtilitatem, & quandam quam habet claritatem, & diaphaneitatem, immitatur.

Ad secundum, quod aqua non nutriat, dicere imprimis possem, quod licet aqua non possit esse immediatum nutrimentum mixtorum perfectorum, benè tamen imperfectorum, vt est vinum, propter affinitatem illorum; imo etiam respectu mixtorum aliquorum perfectorum; vt sunt viuentia, plantæ, & herbæ; hæc namque, crassio-



crassiores aquæ partes per radices attrahunt, & concoquunt, & in se conuertunt; Vnde vitis per radices partes aquæ per terram inspissatas, simul cum subtilioribus terræ partibus, per radices attrahit, concoquit, digerit, & superfluum foras mittit in folia, & uuas, & per maiorem concoctionem virtute solis in vinum conuertit; vnde ille humor qui exit tempore veris à vite, quando scinditur nec aqua, nec vinum est, sed humor quidam superfluous pro vitis nutritione, qui postea magis concoctus in vinum uertitur. Addo, non bene dicere Coninchum peritissimos dicere aquam non nutrire, quia peritiores Philosophi, & Medici uolunt etiam mixta perfecta aqua nutrirî. Audiat Aristotelem omnium Philosophorum peritissimum lib. 1. de hist. animalium cap. 8. ubi habet. *Aquatiba quedam duplicis natura, quedam enim, & humido vitam agunt, & inde cibum captant, propterea humorem tum recipiunt, tum remittunt.* Vbi Iulius Cæsar caliger habet: *Non temere loquitur Philosophus: qui-*

*dam enim expiscibus putantur aquam solam pro alimento habere; nam de Balena hoc asserunt, de Apuis etiam nonnulli: quemadmodum de Chamalaunte quem aere solo pauci memoria prodidere, ut inter hæc analogia sit quedam, sicuti multa sunt, que terram pro cibo habent; busonem in ijs enumerat, inter pisces mugilem. Ipsissimam aquam nutrire pluribus probant auctoritatibus Petrus Hispan. in comment. ad lib. Isaac. diæt. partit. cap. de Aqua. Valles. lib. 6. contradict. cap. 76. Epiphani. Ferdinand. lib. 1. theor. 9. Athæneus Deipnosophist. lib. 2. cap. 2. quos citat Zaccutus de principis. med. hist. lib. 1. hist. 28 quæst. 19. Sed ut uideat Coninchus non esse uerum peritissimos docere aquam non nutrire, placet ultra citatos peritissimos, asserre per extensum uerba Ioannis Manelfi Medici, & Philosophi excellentissimi, ut patet ex eius lectione in alato uerbis Gynasio, qui in problemate 15. Aristotelis explicans eiusdem Aristotelis dictum nimirum: *estque id alimenti genus* (de aqua*



qua loquitur ) quam siccum valentius . habet : Tertio id alimenti genus , nempe aqua , valentius quam siccum est nempe quam alimentum siccum scilicet cibus , inquit Aristoteles : triplex enim genericè loquendo est alimentum per Hippo. lib. de vet. met. videlicet cibus , sorbitio , atque potus , cibus est substantia sicca , potus humida , sorbitio vero medium quid inter hæc duo dicta ; valentius itaque alimentum est aqua , quam cibus , ut audiuistis per Aristotelem . Contra Aristotelem vero dubitabit aliquis , nam Celsus lib. 2. cap. 18. id valentissimum voco , inquit , in quo plurimum alimenti est , sed plus alimenti est in cibo , & alimento sicco , quam in aqua ; ergo cibi valentiora sunt alimenta quam aqua . Respondetur breuiter Aristotelem valentius alimentum appellasse aquam , non quidem substantialiter intelligendo , & considerando aquam , quoniam hac ratione utique cibus valentior aqua , sed valentius inquit , hoc est magis valet , & concurrat ad nutritionem aqua , quam cibus , ut in superioribus etiam dicebamus , &

maiorietiam cum quantitate ; nam aquam potamus , siue aqueam substantiam , aquam requirunt alimenta tanquam vehiculum ipsorum , & denique nullum alimentum nutrire , vel in substantiam nutriti conuertere potest , nisi aqua mixtum : Hæc ille . Illud quod dicit Coninchus , vinum non posse in se aquam conuertere cum sit calidissimis spiritibus plenum , facit pro nobis , quia per illos substantiam aquæ fortius peruadere poterit , & illam in se conuertere , licet inde sequatur eiusdem vini debilitatio .

Ad tertium , quod aqua sit tenacissimæ naturæ , dico hoc esse falsum , & contra Aristotelem par. 21. problematum , problemate , is. vbi quærit : quam ob causam farina aqua subacta melius coeat quam oleo subacto quod tenacius est . & respondet ; quod aqua tenuior est , ut vsquequaque subire emolireque valeat . Vbi Petrus Apponentis dicit , quod aqua est subtilior oleo secundum se totam , licet oleum secundum aliquas partes aereas , sit subtilius aqua , non tamen se-



cundum se totum, & sic farina aqua subacta facilius digeritur, concoquitur; & exemplum quod ille affert, est contra experientiam, facilius enim euaporat aqua, quam alia, si intra talem ollam reponantur, vt oleum, vinum, & huius, & omnium generum, cetera.

Ad quartum dico, quod cum aqua sit adeo subtilis naturæ, debet potius inspissari, quam rarefieri, ad hoc quod in vinum conuertatur, vnde licet partes aquæ subtiliores euaporent, quando in vinum conuertitur quæ tamen crassiores sunt magis sunt aptæ vt in vinum conuertantur: vnde non est necesse quod remaneant aliquæ partes magis terreæ; at vero in ligno non sic, cum enim ignis in quem lignum debet conuerti sit subtilissimus, partes magis crassæ relinquuntur, receptis subtilioribus: idem contingit in homine respectu alimenti. Deinde dato quod aliquæ partes aquæ excrementitiæ remanerent nihil contra nos; non enim dicimus omnes partes aquæ in vinum conuerti, cum per congressum

vinum aliquæ euaporare possint & in aerem conuerti, & terrestriores relinqui, nec ex hoc sequitur aliquod in conueniens vt ex solutione ultimi patebit.

Ad quintum, quod vinum debilitetur per aquæ mixtionem, dico, quod cum omne agens agendo repatiatur, vt philosophus, & omnes cum eo docent, non mirum quod etiam vinum agendo in aquam, illam in se conuertendo debilitetur, & virtutem perdat. Sed dices cum Conincho, quod si semel vinum haberet virtutem conuertendi in se aquam haberet etiam vim reducendi se ad priorem statum, cum hoc sit facilius illo. Nam respondetur petendo ab illo auctore, quare ipse dum repatiabatur à cibo, & potu, non reuocauit se ad pristinam virtutem, per quod se ipsum (si ita fas est loqui) aternasset, cum hoc sit facilius illo? hoc est cum sit, per ipsum, facilius reuocare se ad primum statum, quam cibum in se conuere. Quod ille de se respondebit, id ipsum dicam ego de vino: Certè aliud non potest respondere



dere nisi, quod licet primæ qualitates in elementis quando repatiuntur conuerti possint ad pristinum statum, quia sunt propriæ elementorum passionis, & in virtute generantis semper reuertantur ad pristinum statum; hoc tamen dici nequit de primis qualitatibus in mixtis, in quibus non se habent per modum passionis, sed potius accidentis communis, vnde agendo repatiuntur, & paulatim destruuntur, & sic mixta pereunt. Adde, quod cum potissima vini virtus, quæ aquam in se conuertit, sint ipsius spiritus, qui faciliter destrui possunt, sicut etiam euaporari, non mirum, quod vinum debilitetur, & ad pristinam virtutem non reuocetur.

Ad sextum ex Lugo iam patet ex dictis, quomodo breui tempore possit vinum modicam aquam in se conuerrere, nam vt supra supponebamus ex Aristotele, quod paruum est, & facile diuidi potest, & potest pari ab alio magno, facile potest in naturam magni conuerti, vt exemplificat Aristoteles de gutta vini infusa in magna aquæ copia, quod à fortiori valet in vino, cum

fortioris sit naturæ. Ad illud quod addit Lugo de Sanguine separato, quod non habeat vim conuertendi in se vnam aquæ guttam patet disparitas, nam Sanguis statim ac est extra venas corrumpi incipit, secus vinum, quod quanto magis conseruatur, tanto magis perficitur, & quod habet sanguis intra venas, hoc habet vinum extra vuas, sanguis namque intra venas solam habet actiuitatem, & alia in se conuerrere potest, non extra, cum suam statim amittat uirtutem. At uero vinum intra vuas suam non explicat uirtutem, sed extra, & sic poterit alia in se conuerrere &c.

Ad ultimum, quod si daretur casus quod aqua non fuisset in uinum conuersa, & maneret simul cum sanguine: nõ daretur idololatriæ occasio non enim fideles adorant aquam in Calice existentem, sed Sanguinem, sicut non adorant muscam in Sanguine existentem; similiter dum adorant hostiam, terram, uel festucam, uel quid simile in ea existentem non adorant. Sed dices negari saltem non posse  
quin



quia ieiunium violetur, & sic in die Natalis Domini alia Missa celebrari non posset. Responderetur cum Vasquez nõ violari ieiunium ad Eucharistiam requisitum per illam aquæ simul cum Sanguine sumptionem, quia vna cum sanguine per modum vnius sumitur. Sicut non violatur per sumptionem hostiæ in qua esset aliqua pars hordei, vel alterius rei sub qua Christi Domini Corpus non continetur.

Sed quæres primo, an si daretur casus quod aqua conuerteretur in vinum in eo instanti in quo verba consecrationis perficiuntur, seu in eo instanti in quo fit vini consecratio, an illa portio aquæ in Vinum conuersa maneret consecrata. Respondeo cum Nugno quod non, sed illa portio vini, quæ ex aqua facta fuit sub specie vini maneret, sicut maneret si in virtute specierum vini conuerteretur peracta consecratione, cuius rei optimam reddit Nugnus rationem, quia implicat quod in eodem instanti in quo aqua fit vinum, conuertatur in sanguinem; antequam enim in Sanguinem

conuertatur prius in vinum debet esse conuersa &c.

Quæres secundo, an si aqua conuertatur in vinum tempore intermedio inter primam formæ prolationem, & vltimū instans prolationis eiusdem formæ, in Sanguinem conuertatur, Vasquez, & Nugnus affirmatiuè respondent, quia cum intentio ministri sit religiosa refertur ad instans in quo fit consecratio, sed tunc illa materia est præsens, & sufficiens; ergò &c.

Sed mihi magis placet negatiua responsio Suarez, cuius ratio optima est, quia tota forma proferri debet supra totam materiam consecrandam; nam pronomen *Hic* in forma Calicis prædicè significat materiam totam consecrabilem esse præsentem tunc temporis in eodem Calice, quod non verificatur tunc de illa aqua, cum tunc temporis nondum sit in vinum conuersa. Nec valet respondere cum Nugno quod illa materia sit tunc præsens moraliter, quia suppositis dispositionibus debet statim esse præsens, quod autem parum distat ab actu, nihil distare



stare videtur. Nam contra est, quia illa particula *Hic*, practicè materiæ consecrabilis præsentiam signat, alioqui qui prius proferret formam consecrationis supra panem absentem, præsentem tamen ante ultimam syllabam verè consecraret. Vnde sicut Sa-

cramentum Baptismi, & omnia alia nulla sunt quando subiectum non est præsens, quia non verificantur verba formæ, *Ego te Baptizo* &c. ita & in præsentem casu. Sed pleniorè huius difficultatis resolutionè dabit quæstio sequens.

## QVAESTIO VI.

*An materia consecranda debeat esse præsens  
consecranti, et qua præ  
sentia.*

**Q**UANTUM ad præsens at-  
tinet duplex est præsen-  
tia, physica, & moralis; præ-  
sentia physica illa est, qua  
vna res est ab alia indistans,  
ex qua indistantia propinqui-  
tatis relatio ad aliam cui est  
indistans pullulat, vt paries  
A. à pariete B. qui sibi vicinus  
vel indistans est. At vero præ-  
sentia moralis ea est qua vna  
res ita alteri physicè est præ-  
sens secundum hominum ex-  
timationem, vt etiam aliquo  
sensu cognitionis percipiatur;

hoc modo res omnes sūt Deo  
præsentem per præsentiam,  
quia omnes illas habet Deus  
sibi cognititas. Et tunc res ali-  
qua est alteri præsens morali-  
ter sensibiliter, quando ultra  
indistantiam physicam sensu  
aliquo percipitur, vel percipi  
potest.

Conueniunt ergò omnes,  
quod materia consecranda,  
vt consecrari possit ultra præ-  
sentiam physicam etiam mo-  
ralem habere debeat, quod  
constat, tum ex Ecclesiæ vsu  
quæ



quæ nunquam consecrat nisi materiam moraliter præsentem; tum ex facto Christi Domini, qui materiam tantum moraliter præsentem consecrauit, tū ex formæ significatione, nam *Hoc*, & *Hic* sunt pronominæ rem moraliter præsentem significantia, & non præsentia solum cognitionis intellectiuæ, cum simus in materia Sacramentorum, quæ signa sensibilia sunt sensu externo, nō interno, & sic debet esse sensu externo sensibilia. Difficultas ergo præsens est quanta debeat esse distantia physica, ultra quam non possit verificari præsentia moralis, ad hoc ut materia consecranda possit consecrari, cum enim præsentia moralis supponat physicam, si semel explicetur distantia requisita ad præsentiam physicam, explicata remanebit distantia requisita ad distantiam moralem ultra quam consecratio fieri non potest.

Pro quo nota, quod ad significandam rei præsentiam, non sufficit quod res percipitur sensu visus, & auditus, nam per uisum potest quis rem ual-

de distantem videre, præsertim ex loco probæminentem: & per auditum potest percipere rem valde distantem; nam illud pronomen *Hoc* aliquid plus designat quam rem sensibus illis esse perceptam. Similiter non requiritur ad hoc ut res sit moraliter præsens, quod actu sentiatur, cum re vera contingere possit rem esse præsentem, licet actu non videatur, vel tangatur; sed sufficit quod sciam esse sufficienter propinquam, & aliquo sensu percipi possit, licet actu nō percipiatur, quomodo Sacerdos cæcus consecrare potest materiam sufficienter propinquam, licet illam non videat, nec tangat, an vero sufficiat in re, illam materiam esse sufficienter præsentem per solū intellectum, an vero requiratur quod sciatur rem esse præsentem per aliquem sensum quicumque ille sit, ut si cæcus per reuelationem sciret se habere materiam sufficienter propinquam posset illam consecrare, dico sufficere hoc scire quoquomodo sciatur: unde si cæcus per Diuinum sciret reuelationem materiam con-



secundam esse sufficîenter propinquam ad verificanda illa pronomina, *Hoc*, & *Hic*, dum modo cætera adfunt requisita posset illam consecrare; tunc enim temporis esset materia præsens moraliter, ad consecrandum apta, legitimam, ut suppono, proferret formam, & per consequens fieret consecratio, nihil enim aliud requiritur ad Sacramenta ponenda nisi materia forma, & sufficiens ministri intentio. Hinc colligunt Theologi materiam in aliquo continente inclusam, ut vinum in Calice obferrato, Hostias in pixide clausas, & secundum aliquos in tabernaculo, posse consecrari, quia licet sensu aliquo non percipiantur, possunt tamen percipi, & sufficienter demonstrantur per illa pronomina *Hoc*, & *Hic*: si tamen Sacerdos esset in alio cubiculo in quo non sunt Hostiæ, vel vinum, consecratio fieri non posset cum illa pronomina verificari tunc temporis non possent.

His positis dico primo, materiam distantem per centum passus non esse consecrationis

capacem; ita communiter Theologi, & ratio est, quia res distans per centum passus non solet signari per illud pronomina *Hoc*, vel *Hic*; sed per pronomina *Illud*, vel *Ille*, & sic in illa distantia verba formæ non verificantur. Dico secundo, materiam distantem per viginti passus esse materiam consecrabilem; ita communiter Scribentes, ratio est, quia in tali distantia res existens solet communiter signari per, *Hoc*, & *Hic*. Dico tertio esse valde probabile quod materia distans per 40. passus sit materia consecrabiles, quia res in tali distantia existens sufficienter signari potest per illa pronomina *Hoc*, & *Hic*. Quod si distet per 50. passus dubia res est, ut notat Lugo hic disp. 4. sect. 7. num. 125.

Sed quæret aliquis primo, an materia à tergo existens demonstrari possit per illa pronomina *Hoc*, & *Hic*, & per consequens, an prout sic consecrari possit. Aliqui absolutè negant, volunt enim illa pronomina verificari dumtaxat posse de materia ante conspectum posita. Mihi vide



tur esse distinctione utendum, vel enim illa materia à tergo posita manibus tenetur, vel non; si primum, materia est consecrabilis, secus si secundum; ratio primi est, quia quid in manibus tenemus, siue ante, siue retro illud teneamus, per pronomina *Hoc*, & *Hic* significamus, nemo enim significare volens Breuiarium quod manu à tergo tenet, dicit *Illud*, sed *Hoc*; ratio secundi est, quia ex communi modo loquendi illud quod eo modo à tergo est, per *Illud*, non per *Hoc*, significamus.

Quæret aliquis secundo, an ad hoc ut materia sit consecrabilis debeat esse præsens secundum se totam, an vero sufficiat, quod sit præsens secundum partem, ut si maxima panum multitudo taliter disponeretur quod vnus post aliū, & sic deinceps, dispositus, lineam constitueret, quæ incipiens ab hoc nostro Sanctæ Mariæ de Victoria Templo, protenderetur vsque ad Templum D. Petri, quæ panum linea esset longitudinis trium circiter miliarium. An tunc illa materia esset sufficien-

ter præsens ratione continuitatis, & sic tota posset consecrari, an vero solum illa quæ 40. passus non excederet. Vasquez relatus à Lugo vbi supra num. 127. tenet totam illam materiam esse consecrabilem. Suarez per oppositum tenet solum illam esse consecrabilem, quæ est intra assignatam præsentiam. Lugo neutri adhæret, & dicit quod licet præsentia vnus partis nõ reddat omnes præsentem, conducit tamen ad aliquid, ita quod aliquæ partes quæ secundum se præsentem, non esset, ratione contiguitatis, vel continuitatis cum præsentibus, præsentem fieri possunt. Primam partem probat quia existens in littore maris, & dicens *Hæc aqua*, non loquitur de aqua maris in India existens, cum tamen cum illa continetur; propterea si illa aqua esset vinum non tota consecraretur. Secundam partem probat; quia si appareat panis per fenestram secundum maiorem partem, alia autem pars non appareat adhuc ille panis totus est consecrabilis, & demonstrari potest per pronomen,



nomen, *Hoc*; alioqui, inquit, daretur occasio multis scrupulis, si forte aliqua pars hostiarum tegatur tempore consecrationis aliquo corpore intermedio, vt candelabro, vel Calice.

Hæc sententia Cardinalis de Lugo mihi placet, displicet tamen eius ratio, placet sententia, quia non videtur posse negari, quod illa contiguitas, vel continuïtas partium, vt si esset vnus, & idem panis qui ab hoc Templo Sanctæ Mariæ de Victoria, vsque ad Sanctum Petrum pertingeret, nõ conduceret ad hoc, quod aliquæ partes quæ solitariae non essent præsentibus non fiât ratione contiguitatis, vel continuïtatis, præsentibus, & respectu illarum non possint verificari pronomina *Hoc*, & *Hic*, vt si quis existens propè fluuium posset de tota aqua intra spatium passuum quinquaginta, dicere *Hæc aqua*. Vnde dum essem prope quendam lacum latitudinis 50. vel 60. passuum audiebam communiter omnes de illa aqua loquentes, per pronomina *Hæc*, & nõ *illa*.

Displicet tamen, vt dixi ratio Lugo, quia ad hoc vt materia præsens moraliter consecratur, non requiritur quod sentiatur, vt supra dicebamus; nam quando Sacerdos cumulum consecrat formularum, non est necesse in omnium sententia, quod omnes videantur, vel tangantur, quia pronomina *Hoc* determinat ad sensum totum cumulum, & non solum formulas superiores, & apparentes in superficie, & sic si uideantur, siue non videantur demonstrantur per pronomina *Hoc*; ergo ratio propter quam ratione continuïtatis, vel contiguitatis veniant aliquæ partes, quæ alias non venissent, non potest esse quod appareant, vel non appareant; quid enim si omnes apparerent? Tum quia si materia consecranda sit indistans consecranti, tamen inter Sacerdotem, & materiam detur aliquod corpus, quod iuxta communem usum habeat rationem continentis, vel velaminis, licet sensu illa materia non percipiatur, poterit consecrari, vt vinum in dolio clausum, formulæ clausæ in-



pixide, quia ratione sui continentis, materiae istae moraliter praesentes esse existimantur & tamen non videntur; secus tamen esset si paries intermedicaret, quia licet tunc temporis illa materia esset physicè praesens, non tamen moraliter: interiectio namque parietis in ordine ad moralem extimationem, qua exercitiū

operationis in praesentem rem attendit, facit panem non esse moraliter praesentem. Et sic patet non esse bonam rationē, quod materia videatur, vel non videatur, ad hoc ut consecratur, sed ratio attendi debet ex communi sensu determinationis pronominum, *Hoc & Sic.*

## QV AEST IO VII.

*An materia consecranda debeat esse determinata per consecrantis intentionem.*

**C**ommunis est praesentis resolutio quaestionis, quod nimirum Sacerdos consecrans ultra intentionem faciendi quod facit Ecclesia, debeat etiam habere determinatam intentionem siue virtua-lem, siue actualem circa materiam determinatam consecrandi; hoc enim communis docet Scholasticorū, & Theologorum Schola; unde non sufficit habere intentionem,

hanc, vel illam materiam vagè consecrandi, & indeterminatè, sed opus est habere intentionem determinatam in individuo, cuius rei plana ratio est, quia intentio Sacerdotis consecrantis ferri debet supra materiam consecrabilē secundum sensum verborum, quibus fit consecratio, seu, quod in idem reddit, intentio consecrandi debet correspondere, & quadrare verbis forma,



næ, qua consecratio efficitur, verba autem formæ non nisi materiam determinatam, & designatam in indiuiduo significant, & per consequens ad hoc vt intentio consecrantis fit efficax, vt ea media fiat consecratio, ferri debet in materiam in indiuiduo determinatam; quod autem verba formæ non nisi materiam in indiuiduo significant determinatam patet ex illis particulis, *Hoc, & Hic*. Tum quia, quoties actio practica humano modo exercenda, versatur circa obiectum determinatum, debet intentio operantis talem dirigens actionem esse circa tale, & determinatum obiectum; atqui actio consecratiua est huiusmodi; ergo &c. Quia tamen aliqua non contemnenda contra hanc communem doctrinam obijciuntur, placuit hanc quæstionem separatam excitare, vt communis doctrina magis clarescat.

Obijcitur primò. Sacerdos potest Missæ sacrificium offerre pro anima quam Deus designet; & eligat, & tunc re vera sacrificium proficiet pro

ea anima quam Deus eligeret si illam eligeret; ergò etiam poterit Sacerdos eam consecrare materiam, quam Deus designauerit, si aliquam designauerit. Respondetur transeat antecedens, & negatur consequentia; ratio discriminis est, quia sacrificii applicatio nullam postulat formam verborum, quæ particulam includat determinatiuam applicationis sacrificii ad certam, & determinatam personam, sicut continet forma verborum consecratiua, vt sunt ille particule *Hoc, & Hic*.

Obijcitur secundo potest Sacerdos multis auditis peccatis, ab vno solum, vel duobus pœnitentem absoluerè, quæ Deus uoluerit, uel designauerit; ergò & poterit ex multis Hostijs uelle unam solum, uel duas quam, vel quas Deus uoluerit, uel designauerit consecrare.

Respondetur imprimis certum esse, non posse Sacerdotem auditis multis peccatis mortalibus ab vno solo, uel duobus absoluerè, etiam si in particulari illa designet, cum enim peccatum mortale di-



dimitti non possit etiam per Diuinam potentiam absque gratiæ infusione, vt in tractatu de Iustificacione disput. 2. quæst. 2. docuimus, & gratia esse non possit etiam per Diuinam potentiam cum peccato mortali, sequitur non posse vnum peccatum dimitti sine alio. Si vero sermo sit de peccatis venialibus, est etiam certum posse Sacerdotem validè, illicitè tamen, absolutionem dimidiare, & absoluere solum ab vno, vel duobus peccatis venialibus, si ab ipso determinentur; cum enim peccata venialia non sint necessario inter se se connexa, & vnū possit sine alio remitti, & ex alia parte Sacerdos cum sit iudex possit dare sententiam supra vram causam propositam vel audiam, & non supra aliam, quando causæ non sunt necessario ad inuicem connexæ vt sunt peccata venialia, sequitur quod possit dimidiare absolutionem, & solum absoluere ab vno, vel duobus venialibus designatis, & determinatis, alijs relictis.

Quod si velit absoluere solum ab vno veniali, vel duo-

bus, quæ Deus determinauerit, absolutio erit nulla, quia sententia inualida est, nisi supra materiam cadat determinatam. Deinde dato absolutionem eo modo datam validam esse, non tamen valida esset consecratio materiæ indeterminatæ, propter discrimen inter verba absolutionis, & consecrationis, quia ista continent pronomen demonstratiuum materiæ, non illa.

Ex diâis infertur primò. Sacerdotem volentem consecrare octo hostias ex decem quas habet præsentibus nullam consecrare, nisi illas aliquo modo determinet; si tamen putaret esse octo hostias cum sint decem, & ex errore intenderet consecrare octo, omnes consecratæ manerent, sicuti quando putat consecrare vnâ hostiam, & sunt duæ, quia tunc temporis intentio consecrandi censetur extendi ad totam materiam præsentem.

Infertur secundò. Sacerdotem intendentem consecrare ex decem hostijs octo, quas Deus designauerit, nullam consecrare, cum tunc verba formæ non verificentur.



Infertur tertio. Si Sacerdos post consecrationem ad-  
 verteret guttam vini non con-  
 secratam descendere, & mi-  
 sceri speciebus consecratis,  
 posset illam validè consecra-  
 re, ratio est, quia tunc suffici-  
 enter demonstraretur per pro-  
 nomen *Hic*, ut enim quæst.  
 præcedenti dicebamus mate-  
 ria in aliquo continente con-  
 tenta, ut vinum in dolio &c.  
 potest consecrari, illa autem  
 gutta à vino continetur; &c. idè  
 dicendum si gutta vini pone-  
 retur in aqua quamdiù manet  
 sub forma vini.

Infertur quarto. Si vna  
 hostia non consecrata miscea-  
 tur cum consecratis, etiam si  
 non dignoscatur posset con-  
 secrari, quia est determinata  
 in suo contento, quid enim  
 refert quod contineatur intra  
 pixidem, vel contineatur in-  
 tra alias hostias consecratis.  
 Sicuti Sacerdos, qui novem  
 confessiones audiuit, & vnum  
 ex obliuione non absoluit, &  
 illum non cognoscit, si omnes  
 præsentés sint, & inter illos  
 contineatur, posset illum ab-

soluere; sicuti plures dicunt de  
 Episcopo, qui super vnum or-  
 dinatum non protulit formam  
 illius ordinis; alioqui non  
 posset ille defectus suppleri,  
 nisi dicendo omnibus sub con-  
 ditione formam, quod non  
 videtur dicendum. An autè  
 particulæ quæ in scio Sacer-  
 dote ponuntur in Altari ma-  
 neant consecratæ, dependet  
 ex determinatione Sacerdo-  
 tis, supra enim de Sacram. in  
 Genere cum Nugno docui-  
 mus manere consecratis, nisi  
 aliter constet de intentione  
 Sacerdotis, & idem dicendum  
 de guttis Calici adhærenti-  
 bus. Optimum tamen con-  
 cilium est, vna vice pro sem-  
 per ad tollendos scrupulos in-  
 tendere consecrare materi-  
 am quam ipse nouit, & quoad  
 Calicem quæ est per modum  
 continui, ne sit quis anxius in  
 detergendis guttis. Vnum ad-  
 uerto ex Gauanto, & alijs,  
 quod si particulæ pro commu-  
 nicâdo populo afferantur post  
 oblationem, consecrari po-  
 terunt suppleta mentaliter ob-  
 latione.



QVÆSTIO VIII.

*Virum materia consecrabilis habeat terminum  
magnitudinis, & parui-  
tatis.*

**N**on agimus de deter-  
minatione quantitatis,  
vt consecratio sit licita, sed vt  
sit valida, namque ad hoc vt  
licita sit debet solum ea quan-  
titas panis, & vini consecra-  
ri, quam Ecclesiæ ritus præ-  
scribit. Vnde in cap. *tribus*  
*gradibus*, de consecratione  
præcipitur, vt tot holocausta  
in Altari offerantur, quot po-  
pulo sufficere possint, & non  
plura. De quantitate ergò  
materiæ consecrabilis quoad  
validè, præsens procedit quæ-  
stio; & quidem quoad primã  
partem nimirum de quantita-  
te materiæ consecrabilis ver-  
sus maximum certa res est,  
nullum habere terminum per  
se loquendo; vnde Sacerdos  
per se loquendo potest vna,  
& eadem consecratione plu-  
res, & plures Hostias, plures  
ac plures Calices, sine termi-

no; & similiter quamcunque  
magnam Panis, & Vini quan-  
tatem consecrare: dixi per se  
loquendo, nam per accidens  
defectu nimirum debita præ-  
sentia solum illa quantitas  
consecrari poterit quæ suffici-  
entem habebit propinquitatem,  
vt quæst. 7. præsentis di-  
sput. notauimus. Per se ergò  
loquendo potest Sacerdos  
quamlibet magnam quanti-  
tatem consecrare, cum enim  
respectu consecrationis non  
operetur Sacerdos virtute pro-  
pria, sed Dei quæ ad infinitum  
se extendere potest, sequitur  
quod nulla dari possit quan-  
titas panis, aut vini a deo ma-  
gna, quæ per se loquendo, &  
attenta facultate consecrantis  
consecrari non possit. Vnde  
non sunt audiendi Paludanus  
in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 3.  
conclus. 1. Alexand. 4. part



quæst. 10. memb. 4. art. 2. & Bonau. 4. dist. 10. arr. 1. quæst. 4. oppositum sentientes. Videatur D. Thomas art. 2. huius quæst. 74.

Maior difficultas est de secunda propositæ quæstionis parte, an nimirum quantitas consecrabilis debeat habere terminum versus minimum. Et respondeo cum Angelico Magistro loco proximè citato. Nullam dari tam parvam panis, & vini quantitatem, sub qua substantia panis, & vini conseruetur, quæ non sit per se loquendo consecrabilis. Et huius ratio est, quia huius Sacramenti materia, vt Concilia, & Patres docent, est panis, & vinum; ergò vbi saluatur forma panis, & vini, saluatur vera, & propria huius Sacramenti materia; vbicunque autem materia Sacramenti saluatur, Sacramentum fieri potest. Sed vt magis stabilita D. Thomæ sententia maneat, aliquæ difficultates sunt proponendæ, & soluendæ.

Prima difficultas est, an si panis minimus nullo perciperetur sensu, nec percipi posset nisi per Diuinam reuelatio-

nem posset consecrari. Ad hoc dico primo casum esse impossibilem, implicat enim dari tam parvam panis quantitatem, quæ verè panis formam retineat, & non sit per se sensibilis aliquo sensu, vel visus, vel tactus, vel gustus, &c. videtur enim esse de panis essentia, accidentia habere sensibilia quæ sint dispositiones ad sui conseruationem, & hæc videtur esse mens D. Thomæ loco citato dum dicit: *Nulla est tam parua quantitas panis, aut vini, quæ non possit consecrari.* Et per consequens, quæ non sit sensibilis.

Dico tamen secundo, quod dato illo casu, illa parua quantitas non esset consecrabilis, non quidem per se, sed per accidens, ex defectu præsentia; quod enim non est sensibile, non potest dici moraliter præsens, nec potest per pro nomen *Hoc*, & *Hic* demonstrari. Nec sufficit quod Sacerdos per Diuinam certificetur reuelationem, si ex alia parte materia sensibilis non est; si autem sensibilis esset, & esset in debita distantia, & ob aliquod impedimentum non

per-



perciperetur, Diuina sufficeret reuelatio; sicut sufficeret certificatio Angeli, vel hominis respectu Sacerdotis cæci, &c.

Sed contra hoc est argumentum, quia si à consecrata hostia, separaretur minima pars, quæ esset insensibilis, adhuc sub illa Christi Domini Corpus maneret, vt docet Tridentinum sess. 13. can. 3. dum definit Corpus Christi Domini manere sub singulis specierum partibus separatione facta; ergo etiam eadem posset prius consecrari. Antecedens est certum; consequentia bene sequitur ex paritate rationis.

Respondet primo Mayor in 4. dist. 11. quæst. 2. *contra istud*, quod licet sub minima parte insensibili panis, conseruari possit forma panis, non tamen Corpus Christi Domini si illa pars sit separata ab alijs, & rationem assignat Mayor, quia substantia conseruari potest sub particula insensibili separata, sicut conseruabatur coniuncta, at vero Corpus Christi Domini, nullo modo, quia cum Sacra-

mentum debeat esse signum sensibile, & illa quantitas non sit talis, non potest esse Sacramentum, & per consequens facta illius partis separatione definit esse sub illa Corpus Christi Domini, cum desinat esse Sacramentum.

Sed hæc solutio nullatenus potest susineri, in omnium enim sententia Theologorum tandiu manet Christi Domini Corpus sub speciebus, quãdiu illarum substantia mansisset; ergo si per Mayorem sub quantitate insensibili, panis substantia mansisset, etiam separata à reliquis partibus, idem dicendum erit de Corpore Christi Domini.

Respondet secundo Lugo hic disput. 4. num. 108. cum Suarez, & Vázquez. Concedendo antecedens, quod nimirum separata minima, & insensibili Hostiæ consecratæ parte à reliquis, maneat Corpus Christi Domini, sicut mansisset substantia panis, negat postea consequentiam, rationem discriminis assignat Lugo num. 118. cum Suarez hic disp. 43. sect. 7. quia ad consecrationem præsentia mate-



riæ requiritur ratione illius pronominis *Hoc*, quæ præsentia adesse non censetur cum materia sensibilis non est. At vero ubi hostia est consecrata facta diuisione sub quantitate quantumuis minima, manet Corpus Christi, cum ad hoc præsentia non requiratur. Sed neque hæc solutio sustineri potest, quia contra illam vrget ratio Maioris, nam de essentia Sacramenti instituti est, etiam per illos auctores, quod sit signum sensibile, sed illa particula est insensibilis; ergo nequit esse Sacramentum, & per consequens sub illa esse desinet Corpus Christi Domini. Dices cum Lugo illam particulam non sentiri quidem, tamen esse sensibilem, quia sentiri potest simul cum aliis, licet separata sentiri nequaquam possit; sed contra, quia videtur lus verborum, est sensibilis, quia simul cum aliis sentiri potest; ergo de facto sentiri non potest: ad hoc enim vt aliquid sit Sacramentum non sufficit, quod simul cum alijs sentiri possit; non sufficit quod sentiri possit si cum alijs copuletur, sed debet esse in

recto, & per se sensibile, alioqui posset aliquis dicere particulam panis insensibilem posse consecrari, cum sit ab intrinseco sensibilis, & simul cum aliis sentiri possit. Vnde aliud est, quod illa minima pars hic, & nunc insensibilis, possit reddi sensibilis per coniunctionem cum alijs; & aliud est quod hic, & nunc adequatam habeat de se sensibilitatem ad Sacramenti rationem requisitam. Vnde non se habet solum illa minima quantitas respectu sensibilitatis, sicut se habet color in ordine ad explicandam propriam sensibilitatem media luce; nam color habet in se intrinsecam sensibilitatem, sufficientem ad immutandum ex se sensum, & solum indiget luce vt conditione. At vero illa minima quantitas ex se non habet sufficientem sensibilitatem, nec vnquam ex se sufficiens erit ad immutandum sensum, sed indiget adiutorio alterius non solum vt conditionis, sed vt comprincipium ad producendam speciem sufficientem ad immutandum sensum.



Respondetur ergò tertio, & melius cum N. Cornexo hic disput. 2. dub. 2. num. 4. negando antecedens, & ratio est, quia neque maneret substantia panis sub illa quantitate insensibili, ut enim in huius difficultatis principio dicebamus, implicat dari tam parvam panis quantitatem, quæ formam panis retineat, & non sit sensibilis; cum sit de panis essentia, accidentia habere sensibilia, quæ sint dispositiones ad proprii esse conservationem.

Secunda difficultas, an requiratur quod materia consecrabilis sit sensibilis respectu Sacerdotis à quo debet consecrari, an vero sufficiat quod sit sensibilis respectu alterius, qui habet sensum magis acutum; & respondeo cum Lugo, & aliis contra Vasquez & alios non esse necesse talem materiam esse sensibilem ipsi consecranti: nam clarum est Sacerdotem cæcum posse consecrare materiam præsentem, cuius præsentia ab alio certificetur, tunc enim temporis sufficienter verificari. possunt verba formæ, & illa pro-

nomina *Hoc*, & *Hic*.

Tertia difficultas, an minimi naturalis medietas, panis, & vini, non quidem separata ab alia medietate, cum hoc modo dari non possit, sed illi coniuncta, queat consecrari.

Respondeo negativè cum N. Cornexo ubi supra, quia cum non possit dari forma panis sub minori minimo, non poterit dimidium minimi consecrari, relicta alia dimidia minimi parte, quod puto verum non solum quando minimum esset ab alijs partibus separatum, verum etiam si coniunctum esset, cuius rei ratio est, quia dato quod posset in hostia designari dimidium minimi, tamen per consecrationem quantitas illius dimidii separaretur à reliqua quantitate, etiam si quoad sensum separata non cognosceretur; sicuti non cognoscitur separata in virga cuius vna pars est viridis, & altera sicca; quantitas namque partis siccae à quantitate partis viridis est separata, cum in diuersis subiectentur subiectis. Atqui sub quantitate minori minima se-  
para-



parata forma panis non conseruaretur; ergò neque Corpus Christi Domini : tandùm enim Corpus Christi sub quãtitate separata conseruatur, quandiu conseruaretur panis substantia. Quod autem per consecrationem quantitas separaretur ab alia quæ sub consecratione non cadit, conce-

dunt N. Compl. de Generat. Concedit Lugo hic. Concedunt communiter Philosophi, & Theologi, & ratio est, quia vna, & eadem quantitas non potest inhære subiecto, & non inhære, vna manere cum suo subiecto, altera sine illo &c.

# DISPV TATIO

## S E X T A

*De reali præsentia Corporis, et Sanguinis  
Christi in Eucharistia.*

**L**icet cum tota Ecclesia contra Capharnaitas firmiter, certòque credamus sub speciebus panis, & vini veram Iesu Christi Domini Carnem, & verum eius Sanguinem in Altaris Sacramento contineri, ministerio quidem Sacerdotis, virtute tamen Diuina, cui non est im-

possibile omne verbum, ita quod eandem plane Christi Domini Carnem sumamus, & in Templis habemus, quæ olim in Palestina visibiliter apparuit, & nunc in Cælis à Beatis incredibili dilectione, & gaudio intuetur. Tamen quia nostri temporis hæretici hoc damnare audent, prætenden-



dentes solum hunc Diuinissimum à mundo tollere, Sponsam Ecclesiam Summo Sponsi thesauro spoliare, panem vitæ à fidelibus eripere, ne habeant dum in hoc mundo sunt exules, vnde pascantur, & spiritualiter sustententur; propterea disputationem hanc excitamus, licet sit res magis

adoranda, quam inuestiganda & prius ea quæ pertinent ad hæreticos pertractabimus, postea quæ ad Theologos, sequentes in omnibus D. Thomæ vestigia, qui in omnibus, sed maximè in hac materia est mirabilis, & præsertim in ista quæstione 75. vbi de hac materia pertractat. Sit ergo.

## QVAESTIO I.

*Vtrum sit de Fide Corpus, et Sanguinem Christi Domini, verè, et realiter contineri sub speciebus Panis, et Vini.*

**Q**uidam Ioannes Scotus antiquior Doctore subtilissimo Ioanne Duns Ordinis Minorum, Sole lucidissimo, & postea quidam Berengarius; deinde Albigenes, & Vvicleph: tandem Caroloftadius, Lutherus, Caluinus, & omnes Sacramentarii, realem Corporis, & Sanguinis Christi Domini præsentiam in Eucharistiæ negant Sacramento,

licet non eodem modo omnes loquantur, vt videre est apud Belarminum de Eucharistia lib. 1. 2. & infra, & alios.

Veritas Catholica sequenti explicatur conclusione. Christus Dominus verè, & realiter est in Eucharistia. Hæc conclusio est de fide definita primò in Concilio Alexandrino in Epistola ad Nestorium. In



Concilio Ephes. 1. cap. 14. in 7. Synodo act. 6. in Concilio Romano sub Leone IX. in Ver cellensi eodem Pontifice præ sente; in Turonensi sub Victo re II. in Lateran. sub Inno. III. in Florentino sub Eugenio IV. & tandem in Tridentino sess. 7. ferè per totam præsertim cap. 1. vbi dicitur. *Docet Sancta Synodus, & apertè profite tur, in almo Sanctæ Eucharistiæ Sacramento. post Panis, & Vini consecrationem Dominum nostrum Iesum Christum ve rum Deum atque hominem, verè, realiter, ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilem contineri. Et can. 1. dicit: Si quis negauerit in Sanctissimæ Eucharistiæ Sa cramento, verè, realiter, & transsubstantialiter Corpus, & Sanguinem, una cum anima, & Diuinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo vt in signo, vel figura, aut virtute; anathema sit.*

Probatui primò conclusio Sacræ Scripturæ testimoniis, & primo ex illo Ioan 6. *Panis quem ego dabo caro mea est, &*

*caro mea verè est Cibus, & Sanguis Meus verè est potus, & nisi manducaueritis Carnem Filij Hominis, & biberitis eius Sanguinem &c.* In quibus locis Christus Dominus manifestè pronunciat carnem suam esse manducandam, & Sanguinem suum esse bibendum; Atqui non manducatur, ne que bibitur nisi in hoc Sacramento; ergò in hoc Sacramento, caro Christi Domini manducanda continetur, & Sanguis bibendus.

Probatui secundo ex ver bis Christi Domini Matth. 26 Marci 14. Luc. 22. *Hoc est Corpus Meum, Hic est Sanguis Meus.* Quibus si adiungantur Sanctorum Patrum explicationes præsertim illa quam ex N. S. P. Cyrillo affert Angelicus Doctor in hoc art. 1. certissimam faciunt probationem, quam gratia claritatis sic formare possumus; illa verba: *Hoc est Corpus Meum &c.* quæ Christus Dominus supra panem quem præ manibus habebat protulit, infallibilem continere debent veritatem; sed hanc non continerent nisi sub speciebus panis,



nis, verum Christi Domini Corpus contineretur; ergò debet sub illis contineri. Maior patet, cum enim esset Deus, mentiri non poterat, & per consequens eius verba veritatem continere debebant. Minor etiam clara est, implicat enim Christum Dominum dicere de pane quem præ manibus habebat, quod esset suū Corpus, & quod reuera non esset, alioqui fuisset mentitus, & decepti fuisset Apostoli putantes recipere Corpus Christi Domini, cum non nisi panis esset.

Respondent Petrobrusiani, & Henriciani apud Belarm. supra cap. 1. quod Christus Dominus fuit præsens speciebus Sacramentalibus verè, & realiter solum in vltima cæna, quando ipse prædicta protulit verba, non verò postea, quando ab aliis Sacerdotibus proferuntur.

Nam contra est, quia Sacerdotes non nomine proprio, sed Christi Domini, & ex præscripto illius illa proferunt verba; ergò etiam prout à Sacerdotibus proferuntur debent esse infallibilis veritatis; ante-

cedens patet ex illis Christi Domini verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Consequentia tenet, nam implicat Christum Dominum præscribere aliquid, & quod illud non sit infallibile, & sic cum præscripserit Apostolis, & in illis Sacerdotibus omnibus, vt in nomine ipsius proferant illa verba supra panem reuera panis fieri debet Corpus Christi Domini, alioqui à deceptione saluari non posset Christus, quod nullo modo est dicendum.

Respondent alii, consecrationis verba esse vera per communicationem idiomatum, ad quod non est necesse, quod Christus Dominus sit substantialiter præsens speciebus, sed sufficit quod sit in illis vt in signo. Sed hanc responsionem optimè impugnat N. Cornelius dub. 1. disput. 1. super art. 1. quæst. 75. Quia idiomatum communicatio non nisi in hypostatica duarum naturarum vnione fieri potest, vt probant Theologi cum D. Thoma supra quæst. 16. Tum quia licet per vnionem hypostaticā idiomata vnus nature



possint prædicari de alia in cōcreto, non tamē pars vnius naturæ, vnde non possumus dicere anima est Deus; ergò etiam si vnio vnius signi cum re signata sufficiens esset, vt idioma vnius alteri communicaretur, adhuc non esset vera hæc propositio: *Hoc est Corpus Meum*, cum hic per corpus non veniat tota natura; anima namque ex vi verborum non importatur.

Respondent hæretici nostri temporis illi verba non esse intelligenda propriè, sed tropicè, & figuratè, ita vt tropus sit in illo verbo *Est*, vt sit sensus: *Hoc est Corpus Meum*: idest: *Hoc significat Corpus Meum*; qui modus loquendi passim inuenitur in Scriptura, quod nimirum verbum *Est* accipitur pro verbo significat, vt Gen. 41. dum dicitur: *Septem spicae sunt septem anni ubertatis*, idest significant, & Lucæ 8. *Semen est Verbum Dei*, hoc est significat; & de Ioanne dixit Dominus, *Ioannes ipse, est Elias*, & 1. Cor. 10. de Christo Domino dicitur; *Petra autem erat Christus*.

Sed hæc responsio refelli-

tur à Tridentino loco citato. Tum quia verbum *Est* simplicem adeo habet significationem, vt in aliud non resoluitur, vt notat Calepinus; propterea nec tropum, nec figuram patitur. Vnde ad illa exempla dico esse exempla rerum adductarum in parabolis, quæ cum posite sint in significatione, idem est in illis ponere verbum est, ac significat, at hic cum non agatur de figura, vel parabola, sed de re vera, & reali, vt ipse Dominus testatur dum dicit: *Caro mea verè est Cibus, & Sanguis Meus verè est potus*, in propria significatione accipi debet.

Probatur tertio conclusio, quia quod pro nobis in ara Crucis pro nostra reconciliatione fuit offerendum, verus, & proprius Christi Domini Sanguis fuit, & non figura eius; sed id quod erat in Calice, quod Discipulis sumendum porrèxit, fuit id ipsum quod pro nobis fuit effusum; ergò erat verus Sanguis. Maior admittitur ab hæreticis. Minor ex ipsis Christi Domini verbis colligitur Luc. 22. vbi dicitur. *Hic Calix nouum te-*



*Sacramentum est in Sanguine meo, qui pro vobis effundetur; ergo &c.*

Probatur quarto ratione D. Thomæ in hoc art. 1. Sacramenta legis veteris, sacrificium passionis Christi Domini in figura solum continebāt, iuxta illud Apostoli Hebræ. 10. *Vmbra habens lex futurorum, non ipsam rerum imaginem; ergo Eucharistiæ Sacramentum à Christo Domino institutum, vt contineret ipsum Christum, debuit non solum in figura, & significatione continere, verum etiam in veritate. Antecedens admittunt hæretici. Consequentia probatur, quia alioqui figura non haberet suum figuratum, cum enim potissima legis veteris Sacramenta, vt Agnus Paschalis, esset nostri Eucharistici Sacramenti signa, debet, sicut ibi immolabatur Agnus sine macula, & hic verus Agnus immaculatus per Sacerdotum manus in Altari immolari. Ideoque concludit Angelicus. Hoc Sacramentum quod ipsum Christum realiter continet, est perfectum omnium aliorum Sa-*

*cramentorum, in quibus virtus Christi participatur.*

Probatur quinto alia ratione Sancti Thomæ, quia proprium est charitatis, & amicitiae, amicis conuiuere, vt docet Philosophus Eth. 9. ergo eo ipso quod Verbum Diuinum per nostræ carnis assumptionem, amicus noster factus sit, & nos sumoperè diligat, conueniens erat quod nobis coniuiret, non quidem in propria specie, cum secundum hanc ad Patrem esset ascensurus; ergo sub aliena specie occultatum, quod fit in hoc Sacramento. Antecedens patet. Consequentia probatur; quia non videbatur conueniens, quod suos destitueret amicos sua præsentia corporali, dum in hac miserabili vita peregrinamur, sed debuit per sui Corporis veritatem nos sibi medio hoc Diuinissimo Sacramento coniungere, vt sic verificaret, quod dixerat Math. 24. *Vbi fuerit Corpus, ibi congregabuntur, & Aquilæ, quæ sunt animæ fideles, & spirituales, quæ vbi suum corpus est, nempe in Ecclesia congregantur, propte-*



rea dicit Io. 6. *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem in me manet, & ego in eo.* Propter quæ concludit Sanctus Doctor: *Hoc Sacramentum est maxima Charitatis signum, & nostræ spei subleuamentum, ex familiari coniunctione Christi ad nos.*

Probatur sexto vltima Sancti Doctoris ratione, desumpta ex fidei perfectione, quia ad fidei perfectionem pertinet non solum credere Christi Domini Diuinitatem, verum etiam eiusdem humanitatem, iuxta illud Ioan. 14. *Creditis in Deum, & in me credite, &c.* Sed fides est inuisibilem, seu est de non visis; ergo tam Diuinas, quam humanitas vt sit obiectum fidei debet esse non visa, hoc autem habet in hoc Sacramento; ergo &c. in hoc namque Sacramento suam Carnem, & Sanguinem nobis inuisibili exhibet modo.

Sed quia hæretici infinita nobis obiiciunt tum ex Scriptura, tum ex Sanctis Patribus testimonia, ponam hic generales aliquas solutiones vt Lector illas præ manibus habeat vt negotio facili, verum, &

legitimum testimoniorum adductorum sensum adducat.

Prima est quando testimonia adducta, videntur dicere Eucharistiam esse panem, vel appellant hoc Sacramentum panem; ob triplicem causam aduertere debes, hoc dici posse. Prima est quia huius Sacramenti materia remota, est panis, & vinum, quæ per admirabilem illam conuersionem fiunt Corpus & Sanguis Christi Domini, quomodo Exo 7, serpens à Moyse repente productus virga appellatur, quoniam ex virga in ipsum conuersa factus erat. secunda quia reficiat vt panis. Tertia quia adhuc panis retineat accidentia. Vel certè loquuntur de pane spirituali, quo sensu ipse Dominus se ipsum extra Sacramentum existentem panem viuum de Cælo delapsum vocauit Io. 6. Secunda generalis solutio est, quod si quando Sancti Patres, vel Scriptura, dicunt hoc Sacramentum esse cibum spirituales, non propterea negant non esse orisumendum, sicut e contra, quando dicunt Eucharistiam esse Corporum nostrorum ali-



moniam, solum volunt per eam corpora nostra aliad immortalitatem iuxta illud Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Similiter dum Sancti Patres spiritualem quæ per fidem fit, & charitatem Corpus Christi Domini manducationem; adeo extollunt, non excludunt realem, & corporalem, sed solum denotare volunt corporalem manducationem sine spirituali ad nihil valere. Tertia solutio cum Sanctorum Patrum testimonia significare videntur hoc Sacramentum ab ijs solis manducari qui in gratia sunt, non de corporali tantum, sed de fructuosa loquuntur manducatione. Quarta dum Sancti Patres verba Christi Domini de Eucharistia agentis, ad manducationem per fidem accomodant, aut ad corpus mysticum, quod est Ecclesia accomodant, id faciunt non excludendo sensum litteralem, sed mysticum afferunt in litterali fundatum. Quinta dum iidem Sancti Patres negare videntur in Sa-

cramento Eucharistiæ existere, aut sumi Christi Domini Corpus; non loquuntur de vera, & reali Christi Domini substantia, sed solum intendunt negare eundem modum essendi quem habuit in terris, & quem modo habet in Cælis. Sexta generalis solutio est, quod dum Eucharistia nominatur signum, seu figura Corporis, & Sanguinis Christi Domini, loquuntur de Eucharistia, vt est Sacramentum tantum, secundum quam rationem habet solas in recto importare species, quæ sunt verum signum, & figura Corporis Christi Domini, sub eisdem speciebus realiter, & præsentialiter existentis. His prænotatis. Soluuntur argumenta hæreticorum.

Primum argumentum. Christus Dominus post Calicis consecrationem dixit illa verba: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, donec illud bibam nouum in regno Patris mei.* ex quibus verbis manifeste colligitur in Calice post consecrationem, non nisi genimen vitis, seu vinum manere. alioqui Christus Dominus post



post consecrationem dicere non potuisset citata verba, si semel ibi genimen vitis non fuisset.

Respondetur ex prima solutione quod Corpus Christi Domini sub speciebus panis dicitur panis, quia ex pane factum est, & accidentia panis manent, & Sanguis eiusdem Domini vinum, vel genimen vitis, quia ex vino factus est, & sub vini accidentibus manet, vt patet ex dictis.

Secundum argumentum desumunt hæretici ex illis verbis Apostol. 1. cor. 10. *Patres nostri omnes eandem escam spiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt*: ex quo loco duo colligunt hæretici: vnum est, antiqui, Patres, Testamenti, eundem cibum comedisse, eundemque potum bibisse, quæ nos comedimus, & bibimus nempe corpus, & Sanguinem Christi Domini. Alterum est, Sanctos Patres veteris Testamenti solum in figura comedisse, & bibisse Corpus, & Sanguinem eiusdem Domini. Ex quibus sic formant validissimū vt dicunt, argumentum. San-

cti Patres veteris Testamenti hoc comederunt Sacramentū solum in figura; ergò, & nos. Antecedens est cærum: consequentia probatur, nam alioqui non posset Apostolus dicere illos Patres eandem escam, & potum comedisse, & bibisse quam nos comedimus & bibimus.

Respondetur nusquam Apostolum dicere Sanctos Patres veteris testamenti comedisse, & bibisse eandem escam, & potum, quam nos comedimus, & bibimus, sed solum dicit Patres comedisse, & bibisse eandem escam, & potum quod est verissimum; nam omnes illi Patres qui sub nube fuerunt, qui mare transierunt (de his enim loquitur Apostolus) eandem escam spiritalem manducauerunt, nempe idem manna, quod esca spiritualis dicebatur. quia huius Sacramenti erat figura: & eundem potum spiritalem biberunt, nempe aquam quæ ex petra profluxit exo. 16. & 17. quæ aqua spiritualis potus dicitur propter mysticas, & spiritales quas habebat significationes de quibus illius loci



loci expositores. Deinde dato quod Apostolus diceret Patres illos comedisse, & bibisse eandem escam, & potum, quã nos comedimus, & bibimus, non propterea sequeretur, quod eodem modo, sed solum quod illi in figura, nos autem in veritate eandem escam comedamus, & eundem potum bibamus, ad eum modum quo figura, & figuratum vna, & eadem res dicuntur. Alia plura adducunt hæretici ex Sacra Scriptura testimonia, quæ causa breuitatis relinquo, & quia ex dictis, & ex modo dicendis dubio procul solui possunt.

Tertium argumentum in ordine desumunt ex auctoritate Tertulliani lib. 4. contra Marcionem cap. 40. vbi dicit. *Acceptum panem, & distributum discipulis corpus suum fecit hoc est Corpus Meum dicendo, id est figura Corporis Mei.*

Respondetur primo cum Vasquez, Tertullianum per illa verba, *Figura Corporis Mei*, intellexisse species Sacramentales quæ post consecrationem sunt figura Corporis Christi Domini, quia illud signant, ut in 6. solutione diximus. Se-

cundo responderetur, & melius, & magis conformiter ad Tertulliani contextum, quod illa verba, *Figura Corporis Mei*, non referantur ad verba immediate præcedentia, nempe hoc est Corpus Meum, sed ad panem, figuram Corporis sui, ita ut sit sensus *Hoc nempe panis Figura corporis Mei*, seu quod est figura Corporis mei, *Est Corpus meum.* Quod autem panis sit figura Corporis Christi Domini patet, quia idem Dominus antequam hoc Sacramentum institueret se ipsum panem vocabat, ut cum dixit: *Ego sum panis viuus, qui de Cælo descendi &c.*

Quartum argumentum sumunt ex Theodoro Dialogo 2. post medium, vbi dicit: *Nequæ enim signa mystica post sanctificationem recedunt à sua natura: manent enim in prior e substantia, & figura, & forma* Vbi ut vides per signa mystica panem, & vinum intelligit, quæ post consecrationem, priorem retinent substantiam, figuram, & formam, & per consequens esse non poterit Corpus, & Sanguis Christi &c.

Respondetur Theodoretum



per signa mystica non intelligere panem, & vinum, sed accidentia panis, & vini, quæ post consecrationem habent eandem substantiam, id est essentiam, figuram, & formam accipimus. Hæc sufficiat retulisse quia in illis Maior quædam difficultas est: cetera Sanctorum Patrum testimonia, quæ ab hæreticis afferuntur attentis iis quæ notauimus facile solui possunt, qui plura voluerit consulat Belarm. & expositores hic. Soluuntur hæreticorum argumenta à ratione petita.

Primum argumentum à ratione est. Verum, reale, & substantiale corpus debet esse palpabile; sed in Sacramento Altaris Corpus Domini non est palpabile; ergò ibi non est. Maior in qua est difficultas probatur. Nam Christus Dominus post suam resurrectionem vt ostenderet non esse phantasma, nec spiritum, sed esse verum corpus, & illud ipsum esse quod erat in viuis dixit. Luc. 24. *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Vnde vt videt Chri-

stus Dominus, vt redderet rationem, & certificaret discipulos de veritate suæ carnis, præbuit illam palpandam, & tangendam, si autem fieri posset, quod daretur verum Corpus, vera caro, verus Sanguis modo inuisibili, & impalpabili, ratio Christi Domini efficax non fuisset.

Pro solutione huius, & sequentium difficultatum nota, quod præ oculis semper habendum est id quod D. aduertit Augustinus lib. de utilitate credendi cap. 2. nimirum: *Res fidei posse facile accusari populariter, non autem ita facile defendi populariter, propter mysteria, quæ his continentur.* Cum enim fidei mysteria (inter quæ principem tenet locum Eucharistia) cancellos naturalis transcendant intelligentiæ, sequitur quod humana ratio nullum argumentum efficax, nullum, multo minus, euidentis possit suppeditare, quorum veritas demonstraret. Neque putandum est in hoc mysterio nil aliud esse, quàm quod homines: *Quinq; notissimis nuntijs percipiunt sed est intellectus in fidei obsequium captiuandus,*  
*quæ*



quæ fas est præferat hereticorū fallacijs detegendis. Ex Epi. 146. de Corporum resurrectione dicit *Ea quæ in usu vitæ huius nostræ corruptibilia nouimus, sine corruptione cogitare vix possumus.* & Paulò inferius ex consuetudine rerum expertarum in experta opera diuina, infirmitas metitur humana, & argutulè se garrere arbitratur, cū dicit, *si caro est, Sanguis est, &c.* his prænotatis.

Respondetur ad argumentum distinguendo maiorem: verum corpus debet esse palpabile, quando est modo extenso, nec aliunde impeditur, ne species ad sensum tactus emittat, & conceditur, quando est modo indiuisibili, vel etiam si sit modo extenso impeditur ne species emittat, & negatur, Quando namque Corpus est modo indiuisibili species sensuum immutatiuas causare nequit, & per consequens nec palpari, Si vero sit modo diuisibili, & extenso, sed impeditur nè species emittat, ad huc palpari non potest, sicut nec videri; sine speciebus namque sensatio causari non potest; quod autem corpus ex-

tensum impediri possit ne species emittat patet ex facto Christi Domini, vt Lucæ 4. cū Iudei eū vellent præcipitare ab illorum conspectu Euanuit impediendo ne corpus species produceret visibiles, in illorum oculis, etiam si per medium illorum iret. Et Ioan. 8. legimus quod cum vellent Hæbrei Christum Dominum lapidare, ab oculis illorum Euanuit; per potestatem namque Excellentia, quam supra proprium habebat corpus impediatur quando volebat, ne species extra se mitteret. Vnde patet argumentum Christi Domini efficax fuisse, cum enim esset eius corpus extensum, & species producere non impediretur, poterat, & videri, & palpari; vnde etiam si corpus esset gloriosum, poterant tamen Apostoli cognoscere distinctionem carnis ab ossibus, quæ distinctio in Phantasmate, & spiritu haberi non potest, nisi deceptio contingat quæ in Christo esse non poterat.

Secundum argumentum desumunt hæretici à loco sic verū, & reale Corpus debet esse



in loco; sed Corpus Christi Domini in Sacramento non est in loco; ergo in Sacramento non est verum Christi Corpus. Maiorem probant ex D. Augustino Epist. 57: ad Dardanum ubi dicit: *Spatia locorum tolle corporibus, & nusquam erunt, & quia nusquam erunt non erunt*. Deinde probant eandem maiorem ratione. Quia implicat Corpus habere partes extra partes, & non esse in loco; sed de essentia Corporis organici, ut est Corpus Christi Domini est habere partes, extra partes; ergo de eius essentia, est esse in loco.

Respondetur verū corpus debet esse in loco, attēta propria eius natura, & attēta virtute agentium naturalium, non vero in ordine, ad diuinam omnipotentiam, quæ potest quantitatem sua extensione locali priuare, relicta dumtaxat extensione in ordine ad se ut ex infra dicendis patebit. Ad probationem ex D. Augustino petitam dico, illum loqui per ordinem ad potentiam naturalem, non per ordinem ad potentiam supernaturalem;

quomodo vero, Corpus Christi dicatur esse in Sacramento & per quid, infra dicetur. Ad probationem ex ratione, dico implicare quidem Corpus habere partes extra partes in ordine ad locum, seu extensas, & non esse in loco; non tamen implicat Corpus habere partes extra partes in ordine ad se, & non esse in loco; sola namque partium extensio in ordine ad locum, necessario dependet à loco, non extensio partium in ordine ad se.

Tertium argumentum. Implicat auferre à substantia corporea id per quod differet à substantia spiritali, sed habere partium extensionem, & occupationem localem est proprium substantiæ corporeæ, & per id differt à substantia spiritali; ergo non potest id ipsum ab ipsa separari, & per consequens dari non poterit corpus sine partium extensione, & sine loci occupatione,

Respondetur concedendo Maiorem, & negando Minorem, id enim per quod substantia corporea differt à substantia spiritali non est occupare locum



locum, & habere partium localem extentionem, alioqui corpora gloriosa non possent non occupare locum ex propriæ voluntatis imperio, quod est contra D. Augustinum lib. 13. de Civitate Dei cap. 18. & lib. 22 cap. 11. sed est habere materiam, qua res spirituales priuantur.

Quartum argumentum. Non potest Corpus Christi Domini esse in Sacramento,

nisi idem Corpus sit in pluribus locis; Atqui idem Corpus non potest esse in pluribus locis; ergo Corpus Christi esse nequit in hoc Sacramento, Maior patet; Nam cum Corpus Christi Domini sit in Cælo, & per consecrationem non desinat ibi esse, si semel ponitur etiam in Sacramento, in pluribus locis erit. Hoc argumentum petit, ut sequentem excitemus quæstionem.

## QVÆSTIO II.

*Utrum idem numero Corpus per potentiam Dei absolutam possit simul, & semel esse in pluribus locis, ita ut in vno sit circumscriptiuè, & in aliis modo indivisibili.*

**N**on quærimus an idem corpus possit esse per Diuinam potentiam in pluribus locis circumscriptiuè, hoc enim reputamus omnino impossibile, ut post D. Thomam quem referunt, & sequuntur N. Complut. in physica disp.

14. quæst. 8. docet tota Schola Thomistica, & alii plures ut est videre apud eisdem Complut. loco citato. sed solum quærimus an vnum; & idem corpus possit esse per diuinam potentiam in pluribus quidè locis, sed in vno circumscriptiuè,



uè, & aliis non, vt fides docet de Corpore Christi Domini quod est circumscriptiuè in Cælo, & modo indiuisibili in Sacramento.

Pro quo nota quod esse in loco dupliciter accipi potest. Primo in latissima, & amplissima significatione, quatenus esse in loco idem est ac habere propriam substantiam hic, vel ibi præsentem non curando an id quod dicitur esse sic in loco, habeat partes extenses, & correspondentes loco, vel non, quo modo Angeli dicuntur esse in loco, quia licet non habeant partes in ordine ad locum extenses, seu non habeant partes correspondentes partibus loci &c. sunt tamen in loco siue hoc sit per ipsam Angeli operationem, vel per vbi super additum, de quo modo non disputo. Secundo, esse in loco accipitur propriè, & in sua propria significatione, & dicitur esse in loco circumscriptiuè, quod nihil aliud est quam esse in loco, per commensurationem cum illo, ita vt totum locatum respondeat toti loco, & pars locati parti loci; dum ergo inquirimus an idem corpus pos-

sit esse in vno loco circumscriptiuè, & in alio non: Sensus est an corpus quod est in vno loco circumscriptiuè modo explicato, possit esse in alio modo indiuisibili, & quia hic modus essendi indiuisibiliter in corpore, non reperitur nisi in Corpore Christi Domini, in hoc altissimo Sacramento; propterea vocatur à Theologis hic modus, *vbi Sacramentale*, quod an addat aliquid supra Corpus Christi Domini, ex dicendis patebit.

Prima ergò circa præsentem difficultatem sententia est, quod idem corpus etiam per ordinem ad diuinam omnipotentiam nullo modo possit esse in vno loco circumscriptiuè, & in alio, vel aliis indiuisibiliter, & sic negant Corpus Christi Domini habere simul esse circumscriptiuè in Cælo, & Sacramentale in Sacramento. Ita Vuicleph. apud N. Vualdensem cap. 72: de Sacramentis, & omnes Calvinistæ, & illi omnes qui realem negant præsentiam corporis Christi Domini in hoc Sacramento.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Idem

nume-



numero corpus per absolutum Dei potentiam, potest simul, & semel poni in vno, vel pluribus locis indiuisibiliter, retento esse extenso quod habet in alio loco. Et sic Corpus Christi Domini retento esse extenso quod habet in Cælo, potest esse Sacramentaliter, imo de facto est in omnibus Sacramentis, quæ sunt in toto mundo. Hæc conclusio est de fide, & constat ex omnibus testimoniis quibus præcedenti conclusione probauimus præsentiam sacramentalem Corporis Christi Domini. si enim semel verum est, Corpus Christi Domini, verè, & realiter esse in hoc Sacramento, & ex alia parte non desinit esse in Cælo, patenter sequitur idem Corpus Christi Domini esse in Cælo extensum, & modo indiuisibile, seu Sacramentaliter in hoc Sacramento.

Probatur primo ratione: diuina omnipotentia ad id omne se extendere potest, quod contradictionem non inuoluit. Atqui idem corpus esse in vno loco extensiuè, & in alio, vel pluribus indiuisibiliter, nullam inuoluit contradictionem; er-

gò per diuinam potentiam fieri potest. Maior est commune omnium Philosophorum & Theologorum prouinciatum, & a nullo infideli, vel hæretico negatur. Minor probatur. Primo quia localis extensio non est de essentia corporis, sed quid accidentarium ob id què dicunt communiter Philosophi, vltimum Cælum non esse in loco, cum tamen sit verum, & proprium corpus ergò signum est localem extensionem non esse de essentia corporis. Secundo quia Deus est vnus, & simplicissimus, & tamen est penè in infinitis locis, cum sit præsens intimè rebus omnibus creatis. Vnde de hac mirabili Dei præsentia in rebus omnibus D. August. in Epist. 3. ad Volusianum sic fatetur: *miratur hoc mens humana, & quia non capit, fortasse non credit.* Nec valet dicere Deum esse in rebus omnibus tanquam in vno, & eodem loco, non in pluribus, & diffinitis; nam contra est, quia creet Deus alium, vel alios mundos ab isto diffitos, certè in illis præsens erit, sicuti est in isto; ergò &c. Hoc idem argumen-



cum de anima humana fieri potest, quæ tota reperitur in omnibus corporis partibus, & licet de facto sit in illis per modum vnius, tamen posset Deus facere quod si brachiū, vel pes abscindatur, in illis anima maneat, & sic in pluribus locis erit diuersis, & diffitis. Tertio quia vna, & eadem essentia Diuina, vt Lutherani, & Calvinistæ admittunt in tribus Diuinis Personis realiter ab inuicem distinctis reperitur ergo si vna, & eadem res potest esse in tribus personis realiter distinctis, quare vna, & eadem res non poterit esse in tribus, & pluribus loci distinctis? cum mirabilius, sit vt omnes fatentur vnam numero essentiam esse in tribus personis, quam quod idem numero Corpus in pluribus locis replicetur: natura namque Diuina cum personis identificatur, non corpus cum locis. Quarto quia maior vnio reperitur inter hypostasim, & naturam, quam reperiatur in locatum, & locum; sed vna, & eadem hypostasis duplici, & valdè diuersæ vnitur naturæ, vt patet in Christo Domi-

no; ergo etiam vnum, & idem corpus esse poterit in pluribus locis indiuisibiliter, & in vno extensè. Quinto, vna, & eadem indiuisibilis æternitas correspondet infinitis temporis partibus; ergo etiam idem corpus per Diuinam potentiam correspondere poterit pluribus locis, vni extensè, alii indiuisibiliter, seu Sacramentaliter. Vltimo quia non implicat plura corpora poni simul, & semel per Diuinam potentiam in vno, & eodem loco; ergo per ordinem ad eandem Dei omnipotentiam non implicabit idem corpus replicari in pluribus locis, non quidem extensiuè, sed in vno extensiuè, & in aliis indiuisibiliter. An autem ex hoc argumento colligi possit idem corpus posse replicari in pluribus locis extensiuè vt prætendunt Suarez, Lugo, & alij videantur N. Complur. loco citato.

Probatur secundo ad hominem contra hæreticos: non implicat vnum, & eundem spiritum esse in pluribus locis indiuisibiliter; ergo neque implicabit hoc de Corpore. Antecedens concedunt plures  
her



hæretici moderni, & colligitur manifestè ex dictis de anima rationali quæ per Diuinam potentiam conseruari potest in brachio abscisso; & de Deo qui cum totum replet hunc mundum, iuxta illud Prophætæ: *Cælum, & terram ego impleo dicit Dominus*, posset, imò de facto repletet, alium, vel alios multos ad inuicem dislitis si crearentur. Consequentia probatur: quia repugnat idem corpus, per illos, in pluribus locis replicari indiuisibiliter, quia non potest idem à se ipso diuelli, ac distrahi, euelleretur autem, & distraheretur si in pluribus locis etiam indiuisibiliter collocaretur. Sed hæc ratio nihil facit; ergò &c. Maior est ratio Petri Martyris hæretici. Minor probatur, quia spiritus, ut Deus, & anima rationalis, si pluribus collocaretur in locis, à se non distraheretur non euelleretur, non diuideretur; ergò nec corpus, vnitas namque rei non minus reperitur in corpore, quam in spiritu, & è contra; ergò si vnitas spiritus non tollit quominus non possit idem spiritus in pluribus

collocari locis, absque eo, quod distrahatur &c. ita & vnitas corporis. Soluuntur fundamenta hæreticorum.

Primum argumētum, quod erat Vuiclephi potissimum, fundamentum, est; Vnum, & idem Corpus non potest esse simul, & semel in duobus temporibus; ergo neque in duobus locis. Antecedens patet, nam implicat vnā, & eandem rem esse simul, & semel hoc anno, & sequenti, hoc mense, & sequenti, hac hora, & sequenti; hoc puncto, & sequenti. Consequentia probatur, quia ita se habet locorum diuersitas respectu vnus, & eiusdem rei, sicut se habet temporum diuersitas; ergo si vna, & eadem res nequit esse in duplici tempore, neque in duplici loco.

Respondetur concedendo Antecedens, & negando consequentiam: ratio disparitatis est, quia in vno est repugnatio, non in alio; cum enim de essentia temporis sit, quod sit fluens, & quod vna adueniente parte, vadat alia, & esset vnus, sit nō esse alterius, sequitur, quod si vna, & eadem



res in diuersis esset tēporibus, haberet esse, & non esse, quod implicat: non sic in loco, dum enim vna, & eadem res in diuersis reperitur locis, non sequitur quod habeat esse, & nō esse, quod implicat, sed solum sequitur quod habeat esse hic, & ibi, quod nullam inuoluit implicantiā. Igitur quod vna res in diuersis nequeat esse temporibus non nascitur ex ipsius rei natura, sed ex tēporibus ipsis, quæ simul esse nequeunt, cum semper fluant & refluant, &c.

Secundum argumentum, quod est fundamentum Caluini, & Petri martyris, est: Si vnum, & idem corpus esset in pluribus locis, simul esset vnum, & multa; hoc implicat; ergo & illud. Sequelam maioris ostendunt. Nam vnum, est ens diuisum in se, & diuisum à quolibet alio; Atqui id quod est in pluribus locis, est ens diuisum à se, Corpus nāq; Christi si in hoc esset sacramento esset diuisum à se prout est Cælo, nō enim Corpus Christi Domini prout est in alteri continuatur cum se ipso prout est in Cælo, ergo &c. id enī.

vnum esse nequit quod continuum non est, patet autem, quod inter Corpus Christi Domini in Cælo, & in Sacramento multa intermediant corpora, tantam causantia distantiam, quanta est à terra vsque ad Cælum Empireum.

Respondetur negando sequelam, ad probationem concedo maiorem intellectam de vera, & propria vnitāte, quæ ab intrinsecis desumitur principijs, vnitāte namque numerica cuiuscunque rei desumitur à materia signata quantitate vt supra disp. 1. quæst. 3. cum D. Thoma notauimus, vnde quādiū manet eadem materia, vt hanc, & non aliā præhabet quantitatem, semper manet idem numero indiuiduum. cum ergo in nostro casu, Corpus Christi, in Cælo, & in Sacramento, eandem semper retineat materiam, eandem quantitate sigillatam, sequitur quod semper remaneat idem numero corpus. Vnde Corpus Christi Domini prout in Cælo, & in Sacramento nec dicitur continuari, nec discentinuari, sed dicitur esse



esse idem hic, & ibi; nam ea solum continuari, vel discontinuari dicuntur, quæ sunt multa, cum autem in nostro casu non sit corporis plurificatio, sed vnitas, & vera, realisque identitas, nec continuari, nec discontinuari dicitur, & licet verum sit Cælum discontinuari à terra, cum inter Cælum, & terram multa inter cedant corpora, non tamen Corpus Christi quod est in Cælo, à se ipso discontinuari dicitur prout est in Sacramento; Vnde sensus in hac re corrigi debet, & imaginatio, quæ rerum diuersitates, à locorum diuersitatibus desumit, sed ratio attendi debet, quæ non à locis, sed à modo quem nos explicuimus desumit, cum prius sit rem esse vnã, quam esse in loco, & locus non nisi extrinsecè ad rei vniãtem se habeat.

Tertium argumentum. Si Corpus Christi Domini, quod est in Cælo cuiuscriptiuè poneretur etiam in hoc Sacramento, sequeretur quod esset in loco, & non esset in loco; hoc dici nequit, ergo; sequela maioris probatur, quia omne

quod est in loco, vel est circumscriptiuè, vel saltem taliter continetur à loco, vt non sit alibi; ergo si semel Christus Dominus est in hoc Sacramento, etiam modo indiuisibili, non erit in Cælo circumscriptiuè, & per consequens esset in loco, & non esset in loco &c.

Respondetur ex hoc argumento solum sequitur Corpus Christi Domini esse in loco, & non esse in loco respectu diuersorum, nam prout in Cælo est in loco circumscriptiuè, prout in Sacramento non est in loco circumscriptiuè, quod autem non est in loco circumscriptiuè, sed modo indiuisibili, non dicit de necessitate ita esse in loco vt non sit alibi, sed cum hoc etiam stare potest; quid autem sit præsentia Christi Domini in hoc Sacramento quæstione sequenti dicitur.

Quartum argumentum. Si Christi Domini corpus poneretur in Sacramento in quo antea non erat, vel eo venit per motum localem, vel ibi de nouo generatur; neutrum dici potest, ergo; non primum, quia



Christi Corpus non descendit de Cælo ad Sacramentum; neque secundum, quia id quod est, generari non potest.

Respondetur quod Corpus Christi Domini ponitur in Sacramento ubi non erat, non per motum localem, nec per generationem, sed per actionem conuersiuam substantiæ panis in ipsum, ut infra explicabimus, an autem Corpus

Christi Domini in Sacramento moueatur localiter, vel habeat partes sursum, & deorsum, & si moueatur hostia circulariter, moueatur, & Corpus Christi Domini, vel semper maneat immotum, sicut contingit in speculo, quod moto circulariter speculo, facies aspicientis immota manet, & alia huius generis, suis locis explicabuntur.

### QVAESTIO III.

#### *Quid sit præsentia Christi in Eucharistia.*

**E**xplicata reali præsentia Corporis, & Sanguinis Christi Domini in Eucharistia, explicare oportet quid illa sit. Pro quo breuiter nota duplicem distingui posse in Corpore Christi Domini in Eucharistia præsentiam: vnã ad species; alteram ad locum specierum, hæc supponit illam, quia prius est Christum Dominum fieri præsentem speciebus quã quod fiat præsens loco specierum,

& de vtraque aliquid dicitur de prima in hac quæstione de secunda in sequenti. Circa primam.

Prima difficultas est, an præsentia Sacramentalis secundũ quod dicit vnionem Corporis Christi Domini, cum speciebus sit aliquis modus, vel entitas super addita partibus vnitis, nempe Corpori Christi Domini, & speciebus, cuius officium sit vnire Cor-



pus Christi iisdē speciebus vel nō. Prima sententia est scoti in 4. dist. 10. quæst. 6. Gab. ibidem art. 2. & omnium nominalium qui dicunt nullam intercedere vnionem inter Corpus Christi Domini, & species Sacramentales.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Præsentia Sacramentalis Corporis, & Sanguinis Christi Domini ad species, est modus superadditus. Hæc conclusio est expressa D. Thomæ sententia in 4. dist. 11. q. 1. quæstiuncula prima ad primum, ubi habet: *Ad primum ergo, dicendum, quod verbum Damas. intelligendum est quantum ad species, quibus Corpus Christi diuinitati unitum, modo ineffabili coniungitur.* Vbi ut vides vult Angelicus præceptor Corpus Christi Domini vniri speciebus non immediate per se ipsum, sed medio modo ineffabili, quem modum Theologi vocant ubi Sacramentale, quia per illud fit Corpus Christi Domini præsens speciebus, quæ sunt Sacramentum in recto, ut supra probauimus: vnde D. Thomā

sequuntur communiter Theologi, tum intra, tū extra scholam Thomisticam, videatur N. Cornexus hic disp. 2. dub. vltimo. Suarez disp. 41. sect. 3: & disput. 58. sect. 1. & alii.

Probatur primo destruendo fundamentum oppositæ sententiæ; Sola præsentia corporis Christi Domini sine isto modo vnionis ad species non est sufficiens ad saluandam huius Sacramenti veritatem, ergo debet aliquid super addi per quod sufficiens fiat; hoc aliud esse nequit nisi modus vnionis, Corporis Christi Domini ad easdem species; ergo &c. Prima consequentia, & Minor subsumpta patent, si seruel Antecedens probetur: Antecedens autem probatur, quia ad saluandam huius Sacramenti veritatem, debet poni talis præsentia corporis Christi Domini, quæ impossibilitatem ponat cum substantia panis; sed sine illo modo vnionis ad species nihil ponitur impossibile cum substantia panis, ergo sine modo vnionis, huius Sacramenti veritas non saluatur. Maior patet,



tet, cum enim Corpus Christi Domini in hoc Sacramento non ponatur nisi ex vi transubstantiationis substantiæ panis, in ipsum, talem debet habere in hac Sacramento præsentiam, quæ impossibilitatem habeat cum substantia panis, si enim semel Corporis Christi Domini præsentia in hoc Sacramento impossibilitatem non haberet cum substantia panis, Corpus Christi ex pane non fieret, & fieri Corporis Christi Domini non esset desinere panis, Minor probatur, quia Corpus Christi Domini potest esse sub speciebus si mul cum substantia panis, cum sit modo indivisibili, ergo ut formaliter excludat eandem panis substantiã, debet ex vi transubstantiationis excludere unionem substantiæ panis ad accidentia, & ponere suam: cum enim substantia non sit solum intimè præsens accidentibus, sed illis vnita, ut corpus Christi Domini fiat ex substantia panis, & formalissimè excludat illam debet intrare in locum illius, & per consequens debet vniri speciebus sicut illa vniebatur,

alioqui ex illa non fieret. Vnde sicut in mysterio incarnationis præter præsentiam Verbi Diuini ad humanitatem, admittunt Theologi quemdam modum vnionis, quem hypostaticam vocant unionem, ita & in hoc mysterio, præter intimam corporis Christi Domini præsentiam ad species panis, debet dari istæ modus vnionis, præsertim quia sine illo plura quæ de hoc Sacramento dicuntur prædicata, verificari non poterunt, ut quod ad motum specierum moueatur Corpus Christi Domini, & quod ad illarum quietem quiescat, circumferatur, eleuetur, manducetur, &c.

Probaturo secundo: non potest poni noua denominatio realis, sine noua forma reali; sed corpus Christi Domini in Sacramento nouam habet denominationem realem intimæ præsentia speciebus Sacramentalibus; ergo debet habere nouam formam realem, hæc nõ potest esse, nisi aliquis modus superadditus; ergo: maior ex se nota est. minor probatur. Nam Corpus Christi Domini prius non erat præ



præfens, modo est præfens speciebus; ergò habet nouam præfentiam denominationem, quam prius non habebat. Nec valet dicere, hanc denominationem habere ex se sine alterius superadditione. Nam contra est, quia Corpus Christi Domini ex se non habet intimam cum speciebus præfentiam, alioqui illam semper haberet; non habet illam ratione indiuisibilitatis, quia per hanc non minus potest esse intimè præfens accidentibus, quam substantiæ; nec etiam dici potest quod habeat illam præfentiam ab actione transubstantiatiua, quia hæc actio per se, & ex vi sua solum habet conuertere substantiam panis in Corpus Christi, non ponere illud intimè præfens speciebus. Tum quia falsum est, quod Corpus Christi Domini solum sit præfens speciebus, & non vnitum illis, cum enim in locum succedat substantiæ, excepta inhærentia, munia substantiæ obire debet; hæc autem non solum intimè præfens erat accidentibus, verum etiam vnita illis; ergò &c.

Probatur tertio, quia si Corpus Christi Domini in Sacramento ultra intimam cum speciebus præfentiam, non etiam superadderet modum quendam, per quem iisdem speciebus copularetur, sequeretur quod virtute saltem Angelica posset ab illis separari; hoc dici nequit; ergò &c. Sequela maioris probatur; nam id quod nullam cum aliquo habet colligationem potest ab eo separari, vt videre est in Angelis damnatis, quando intimè præfentes sunt corporibus obsessis, & quando intimè præfentes sunt rebus quas mouent, vei in quibus operantur; licet enim Angelus non illabatur animæ, & potètijs eius, illabatur tamen corporibus, & potètijs omnibus corporalibus; ergò si Christus Dominus in Sacramento non nisi intimam habet cum speciebus præfentiam, non magis cum illis vnietur quam Angelus corpori; ergò sicut vnus Angelus potest alium à corpore in quo intimè præfens est expellere, hoc idem de Corpore Christi Domini fieri posset, quod nemo dicet. Et quia

argu-



argumenta quæ contra nostrâ fieri possunt conclusionem, ex dictis facile solui possunt, quo ad hanc difficultatem sisto, & ad secundam accedo.

Secunda difficultas est, quid sit hæc unio, & in quo consistat. Certum est non esse unionem hypostaticam, ut falsò aliqui putauerunt, unum namque corpus aliam non potest terminare naturam, hoc enim proprium est nature Diuinæ ratione suæ infinitatis, ut cum D. Thomâ ostendunt Theologi supra questione 3. est etiam certum hæc unionem non esse per continuationem; cum certum sit quantitatem Corporis Christi Domini, cum quantitate specierum non continuari. Etiam certum est hanc unionem non esse in ratione subiecti, & accidentis, cum certum sit accidentia panis, & vini, quæ post consecrationem remanent, Corpori Christi Domini, & eius Sanguini non inhærere, sed ab omni subiecto separata manere, ut infra dicetur.

Pater Suarez disput. 47. sect. 3. concl. 2. putant hanc unionem non esse formalem,

sed essentialiam, tam ex parte Corporis Christi Domini, quàm ex parte specierum: quod sic explicat, nam hæc unio ut se tenet ex parte Corpore Christi Domini agit in species ipsas conseruando, sicut à propria conseruarentur substantia si adesset: ex parte vero ipsarum specierum in hoc consistit, quod agat in corpus Christi Domini per attractionem, ipsum attrahendo, & sibi coniungendo, ad eum prorsus modum, quo magnes ferrum attrahit, & sibi coniungit.

Sed hanc P. Suarez sententiam optimè, & merito impugnat N. Cornexus ubi supra, quia quantum attinet ad id quod dicit de illa virtute attractiua specierum, sine fundamento ponitur: Nam in speciebus consecratis nihil poni debet quod ex vi verborum formæ non colligatur; atqui ex illis non colligitur illa virtus attractiua; ergo poni non debet; maior ab omnibus concedi debet; nam ex verbis formæ cuiuscunque Sacramenti, tota doctrina illius Sacramenti colligitur, ut est



est discurrere per singula. Minor etiam patet, quia Corpus Christi Domini, non ex virtute specierum attractiua, sub speciebus collocatur, sed per virtutem eorundem verborum: *Hoc est Corpus Meum: Hic est Calix &c.* si ergo Corpus Christi Domini ponitur sub speciebus ex vi verborum quorsum virtus attractiua in speciebus poni debet? vel enim verba media actione transubstantiatiua sunt sufficientia ad ponendum corpus, & Sanguinem Christi Domini sub speciebus vel non: si primum, virtus illa attractiua specierum superfluit: si secundum, defectus in verbis, & transubstantiatione ponitur, quod non est dicendum. Tum quia si daretur virtus attractiua in speciebus oportet quod ex vi transubstantiationis Corpus, & Sanguis Christi Domini intimè præsentia speciebus non ponerentur; sed hoc est falsum; ergo, & id vnde sequitur: maior patet, nam ne virtus attractiua sit frustranea oportet quod res attracta secundum se, & per se, non producat præsens attrahenti, si enim semel

res attracta per se attrahenti coniuncta producit, frustra datur in attrahente virtus attractiua; ergo cum in nostro casu Corpus Christi Domini ex vi verborum, & actionis transubstantiatiuæ ponatur in timè præsens speciebus, frustra daretur in illis virtus attractiua. Tum etiam quia, in accidentibus virtus attractiua non datur, respectu substantiæ, cum hæc intimè illis unita producat; ergo cum hoc idem contingat in nostro casu talis virtus attractiua dari nõ debet. Tum deinde, quia attrahi est violentari, motus namque attractionis violentior est, quam rei natura patiatur. Tum denique quia, quod attrahitur licet ab alio attrahatur, non ratione alterius, sed ratione sui mouetur ad motum alterius, sed immediate; atqui Corpus Christi Domini non nisi per accidens & ad motum alterius mouetur; ergo, &c.

Quantum vero attinet ad efficientiam illius vnionis pro se tenet ex parte Corporis Christi Domini, quod nimirum agat Corpus Domini in

Mm species



species ipsas conseruando, dico P. Suarez sententiam non posse sustineri: quod sic ostēdo, quia ex efficientia, præsertim instrumentali, vt est in præsentis; (non enim Corpus Christi potest esse causa principalis conseruationis specierum) colligi non potest præsentia intima causæ, non enim minus potest Corpus Christi Domini prout est in Cælo cōseruare species sacramentales quam prout est in Sacramento, ergo ex illa efficientia colligi nequaquam potest præsentia Corporis Christi Domini in Sacramento, & vnio illius cum speciebus: cum enim de ratione instrumenti non sit agere immediate inmediate suppositi, cum videamus Christi Domini humanitatem in Cælo existentem eleuari à Deo ad causandam gratiam in nobis, sequitur quod ex vi actionis instrumentariæ colligi non possit instrumenti præsentia. Tum quia si semel vnio requiritur ad ponendam actionem illam conseruatiuam, prius erit illam vnionem esse, quam conseruationem poni; ergo si semel Corpus

Christi Domini agit in species ipsas conseruando, non poterit per hanc actionem conseruatiuam fieri præsens speciebus, sed ad hanc, illis præses præsupponi debet. Hac ergo reiecta sententia, quid nos sentiamus sequenti conclusio ne explicabitur.

Vnio Corporis Christi Domini cum speciebus est formalis, & est quidam modus per quem Corpus Christi Domini, & eccidentia vniantur. Hanc conclusionem post D. Thomam, Caietanum, Paludanum, Soto, & Vasquez, sequitur N. Cornexus vbi supra.

Probatur, quia talis vnio inter Corpus Christi Domini & species consecratas debet poni, per quam saluari possint ea quæ de hoc Sacramento à Conciliis, & PP. dicuntur, præsertim, quoad motum localem, ita quod saluari possit quomodo ad motum specierum moueatur; sed ad hoc non sufficit illa effectiua vnio quam ponit Suarez, vt iam probatum est; ergo formalis poni debet. Minor probatur quia ex vi vnionis effectiue



non dicitur res moueri etiam per accidens, vt patet in ligno quod ab igne comburitur, nā ex hoc quod lignum moueatur non ob id mouetur ignis; ergò &c.

Sed dices cum Suarez, quod hæc vnio formalis nec potest esse substantialis, nec accidentalis; ergò non datur; quod non sit substantialis, patet, quia vnio substantialis inter terminos, vel extrema substantialia dari debet; quod hic non contingit: quod neque accidentalis, etiam patet, quia ad vnionem formalem accidentalem requiritur, quod extrema comparentur per modum actus, & potentiæ quod non contingit in nostro casu, ergò. Tum etiam quia ex vnione formali duorum extremorum, vnum tertium resultat, ex vtroque compositum; sed ex corpore Christi, & speciebus non resultat aliud quod ex vtroque formaliter compositum; ergò &c. Tum quia darentur duo modi præsentia, vnus ad species, alter ad locum specierum, quod non videtur dicendum; ergò, &c.

Respondetur hanc vnionem esse accidentalem, & ad modum subiecti cum accidente, relegata tamen in hærentia, ad quam vnionem non requiritur quod Corpus Christi Dñi & species cōparētur per modū potentiæ, & actus cum hæc sit propria eorum quæ vniuntur vel per modum materiæ, & formæ substantialis, vel per modum subiecti, & accidentis in hærentis; sed sufficit quod Corpus Christi Domini vniatur accidentibus, non tanquam subiectum in hærentis, sed vt quid succedens subiecto in hærentis, eadem tamen sublata in hærentis, qui modus vnionis cum sit supernaturalis & alterius ordinis non habet exemplum; ideoque non debet legibus, & conditionibus vnionis naturalis mensurari. Per quod patet ad primam probationem; resultat nanque ex tali vnione vnum tertium, sed ordinis altioris, nempe supernaturalis, propter quod vocatur iste modus à D. Thoma ineffabilis; vnde nullo modo placet quod dicit Vasquez istum modum vnionis Corporis Christi Domini ad species



esse similem illi quo Angelus est in loco, vt enim patet, & suo loco dicemus est omnino

diuersus: secunda probatio sequentem vocat quæstionem.

## QVAESTIO IV.

*An præsentia Corporis Christi Domini ad locum specierum, sit aliquid reale posituum, distinctum ab illa præsentia, qua Christus Dominus est præsens speciebus.*

**C**Um prius sit Christum Dominum in hoc Sacramento esse præsentem, & vnum speciebus, quam esse præsentem loco specierum, & hoc supponat illud, locus relinquitur inquirendi, an hæc præsentia Christi Domini ad locum specierum sit aliquid reale, & an sit quid à priori præsentia distinctum. Circa primum.

Prima sententia est, hanc præsentiam non esse quid reale, sed relationem rationis corporis Christi ad species, ratione cuius ita se illis exhibet, vt sine sui mutatione pos-

sit in illis, aut per illas, aut vbiunque ille fuerint esse, & operari. Ita Durandus 4. dist. 11. quæst. 1. Ad quam Durandi sententiam reuocari potest sententia doctoris subtilis 4. dist. 10. quæst. 1. art. 1. & dist. 11. quæst. 1. art. 1. 2. & 4. quatenus dicit Christi Domini præsentiam ad locum specierum esse relationem extrinsecus aduenientem, sed hæc sententia ex dicendis pro nostra explosa manebit. Inter eos qui volunt hanc præsentiam esse aliquid reale, est sententiarum varietas; nam Caietanus quæst. 79. art. 6. sentire vide-



videtur esse relationem realem prædicamentalem, quæ etiam sententia communiter impugnatur, cum nec vera, nec sufficiens sit; quod non sit vera, ex dicendis pro nostra cõclusionione patebit, quod neque sufficiens probatur, quia data hac relatione deberet eius supponi fundamentũ, quod certè aliud esse non potest, quã unio Corporis Christi Domini ad locum specierum; ideo enim resultat illa relatio indistantiæ, quia ponitur prius unio, quæ est eius indistantiæ fundamentum.

Nostra sententia sequenti explicatur cõclusionione. Præsentia corporis Christi Domini ad locum specierum est modus quidam realis superadditus corpori Christi Domini, quo medio redditur præsens loco specierum. Hæc conclusio est apertissima mēs Sancti Doctoris in 4. dist. 10. quæst. 1. art. 3. quæst. 1. ad primum ubi sic loquitur. *Comparatio Corporis Christi ad species sub quibus est non est similis alicui comparationi naturali: & ideo non potest reduci propriè loquendo ad aliquem*

*modorum à Philosopho assignatorum: tamen habet aliquam similitudinem cum illo modo quo aliquid dicitur esse in loco, secundum quod esse in loco est esse in aliquo separato extra substantiam suam, quod non est eius causa: & secundum hoc etiam Innocentius dicit: Corpus Christi esse in pluribus locis eo quod continetur sub pluribus speciebus. Hæc D. Thomas: ubi ut vides docet præsentiam, qua Christus Dominus est præsens speciebus, & est in pluribus locis ratione plurium specierum in pluribus locis existentium, est modus quidam Corpori Christi Domini superadditus, similis illi quo ipsæ species, & res aliæ sunt in loco. Unde D. Thomam sequuntur Capræolus in 4. dist. 10. quæst. 1. art. 3. Ferran. 4: contra Gent. cap. 63: Suarez Lugo, & alii hic.*

Probatur primo sacrosancti Concilii Tridentini auctoritate, sess. 13. cap. 1. ubi dicitur: *Neque enim hæc inter se pugnant, ut ipse saluator noster semper ad dexteram Patris in Calis assideat iuxta modum existendi naturalem, & ut mul-*



tis nihilominus alijs in locis Sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit, ea existendi ratione, quam & si verbis exprimere vix possumus, possibilitatem tamen esse Deo cogitatione fieri illi strata assequi possumus, & constantissimè credere debemus. Vbi ut vides clare innuit modum existendi Sacramentaliter sub speciebus & ratione quarum est multis in locis, non esse ipsum Corpus Christi Domini, sed quid illi superadditum, sicut est quid superadditum modus existendi in loco naturaliter, quæ habet in Cælo.

Probatum secundo ratione, quia Corpus Christi Domini in hoc Sacramento, dum circumfertur, dum mouetur ad motum specierum, mutat locum ratione illarum; ergo acquirit aliquem modum quem prius non habebat. Antecedens patet, & concedunt omnes; cum enim sit præsens speciebus, & loco illarum, sicut ille mutat locum, & ipsum Corpus Christi Domini locum mutare debet. Consequentia probatur, quia id quod alibi est, quam antea, & substantia-

liter diuersum replet spatium, quam antea, aliquid habere debet, quod antea non habebat; sic contingit in Corpore Christi Domini in hoc Sacramento, ergo &c.

Confirmatur, & explicatur hoc argumentum: quia non potest poni noua relatio realis propinquitatis, & distantie, sine aliquo reali superaddito; relatio namque realis, reale supponit fundamentum, & ubi ponitur noua relatio realis, nouum poni debet fundamentum; sed in Corpore Christi Domini sub speciebus, dum ad motum mouetur specierum, datur noua relatio realis propinquitatis, & distantie, ut patet; ergo nouum dari debet fundamentum, & per consequens, ille modus quo fit Corpus Christi Domini præsens ad locum specierum, aliquid reale esse debet.

Sed modo dubium est, an iste modus præsentie, quo Christus Dominus est præsens loco specierum, sit diuersus ab illo, quo est præsens ipsis speciebus, de quo quæstione præcedenti disputauimus. Et respondeo breuiter esse diuersum



sum, quod patet, quia modus quo Christus est præsens speciebus, inuariatus manet, quandiu manent species; at vero modus ille quo fit præsens spatio specierum, variatur ad motum earundem specierum; cum enim acquirat Christus Dominus per motum specierum nouam relationem propinquitatis, & distantiae debet poni nouum earundem relationum fundamentum, quod aliud certè esse nequit, nisi ille modus præsentiae ad locum, scù spacium specierum, vt patet. Sed restant aliquid difficultates breuiter enodandæ.

Prima difficultas est, ad quod prædicamentum reuocari debeat, hæc presentia Sacramentalis, scù, hæc presentia Corporis Christi Domini, & Sanguinis ad spatium, vel locum specierum. Et respondeo breuiter reuocari ad prædicamentum vbi. Ita Suarez loco citato concludit e 4 N. Cornexus vbi supra, & alii communiter, & colligitur ex citato Concilio Tridentini, & D. Thomæ testimonio. Et probatur breuiter

quia hic modus maximam habet cum vbi prædicamentali convenientiam, & maiorem quam habeat cum alio quocunque prædicamento: nam in Corpore in loco existente, præter superficiem ambientem, est modus præsentiae Corporis vt replentis hoc spatium, qui modus manet mutatis, scù fluentibus superficiebus ambientibus; ita pariformiter in Christi Domini Corpore, quod est præsens spatio specierum, quod ipse species replent, est modus qui manet, superficiebus materialiter fluentibus, & variatur, illis formaliter variatis, quod fit per earundem specierum motum localem. Differt tamen ab illo modo locali, quia per modum localem, scù vbi, res tota fit præsens toti loco, & pars parti, & modus Sacramentalis facit Corpus Christi Domini totum præsens toti loco, & totum cuiuslibet parti, sicut enim Corpus Christi Domini in Sacramento est totum in toto, & totum in qualibet parte specierum, ita per vbi Sacramentale fit præsens toti loco totum, & totum singulis partibus loci. Se-



Secunda difficultas est, an hæc præsentia Christi Domini ad locum specierum sit diuisibilis, vel indiuisibilis. Et respondeo cum Suarez. disput. 48. sect. 1. Cornexo, & aliis, hanc præsentiam esse diuisibilem ex parte subiecti, ex parte tamen spatii esse partim indiuisibilem, partim diuisibilem. Prima pars, quod sit diuisibilis ex parte subiecti, nempe Corporis Christi, patet: quia alia est præsentia capitis, alia manus, alia pedis, ex quibus de potentia Dei absoluta vna sine alia manere posset: non sic præsentia Angeli cum nullas habeat partes, sed sit prorsus indiuisibilis. Quod sit ex parte spatii quodammodo indiuisibilis etiam patet, quia facit illa præsentia Corpus Christi totum præsens toti spacio specierum, & totum singulis partibus illius spatii. Quod autem sit etiam per ordinem ad idem spatium illa præsentia partim diuisibilis, de quo est maior difficultas probatur, quia præsentia quam habet Christus Dominus in vna parte specierum Sacramentalium distin-

guitur ab illa, quam habet in alia parte; ergo est diuisibilis. Antecedens probatur, quia vna separabilis est ab alia. Vnde licet præsentia qua Angelus est præsens huic loco ex parte subiecti, sit prorsus indiuisibilis, ex parte tamen spatij diuisibilis est, dummodo sit Angelus in spatio, & non solum in puncto, vel in indiuisibili loci, quia locus est semper diuisibilis. Similiter licet anima rationalis sit indiuisibilis, & tota in toto Corpore, & tota in qualibet Corporis parte, tamen secundum quod medio Corpore est præsens spatio, quod occupat ipsum Corpus, eius præsentia, hoc modo est diuisibilis.

Tertia difficultas, an hæc præsentia Sacramentalis sit naturalis, vel supernaturalis. Pro huius difficultatis intelligentia nota, quod aliquid potest dici supernaturale proprie, & rigorose quoad suam substantiam, quia est ordinis supernaturalis, & diuini, in quantum est participatio Dei vt transcendit totam naturam creatam, & creabilem, quo modo



modo gratia, & omnia dona illius esse dicuntur] entia supernaturalia, & hoc modo praesentia Sacramentalis siue illa qua Christus Dominus est praesens speciebus, siue illa qua est praesens spatio specierum non est supernaturalis; non enim istae praesentiae sunt participationes Dei ut transcendit totam naturam creatam, & creabilem, cum modi quidam corporei, & materiales, sint in subiecto corporeo subiectati, & quaedam participatio modi essendi in loco substantiarum spiritualium, ut Angelorum, & animarum rationalium. Dicitur etiam aliquid supernaturale, non quia sit participatio Dei, entis supernaturalis; sed quia superat totam capacitatem naturae, & hoc dupliciter. Primo quoad modum ut est hominis resurrectionis; licet enim vita non excedat secundum se vires naturae, excedit tamen ratione subiecti nempe Corporis mortui; similiter visio non excedit vires naturae sensitiuae, excedit tamen quoad modum, & statum subiecti, ut in homine caeco contingit: & hoc modo

est certum apud omnes praesentiam Sacramentalem esse supernaturalem, cum superet naturae vires, saltem quoad modum, cum vnum corpus ponat praesens totum sub toto spatio specierum, & totum sub qualibet parte illius. Secundo potest aliquid superare totam naturae virtutem etiam quoad substantiam, ita quod non solum modus essendi illius superet absolute; & simpliciter totam naturae capacitatem, sed etiam substantia, & entitas eiusdem, ut quod duo corpora penetrantur, non solum est supernaturale quoad modum essendi corporum, verum etiam quoad substantiam & entitatem, & de hoc procedit praesens difficultas, circa quam. Prima sententia est, quod ista praesentia non sit supernaturalis quoad substantiam, & entitatem, sed solum quoad modum: ita Vasquez hic disp. 191. cap. 2. & tom. 2 in 1. par. disput. 214. num. 25 & 34. Herice 1: p. disput. 48. num. 4.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Non solum praesentia qua Christus



Dominus est præsens speciebus, verum etiam illa qua est præsens spatio specierum est supernaturalis, & miraculosa, & quoad modum, & quoad substantiam. Hæc est expressa D. Thomæ sententia infra quæst. 76. art. 7. cuius in corpore habet: *Corpus Christi secundum modum essendi quem habet in hoc Sacramento, neque sensu, neque imaginatione perceptibile est, sed solo intellectu qui dicitur oculus spiritualis. Percipitur autem diuersimode à diuersis intellectibus: quia enim modus essendi quo Christus est in hoc Sacramento est penitus supernaturalis à supernaturali intellectu, &c.* Vbi ut vides vult Angelicus magister modum quo Christus Dominus est in Sacramento esse penitus supernaturalem, quod verum non esset si quoad substantiam esset naturalis, & solum supernaturalis quoad modum. Propterea D. Thomam sequuntur eius expositores, vnde non est necesse in illis referendis immorari. Cuius rei ratio patet ex dictis, quia implicat dari uiribus naturæ aliquam

entitatem etiam materialem, & corporalem, quæ habeat vim, & efficaciam ponendi vnum corpus ad modum substantiæ sub accidentibus, & totum sub illis totis, & totum sub qualibet parte illorum, similiter quod idem corpus sit præsens toti spatio specierum & totum singulis partibus eiusdem spatii. Vnde licet Angelus naturaliter, licet indiuisibilis sit, possit esse in loco diuisibili non tamen Corpus in loco indiuisibili, cum enim Angelus sit in loco per operationem, non mirum quod possit esse in loco diuisibili, cū possit in talē locū operari, nō sic Corpus cū naturaliter in loco essendō possit nisi circūscriptiue

Quarta difficultas est an præsentia Corporis Christi Domini sit definitiua. Lugo disput. 3. num. 183. dicit hanc quætionem esse de vocibus, nam certum est ex vna parte Corpus Christi in hoc Sacramento non constitui definitiue in actu secundo, ita ut de facto non sit extra terminos ipsius, cum de facto sit in cælo, & in aliis Sacramentis, dicit tamen hanc præsentiam de  
fini-



finitiuam dici posse, quatenus ex se habet continere Corpus Christi intra aliquod spatium finitum, quodcunque illud sit, ita ut extra illud esse non possit.

Sed hæc doctrina est contra D. Thomam infra quæst. 76. art. 5. ad primum ubi sic loquitur: *Corpus Christi non est in hoc Sacramento definitiuè, quia sic non esset alibi quàm in hoc alteri, ubi conficitur hoc Sacramentum, cum tamen sit in Cælo in propria specie, & in multis aliis altaribus sub specie Sacramenti.* Nec verum est, quod præsentia Sacramentalis definitiuam dici possit quia habet continere Corpus

Christi intra aliquod spatium finitum. Nam ut volunt omnes, & ipse Lugo vult, supra disput. 4. sect. 6. num. 120. per se loquendo materia consecrabilis nullum sibi præfigit magnitudinis terminum, licet per accidens, eo quod non potest esse præsens, sibi præfigat. per hæc ergo patet præsentiam Sacramentalem nec esse circumscriptiuam ut patet, nec definitiuam, sed aliam altiore, & superiore quam vocant Theologi Sacramentalem, per quàm Corpus Christi Domini, ita fit præsens hic, ut non dicat esse, vel non esse alibi, quod magis ex sequenti quæstione patebit.

## QV AEST IO V.

*An præsentia Sacramentalis Corporis Christi Domini in Eucharistia pendeat à naturali eiusdem.*

**C**onueniunt Theologi, quod ex rei natura Sacramentalis præsentia Christi Domini in Eucharistia ab eius



naturali non pendeat, nec cū illa necessariam habeat connexionem, poterat namque Deus ante Incarnationis Mysterium, Panem, & Vinum in Corpus, & Sanguinem Christi Domini transubstantiare, & sub illorum accidentibus, vt ponitur modo ponere. Cuius rei à priori ratio est, quia præcessio naturalis rei, quæ est terminus ad quem transubstantiationis, per accidens se habet ad rationem formalem transubstantiationis; ergò perinde est quod supponatur, vel non supponatur, ad hoc vt aliquid in illam substantialiter conuertatur. Antecedens ex dicendis de transubstantiatione patebit, nam cum transubstantiatio sit conuersio vnius substantiæ in aliam, & ad hoc non requiratur quod substantia in quam alia conuerti debet præexistat, imo potius oppositū petat, sequitur quod ad Diuinam attendendo omnipotentiam, ad hoc vt substantia panis in Corpus Christi Domini conuertatur, non requiritur, quod idem Corpus Christi Domini antecedit. Et sic poterat Deus ante Verbi

Diuini Incarnationem hoc Sacramentum instituere eodem modo, ac est nunc, & per eadem verba. In hoc conueniunt omnes, vt testatur Lugo disp. 5. sect. 8. num. 187. Difficultas solum est, an de facto ex institutione huius Sacramenti præsentia Sacramentalis à naturali dependeat, ita, quod si de facto Corpus Christi Domini desineret esse in Cælo, desineret esse in Sacramento.

Prima sententia est, quod præsentia Sacramentalis Corporis Christi Domini de facto nõ depēdeat à præsentia naturali eiusdē Christi Domini. Hæc sententiam defendit Lugo vbi supra num. 191. cuius fundamenta postea adducentur, & soluentur.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. De facto præsentia Sacramentalis Christi Domini dependet à naturali eiusdem, ita quod si Christus in Cælo desineret esse, Sacerdos proferens consecrationis verba supra debitam materiam non consecraret, & si desitio Christi in Cælo fieret post consecrationem, statim



tim defineret esse Corpus Christi Domini sub speciebus. Hæc est plana sententia D. Thomæ, & Thomistarū, quæ sequitur Suarez dis. 48. sect. 2. cōcl. 2.

Probatur auctoritate Sancti Thomæ supra quæst. 64. art. 3. ubi habet: *Interiorem Sacramentorum effectum operatur Christus, & secundum, quod est Deus, & secundum, quod est homo, aliter tamen, & aliter: nam secundum quod est Deus operatur in Sacramentis per auctoritatem, secundum autem quod est homo operatur ad interiores effectus Sacramentorum meritorie, & effecienter, sed instrumentaliter. dictum est enim quod passio Christi, quæ competit ei secundum humanam naturam causa est nostræ iustificationis, & meritorie, & effectiue: & post pauca explicans potestatem excellentiæ quam habet Christus in Sacramentis dicit consistere in quatuor: Primo quidem in hoc quod meritum, & virtus passionis eius operatur in Sacramentis. Secundo quod eius nomine Sacramenta sanctificantur; & quia ex eius institutione Sacramenta virtu-*

*tem obtinent, inde est quod tertio ad excellentiam potestatis Christi pertinet, quod ipse qui dedit virtutem Sacramentis potuit instituire Sacramenta. Quarto ad excellentiam potestatis Christi pertinet, quod ipse potuit effectum Sacramentorum sine exteriori Sacramento conferre. Vbi ut vides vult Angelicus doctor quod ad Sacramenta, & ad effectus illorum duæ causæ concurrant: Deus ut causæ principalis, & Christus Dominus ut instrumentum coniunctum, & per potestatem excellentiæ; ergo si desit Christus quoad esse naturale desinet idē Dominus, quoad esse Sacramentale; quod sic D. Thomæ rationem exponendo demonstro.*

Quotiescunque aliquis effectus ex sui institutione, à duplici causa dependet tum in suo esse, tum in sui conseruari, si altera illarum desit, & ille effectus desinet; Atqui Sacramentum Eucharistiæ, tum quoad suum fieri, tum quoad suum conseruari, ex sui institutione à duplici causa dependet, nempe à Deo tanquam à causâ principali, & à Christo



vt homini tamquam à causa instrumentali; ergò si altera desit nec effectus ponetur, nec positus connaturaliter conferuabitur. Maior videtur lumine naturæ nota; effectus namque connaturaliter nec poni, nec conferuari potest, sine illis causis, seu sine influxu illarum causarum à quibus connaturaliter, & ex sui institutione dependet. Minor est etiam certa, tum ex D. Thomæ doctrina tradita, tum ex ratione ipsa, nam in omnium sententia Catholicorum, est certum hoc Sacramentum à Christo vt homine tamquam ab instrumento diuinitati cōiuncto, fuisse institutum; est etiam certum Sacerdotem in virtute eiusdem Christi Domini hoc Sacramentum conficere, seu primo ponere; ergò debet etiam esse certum in virtute eiusdem Christi Domini hoc Sacramentum conferuari, & per consequens certum esse debet de facto præsentia Sacramentalem Christi Domini in Eucharistia dependere à naturali eiusdem, si enim semel non dependeret de facto, supposita huius Sacra-

menti institutione, posset etiam poni Sacramentalis præsentia à Sacerdote, & non in virtute Christi, secundum esse naturalem quod habet in Cælo, quod nec Lugo, nec alius cordatus dicere audebit.

Confirmatur ex eodem Sancto doctore præcedens eiusdē Sanctus Doctoris ratio; Nam vt ipse Sanctus Doctor in citato habet testimonio, Sacramenta habent virtutem à passione Christi Domini, & meritorie, & efficienter; ergò sublata passione, Sacramenta prout de facto instituta sunt non erunt, sed desinente Christo Domino secundum esse naturale, passio non maneret; ergò, neque Sacramenta manebunt. Antecedens est D. Thomæ. Consequentia ex Antecedenti colligitur; nam sublata causa, aufertur effectus, ergò si semel passio Christi Domini secundum præsentem Sacramentorum institutionem est causa, & meritoria & efficiens Sacramentorum, passione sublata connaturaliter, & ipsa Sacramenta aufertur: dixi connaturaliter, quia



quia non nego quin Deus posset per absolutam potentiam & Sacramenta ponere, & conseruare, sicuti, & poterat ante Christi Dominii Incarnationem; licet enim modo ex sua dignatione voluerit sibi associare causam instrumentalem, quoad fieri Sacramentorum, & quoad conseruari huius Sacramenti post ipsius fieri, tamen potest hæc societatem eliminare, & solus illa præstare: hoc tamen nõ facit quominus de facto non dependeant etiã à causa illa instrumentali, quã ex infinita sua dignatione sibi voluit associare,

Respondeo Lugo vbi supra n. 193. in hæc verba: sine fundamento ponitur humanitas Christi habere illum concursum Physicum instrumentalem ad omnes effectus Sacramentorum; deinde licet hoc gratis admittatur, non sequitur ex hoc quod prærequiratur Corpus Christi alibi existens cum præsentia naturali; sufficeret præsupponi Corpus præsens prius natura, præscindo ab hac, vel ab illa præsentia: & n. 199. dicit præsentiam Sacramentalem non pendere

necessario à præsentia Corporali, sed ad summũ prærequiri Christum, vel fortasse solam animam illius.

Nam contra est, quia imprimis ad hoc vt cum maximo fundamento dicatur Christi Domini humanitatem habere concursum physicum instrumentalem ad omnes Sacramentorum effectus Angelici Doctoris auctoritas satis superq; sufficiens est; deinde quando D. Thomæ auctoritas fieri facienda esset, pluris tamẽ esset facienda plurium Doctorũ auctoritas quos longa manu referunt scribentes. Vnde Suarez supra disp. 9. sect. 2. habet hæc verba: *Hæc sententia est iam communis in schola D. Thomæ, & mihi videtur valde cõsentanea dignitati nostrorũ Sacramentorum* &c. qui enim ponunt efficientiam physicam instrumentalem, illam a fortiori admittunt in Christi Domini humanitate, cũ sit fortior virtus instrumenti coniuncti, quam separati. Sed de hac materia videatur ea quæ docuimus de Sacramentis in genere disput. 4. quæst. 2. vbi huius sententiæ plura, & grauissima assi-



gnauimus fundamenta.

Nec placet quod dicit Lugo, quod dato requiri Corpus Christi præsuppositū, non esse necesse præsupponi præsentia naturali, sed sufficere præsupponi natura prius præindēdo ab hac, vel illa præsentia. Nā secundum præsentem institutionem non supponit præsentia Sacramentalis Corpus Christi præfens in aliquo priori naturæ, vel præfens in alio Sacramento, vel solum secundū animā, sed supponit præsentia Sacramentalis, Corpus Christi Domini præexistere præsentia naturali; secundū enim eam rationē supponitur Corpus Christi extra Sacramentū secundū quam illud instituit, cū autē illud instituerit, vt erat præfens secundum præsentiam naturalem, & non solum secundū animam, secundum eandem præsentiam naturalem supponi debet, & si alio modo supponeretur, non esset secundū præsentem institutionem. Tū quia, vt rectè docet Suarez præsentia Sacramentalis in alio loco est merè accidentalis, & contingens. Tum etiam quia Christus Domi-

nus non concurrit cum omnibus Sacramentis, vt Sacramentatus est, seū prout est sub hoc Sacramento, seū prout dicit præsentiam Sacramentalem, sed vt naturali modo existit; licet enim Deus posset vt Corpore Christi Domini cum præsentia Sacramentali ad alios quos producendos effectus, tamen de facto non ita facit, si gratiam Sacramentalem huius Sacramenti excipias, quā diximus suprā produci ab speciebus, & Corpore Christi Domini per modum vnus instrumenti, nec enim alia Sacramenta, nec effectus illorum, efficienter causantur ab hoc Sacramento, licet causentur in genere causæ finalis, vt supra disput. 3. quæst. 2. & 3. docuimus. Tum denique, quia Sacerdos dum hoc, & alia conficit Sacramenta, operatur vt minister Christi, & eius personam repræsentat, non operatur autem, vt minister Christi Sacramentati, nec eius personam, vt sic repræsentat, cum vt sic non agat, non ponat, nec hoc, nec alia Sacramenta. Et si dicas cum illo auctore sufficere, quod Chri-



Christus existat secundum animam, ad hoc ut quis dicatur agere in persona illius. Contra est, quia in tantum Sacerdos dicitur operari in persona Christi in quantum facit quod fecit Christus, & per virtutem ab eo receptam, patet autem quod Christus secundum animam non consecrauit, proferendo verba humana; nec secundum animam præcisè virtutem dedit Sacramentis, sed secundum totum; habent namque Sacramenta virtutem à passione Christi non ab anima præcisè: fluxerunt Sacramenta ex latere Christi non ab anima. Soluuntur argumenta sententiæ oppositæ.

Primum argumentum est. Præsentia naturalis Christi Domini supponit solum in priori natura, ipsum Christum; ergò etiam præsentia Sacramentalis eiusdem, debet solùm supponere in priori natura eundem, tanquam causam efficientem præsentia Sacramentalis. Antecedens est certum præsentia saltem in priori natura supponere debet subiectum quod præsens facit. Consequètia patet ex paritate rationis.

Respondetur concedendo Antecedens, & negando, de causalitate efficienti, Consequentiam; licet enim verum sit omnem præsentiam præsupponere in priori saltem natura subiectum, quod præsens redditur (subiectum enim suo accidenti supponitur) hoc tamen est solum verum in genere causæ materialis non efficientis, si enim ut fatetur Lugo præsentia naturalis Christi Domini solum eundem dominum supponit in genere causæ materialis, quare præsentia Sacramentalis debet supponere eundem dominum in genere causæ efficientis? Imo dato quod præsentia naturalis Christi Domini causaretur efficienter ab eodem Domino naturaliter considerato, prout in priori natura præcedit propriam præsentiam naturalem, adhuc hoc dici non posset de corpore Christi Domini Sacramentaliter, & ratio est quia licet in genere causæ materialis propriam præcedat præsentiam, in genere tamen causæ efficientis, & formalis præsentia ipsa præcedit, non est enim Corpus Christi Domini præ-



sens tum speciebus, tum loco specierum ratione sui, sed ratione præsentia; præsentia nãque est illa quæ unit Corpus Christi speciebus, & spatio specierum, vt ex dictis supra satis superque liquet,

Secundum argumentum; quia ponamus consecratione facta destrui humanitatem Christi Domini in Cælo, & perseverare in Eucharistia, tunc posset alibi Christus Dominus consecrari, & poni sub aliis speciebus; ergo signum est præsentiam Sacramentalem à naturali non dependere.

Respondetur negando præsuppositum, vt enim patet ex dictis, secundum præsentem huius Sacramenti institutio-

nem Christus Dominus secundum suum esse naturale est instrumentum diuinitati coniunctum ad omnes Sacramentales effectus, vnde si huius instrumenti coniuncti influxus cessaret, nec Sacramenta ponerentur, nec conseruarentur secundum præsentem exigentiam; an aliunde posset Deus si vellet conseruare, iam patet ex dictis in huius quæstionis principio, licet enim de facto dependeat Sacramentalis præsentia à naturali, ex natura tamen rei non dependet, vnde posset Deus conseruare Corpus Christi in Sacramento, & in Cælo destructo, & econtra.





# DISPV TATIO

## S E P T I M A.

*De absentia Panis, & Vini in Eucharistia,*

**V** Arij fuerunt antiquorum hereticorum errores, & varij sūt nouiorum, circa substantiam panis, & vini in hoc Sacramento, Berengariani namque teste Guitmundo in lib. quem contra illos scripsit, volebant post consecrationem manere verum panem, & vinum simul cum Corpore Christi, & eius prætioso Sanguine. Alij eodem auctore teste volebant solam panis, & vini partem post consecrationem manere. Alii voluerunt materiam panis, & vini mutari in Corpus, & Sanguinem Christi Domini, formam tamen manere. Lutherus dicit primo, non esse articulum fidei vtrum panis maneat. Secundo dicit videri sibi probabilius, & conformius

scripturis, vt panis maneat.

Durandus in 4. dist. 11. quæstion. 3. docet in hoc Sacramento conuerti formam panis in Corpus Christi, manere tamen materiam, quæ Christi Domini anima informetur, ad eum modum quo cibus in carnem nostram conuertitur, remanet namque materia cibi conuersa eiusdem cibi forma.

Celebris fuit Ruberti Abbatiss Tuiti. sententia, quod panis Eucharistiæ hypostaticè à Verbo assumeretur, eororsus modo, quo natura humana à verbo assumpta est: ita expresse docet lib. 6. in Ioan. exponens illa verba; *Panis quem ego dabo caro mea est* &c. quam assumptionem vocabat Impanationem, sicut assum-



ptionem carnis vocamus In- alii errores mancant exclusi  
 carnationem. Vt ergo, & hi sit.

## QVAESTIO I.

*An post consecrationem maneat in Eucha-  
 ristia substantia panis, cum  
 propria suppositalitate.*

**P**rima sententia fuit Be-  
 rengarij post secundam  
 retractationem sui primi erro-  
 ris, quam sequuti sunt Vucle-  
 ph, & alii plures, quod in Eu-  
 charistia, substantia panis, &  
 vini, cum propria maneat  
 suppositalitate, vnita cum cor-  
 pore, & Sanguine Christi Do-  
 mini accidentaliter, ad eum-  
 modum quo duo supposita v-  
 niri possunt, & localiter con-  
 iunguntur cum differentia tamen  
 quod substantia panis, & vini  
 cum antiqua maneat exten-  
 sione; corpus autem, & San-  
 guis Christi Domini nequa-  
 quam, sed cum substantiis illis  
 penetrentur: hic erat Secun-  
 dus Berengarij error; Prior  
 namque erat, quod Corpus, &  
 Sanguis Christi Domini post

consecrationem in Eucharistia  
 nullo modo maneret.

Nostra sententia sequenti  
 explicatur conclusione. Post  
 consecrationem nullo modo  
 substantia panis, & vini cum  
 propria manet suppositalitate  
 Hæc conclusio est de fide,  
 in multis definita Conciliis,  
 præsertim in Lateranensi, &  
 habetur cap. firmiter, de sum.  
 Trinit. & fide Cath. In Con-  
 stantiensi sess. 8. vbi damnan-  
 tur Vuiclephi errores, idem-  
 sentientis. In Concilio Roma-  
 no, vbi Hussitarum damnati  
 fuere errores. In Concilio  
 Florentino in litteris vnionis,  
 & tandem in Tridentino sess.  
 13. cap. 4. vbi dicitur: *decla-  
 rat Sancta synodus per conse-  
 crationem panis, & vini, con-  
 uer-*



*uerſionem fieri totius ſubſtan-  
tie panis in ſubſtantiam Cor-  
poris Chriſti Domini noſtri,  
& totius ſubſtantia vini in  
ſubſtantiam Sanguinis eius :*

Quæ conuerſio fieri nequa-  
quam poſſet, ſi ſubſtantia pa-  
nis, & vini poſt conſecratio-  
nem maneret. Et can. 2. dicitur : *Si quis dixerit in Sacra-  
mento remanere ſubſtantiam  
panis, & vini, una cum Cor-  
pore, & Sanguine Domini no-  
ſtri Ieſu Chriſti &c. anathe-  
ma ſit.* Hoc idem docent ſan-  
cti Patres quos longa manu  
reſert Suarez hic diſput. 49.  
ſect. 2. concl. 2. Vaſquez diſp.  
180. cap. 3. & alii.

Placet ſolum referre testi-  
monium N. S. P. Cyrilli Hieros.  
Catech. 3. myſtag. ubi ſic fa-  
tur : *Hoc ſciens, ac pro certissi-  
mo habens panem hunc qui vi-  
detur, non eſſe panem, & etiam  
ſi guſtus panem eſſe ſentiat.*

Prima ratio pro ſtabilienda  
noſtra concluſione eſt Sancti  
Thomæ hac quæſtione 75.  
art. 2. Si ſubſtãtia panis (idem  
dicendum de ſubſtantia vini)  
poſt conſecrationem maneret  
tolleretur huius Sacramenti  
veritas; Atqui hoc dici non

potest, nec de facto dicitur  
ab illis contra quos disputa-  
mus; ergo &c. Maior probatur  
Nam ad hoc quod Corpus  
Chriſti Domini quod ante cõ-  
ſecrationem non erat, ſit poſt  
illam ſub panis ſpeciebus, vel  
debet eſſe per motum loca-  
lem, vel per conuerſionem al-  
terius in ipſum, vt patet de  
igne qui ſi in aliqua domo non  
ſit, poni non poteſt niſi vel de-  
feratur, vel de nouo produca-  
tur per nouam eiſdem ignis  
generationem; ſed Corpus  
Chriſti Domini non incipit  
eſſe in Sacramento per motũ  
localem; ergo per conuerſio-  
nem. Maior patet. Nam,  
cum Corpus Chriſti Domini  
in Sacramento non ſit per ge-  
nerationem, nihil aliud reſtat  
per quod ibi eſſe poſſit, niſi  
vel per motum localem, vel  
per conuerſionem. Minorem  
probat D. Thomas, quod ni-  
mirum non poſſit Corpus  
Chriſti Domini eſſe in Sacra-  
mento per motum localem.  
Primo, quia ſequeretur quod  
deſineret eſſe in Cælo, quod  
enim localiter mouetur, vnũ  
locum deſerit, alium acquirit.  
Secundo quia omne Corpus  
loca-



localiter motum, pertansit omnia media, quod hic non contingit. Tertio quia impossibile est quod vnum, & idem corpus simul, & semel ad diuersa moueatur loca, cum tamen in pluribus locis Corpus Christi in hoc Sacramento contineatur. Ergo restat solum, quod Corpus Christi in hoc Sacramento ponatur per conuersionem panis in illud, quod autem in aliud conuertitur de necessitate esse desinit.

Secunda D. Thomæ ratio est, quia si substantia panis in hoc remaneret Sacramento verba formæ verificari non possent, non enim posset dici: *Hoc est corpus meum*. si semel panis ibi remaneret; sed solum dici posset, *hic est corpus meum*.

Sed hanc D. Thomæ rationem impugnant Scotus in 4. dist. 11. quæst. 3. Durandus ibidem quæst. 1. Palud. quæst. 2 & alij, quia licet sub speciebus maneat substantia panis, si tamen semel adest etiam Corpus Christi Domini, verè, & propriè dici potest: *Hoc est Corpus meum*, cum enim illud pronomen, *hoc*, Corpus Chri-

sti Domini designet, & ibi reuera sit, sufficienter per tale pronomen potest demonstrari, licet enim ibi etiam sit substantia panis, cum tamen etiã ibi sit Corpus Christi, quod est nobilius & dignius, pro hoc, non pro illo, stabit tale pronomen; si enim quis crumenam habeat, in qua sit aurum; & etiam quid argenti, potest quis in sermonis proprietate dicere ostensa crumena: *Hoc est aurum*.

Sed non benè D. Thomæ ratio ab illis impugnatur auctoribus, ea etenim vitur etiam Tridentinum sess. 13. cap. 4. dicens: *Quoniam autem Christus redemptor noster corpus suum, id quod sub specie panis offerrebat, vere esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo Sancta hec Synodus declarat, per consecrationem panis, & vini conuersionem fieri totius substantiæ panis in substantiam Corporis Christi Domini nostri &c.* Vbi ut vides apertè docet Concilium, Ecclesiam bebe collegisse substantiæ panis definitionem, ex vi verborum formæ, qua vsus est Christus, cum



cum dixit: *hoc est Corpus me-*  
*us*. Pro quo nota, pronomen,  
*hoc*, posse cadere, vel supra  
 rem, quæ vel suapte natura a-  
 liam continet, vel etiam arte  
 & usu, & tunc tale pronomen  
 sufficienter rem contentam  
 denotare, vel designare po-  
 test, vt quia vinum contineri  
 solet in dolio, aurum in cru-  
 mena &c. ideo demonstrato  
 dolio, vel demonstrata cru-  
 mena potest quis dicere, *hoc*  
*est vinum, hoc est aurum &c*  
 Aliquando vero pronomen,  
*hoc*, cadit supra rem, quæ ne-  
 utro ex illismodis aliam solet  
 continere, vt triticum, panē  
 vinum, &c, & tunc si istis de-  
 monstratis dicat quis, *Hoc est*  
*&c.* solum demonstratum ve-  
 nit, non id quod forte est in  
 demonstrato, vt si intra panē  
 sit vinum, vel lignum, vel a-  
 liud simile corpus, & quis o-  
 stenso pane dicat, *hoc est cor-*  
*pus*, omnes intelligent non  
 de alio corpore contento, sed  
 de ipso continente. Cum er-  
 go in casu nostro panis, &  
 vinum non sint res ordinatæ  
 ad corpus Christi Domini cō-  
 tinendum, ex natura, e arte  
 te, ex usu humano, si quis di-

cat: *hoc est corpus meum* non  
 intelligitur venire Corpus  
 Christi Domini sub illo pa ne  
 contentum, sed panis ipse ve-  
 nire intelligitur. vnde quan-  
 diu substantia panis contine-  
 tur, excludi non potest à signi-  
 ficatione per pronomen, *Hoc*,  
 per quæ patet ad ea quæ con-  
 tra D. Thomæ rationem affe-  
 runtur.

Tertia D. Thomæ ratio est,  
 quia si semel panis substantia  
 simul cum Corpore Christi  
 Domini post consecrationem  
 maneret, daretur aliqua sub-  
 stantia creata in hoc Sacra-  
 mento, quæ non posset latriæ  
 adoratione adorari, hoc est  
 contra huius Sacramenti ve-  
 nerationem; ergo Maior pa-  
 tet, substantia namque panis  
 non est latriæ adorationis ca-  
 paz. Minor probatur, quia  
 si semel aliquid in hoc Sacra-  
 mento daretur quod adora-  
 tionis capax non esset, occa-  
 sio præberetur multis, prop-  
 ter idolatriæ periculum, non  
 adorandi hoc Sacramentum.

Quarta D. Thomæ ratio  
 est, quia post vnā hostiam  
 potest quis aliam sumere,  
 quia est ieiunus, vt enim in-  
 fra



fra patebit, à ieiunis est hoc Sacramentum sumendum. Sed si semel cum Corpore Christi Domini etiam panis esset substantia, post vnam hostiã non posset aliam sumere, cum

amplius ieiunus non esset; ergo &c. Argumenta hereticorum non refero, & quia leuia sunt, & quia ex dictis soluta manent.

## QVAESTIO II.

*An in Eucharistia maneat substantia panis, & vini sine propria suppositualitate. Christo tamen Domino hypostaticè vnita, ubi alie difficultates breuiter resoluuntur.*

**P**Artem affirmatiuam docuit primo quidam Ioannes Parisiensis apud N. Vualdensem de Sacram cap. 65. num. 1. ita quod substantia panis non vniretur immediate verbo diuino, vt vnitur in Christo eius humanitas, sed mediante corpore Christi. Quam sententiam Picus Mirandulanus in Apologia questione. 6. dicit non esse contra Patrum doctrinam. Eandem sententiam tenuit Rubertus Abbas ad cap. 6. Ioannis, &

lib. 2. de diuinis officiis cap. 2 & 9. licet Suarez, vt Rubertum excuset dicat, illa commentaria in Ioannẽ, & libros illos de officiis non esse Ruberti.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Nullo modo substantia panis manet Verbo diuino hypostaticè vnita, in hoc Sacramento. Hæc conclusio est de fide, licet enim nullibi definitum reperiat substantiam panis non esse hypostaticè Verbo diuino



diuino; vel immediatè, vel mediatè vnitam, est tamen definitum substantiam panis in Sacramento non manere; similiter est de fide substantiam panis in Corpus Christi Domini transubstantiari; ergò etiam de fide erit substantiam panis non manere etiam Verbo Diuino hypostaticè vnitam.

Probatur conclusio ex illo Matth. 26. *Hoc est Corpus Meum quod pro vobis tradetur* At Corpus panaceum, non fuit pro nobis traditum; ergò corpus datum tunc discipulis comedendum, non fuit corpus panaceum. Nec valet dicere quod de corpore panaceo, corpus carneum prædicari, ratione vnionis hypostaticè, potuisse: poterat enim dici. Hic panis est corpus illud, quod pro vobis tradetur, & hic panis est caro mea, pro mundi vita, sicut dicis Hic homo est Deus, & hic Deus est homo. Nam contra est, quia diuersarum naturarum prædicatio, tunc valet ratione hypostaticæ vnionis, quando vt tota, & integra supposita significantur; non enim dici-

mus signato Christo Domino, hoc corpus est anima, & è contra; At qui corpus panaceum, & corpus carneum in Christo, non sunt huiusmodi; non enim sunt tota, & integra supposita; ergò nequeunt ad inuicem prædicari.

Probatur secundo, quia, vel hæc hypostatica vnio fit immediatè cum Corpore Christi Domini, vel mediate, non immediatè, quia cum Corpus Christi Domini propria caret substantia, non potest immediatam alteri tribuere substantiam. Neque etiam hæc hypostatica vnio fieri potest cum ipsa Diuini Verbi persona; nam vel fieret ex vi verborum consecrationis, & hoc non, quia in verbis forma nulla, nec Verbi Diuini, nec substantiæ, fit mentio; vel per concomitantiam; & neque hoc, quia in hoc Sacramento per concomitantiam nihil ponitur, quod prius hypostaticè Diuino Verbo vnitum non fuerit. Vnde cum Sancti Patres Incarnationis exemplo vtuntur ad hoc mysterium explicandum, non id faciunt, vt velint omnimodà



similitudinem, etiam in unitate suppositi, sed ut naturarum dualitatem explicent in hoc Sacramento repertam, quod sicut in Incarnatione est natura Diuina, & humana, ita in hoc Sacramento, est Corpus Christi Domini, & accidentia.

Sed quæres primò, an saltem maneat in hoc Sacramento forma panis: procedit hæc difficultas in sententia illorù, qui volunt formam panis non esse substantiam, sed accidens si enim sequamur illorum sententiam, qui volunt formam panis esse substantiam, de fide est, non manere; cum definiat Tridentinum, totam substantiam panis in Corpus Christi conuerti, manentibus dumtaxat accidentibus. Ad quam difficultatem dico, quod data illa sententia, quod panis forma, non sit substantia, sed accidens, formam panis non manere. Nam Tridentinum definit non manere nisi accidentia panis, forma autem panis, dato quod esset accidens, non tamen esset accidens panis, sed per se ad rationem panis se haberet, cum

esset eiusdem panis constitutum; & sic, cum ad panis rationem pertineret, cum ipso pane desinere deberet.

Quæres secundo, an saltem dici possit post consecrationem, panis, & vini materiam remanere. Et respondetur de fide tenendum esse non manere; cum enim Tridentinum velit totam panis, & vini substantiam conuerti in Corpus, & Sanguinem Christi Domini, & ex alia parte materia panis, & vini ad eorum pertineat substantiam, sequitur talem materiam in hoc Sacramento non manere. Nec ualeat dicere cum Durando, manere quidem materiam, non, tamen hinc sequi totam substantiam panis in Corpus Christi Domini non conuerti; nam conuertitur quidem tota, sed non totaliter, sicut quamuis eadem materia, quæ erat in corrupto, maneat in genito, nihilominus tota præcedens substantia corrumpi dicitur, & in geniti substantiam transire. Sed hæc responsio, est contra allatam Tridentini definitionem, nam non solum dicit Tridentinum totam substantiam



stantiam panis conuerti Corpus Christi, sed vult accidentia illius dumtaxat manere, Tum quia si panis materia remaneret, vel maneret sine forma, vel aliqua forma substantiali informaretur; non sine forma, quia vt communiter tradunt Philosophi hoc esse nequit; neque informari potest anima rationali Christi Domini; tum quia non conuertitur cum materia Corporis Christi, vna autem, & eadem forma non potest duas informare materias.

Sed dices cum Didaco Stur-nica lib. 1. Physicorum cap. 3. materiam primam non esse substantiam, sed esse ipsammet quantitatem, per quam sententiam putat saluare ea, quæ de hoc Sacramento dicuntur mirabilia. Nam contra est, quia ex hac sententia plura sequerentur absurda. Primo namque sequeretur quantitatem naturaliter in omni cõposito physico ex materia, & forma manere sine subiecto. Respondet ille inhærere formæ substantiali, & hanc esse primum subiectum. Sed contra hoc est, quia in homine,

hoc esse nequaquam potest, cum non possit anima rationalis esse immediatum quantitatis subiectum; nec valet dicere cum illo auctore, in homine, subiectum quantitatis esse formam corporeitatis; nam imprimis hæc forma corporeitatis non est quid ab anima rationali distinctum, sed est gradus ab eadem rationali anima tributum, vt probant N. Complut. de Generat. disput. 2. quæst. 4. Secundò, quia in sententia ponentium hanc formam corporeitatis, debet semper manere, tum in genitum in corrupto, si autem maneret eadem forma, manere etiam deberet eadem quantitas, & sic nulla fieret corporis corruptio.

Quæres tertio, an in Eucharistia maneat existentia panis, & vini. M. Bannes p. p. quæst. 4. art. 2. dict. 2. tenuit existentiam panis, & vini post cõsecrationem in Eucharistia remanere, licet postea in secunda additione talem sententiam retractauerit, & benè, nam illa sententia sustineri nõ potest: cum enim existentia substantiæ panis sit modus



substantialis eiusdem substantiæ panis, & hæc tota in Corpus Christi conuertatur, sequitur quod etiam omnes modi substantiales illius conuerti debeant, præsertim cum Tridentinum velit sola accidentia manere.

Sed dices primò, accidentia existunt per existentiam substantiæ; ergò debet remanere illa existentia quamdiu remanent accidentia, quæ per illam existunt; atqui hæc in nostro casu existunt post consecrationem; ergò & existentia illa manere debet. Nam Deus supplet in hoc Sacramento defectum actualis inhærentiæ, non existentia.

Nam respondetur negando antecedens; implicat enim accidentia per existentiam substantiæ existere; nam existentia substantiæ tribuit eidem substantiæ existere, sed independenter ab aliquo tanquam à subiecto; existentia vero accidentis tribuit illis existere, sed dependenter à subiecto; accidentis enim est in esse; atqui tribuere existere dependenter, & independenter non potest eidem formæ conuenire; ergò &c.

Dices secundo existentia substantiæ est accidens; ergò si in Eucharistia remanent accidentia substantiæ, etiam illius existentia manere debet. Antecedens probatur, existentia rei est ipsa rei duratio, idem enim est existere ac durare; sed duratio est accidens; ergò & existentia. Nam respondetur negando antecedens, nam existentia est id per quod res est extra causas, duratio vero est modus accidentalis superadditus, per quem res extra causas existens permanet, seu tempori coexistit.

Dices tertio, si existentia panis non maneret, deberet per consecrationem in aliquid conuerti, sed non apparet in quod conuertatur; ergò debet remanere. Minor probatur, quia si existentia panis in aliquid conuerti deberet maxime in existentiam Corporis Christi Domini, ita quod substantia panis in substantiam Corporis Christi conuertatur & existentia panis in existentiam Corporis Christi; atqui illa in hanc conuerti non potest, cum illa sit materialis, hæc Diuina; ergò &c.

Re-



Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem. Ad cuius probationem dico totam panis substantiam cum omnibus modis eius substantialibus in substantiam Corporis Christi Domini conuerti: nec verum est quod substantia panis conuertatur in Corpus, & existentia panis in existentia Corporis Christi. Sed de hoc patebit ma-

gis ex dicendis disputatione sequenti. Ex his patet resolutio alterius difficultatis, an nimirum maneat panis, & vini substantia: certum enim est non manere; vnde sententiam Godofredi quodlibet 8. quæst. 177. ad minus esse temerariam docent D. Thomæ expositores, præsertim N. Cornexus hic dubio 6. & alij.

### QVAESTIO III.

*An per Potentiam Dei absolutam sit possibile, quod Corpus Christi Domini, ponatur in hoc Sacramento, absque conuersione substantiæ panis in ipsum.*

**D**E potentia Dei absoluta præsens procedit difficultas, nam de potentia Dei ordinaria, seu secundum præsentem huius Sacramenti institutionem certum est, Corpus Christi in hoc Sacramento non nisi media conuersione substantiæ panis in ipsum, po-

ni non posse; vt enim patet ex dictis quæstione prima huius disputationis, Corpus Christi Domini de facto in hoc Sacramento non ponitur, nisi ex vi actionis conuersiue panis in ipsum; de ratione autem actionis conuersiue est, quod terminus à quo desinat esse, per



per positionem termini ad quem, nec fieri potest, quod fiat vnus rei in aliam conuersio, & quod vtraque maneat, & si semel cum corpore Christi substantia ipsa panis maneret. verba illa consecrationis *Hoc est corpus meum*, saluari non possent, vt ibi cum D. Thoma notauimus. Tum quia de facto Corpus Christi in hoc Sacramento succedit in munus, & officium substantiæ, illius conseruando accidentia, sine propria eorum tamen inhærentia; quod munus non præstaret si panis substantia maneret, & in ipsum non conuerteretur.

Mihi etiam videtur omnino certum, non posse Deum per absolutam potentiam ponere Corpus Christi Domini cum præsentia eiusdem rationis cum illa, quam modo habet, remanente substantia panis, seu absque eo quod panis substantia in idem Christi Domini corpus conuertatur, vt optimè contra Suarez. disput. 49. sect. 1. docet N. Cornexus hic dubio 9. & ratio Cornexi valde pungit Suarez, quia præsentia quam modo habet Cor-

pus Christi Domini in Eucharistia, est ex vi conuersionis panis in ipsum, implicat autè quod panis conuertatur in Corpus Christi, & maneat, cū de conuersionis essentia sit, desitio termini à quo; ergò implicat Deum ponere Corpus Christi Domini, cum præsentia eiusdem rationis cum illa, quam modo habet, & panis substantia maneat. Concedo quidem posse Deum ponere simul cum substantia panis corpus Christi sub quantitate panis; sed eandem præsentiam quam modo habet, non habebit, sed aliam prorsus diuersam.

Est etiam certum, quod cū loci mutatione, possit corpus Christi Domini, quod est in Cælo. poni sub quantitate panis, absque conuersione substantiæ eiusdem panis in ipsum seu conseruata, vt prius, panis substantia, cum possit Deus Corpus Christi Domini, quod est in Cælo, locum illum relinquendo, ponere simul cum panis substantia, sub eiusdem panis quantitate Id ergò de quo præsens procedit difficultas est, an Corpus Christi Domini



mi sine loci mutatione, & sine conuersione substantiæ panis in ipsum, poni sub speciebus panis, possit.

Prima sententia est affirmatiua quam defendit P. Suarez hic disput. 49. lect. 1. concl. 3. ubi dicit: Potuisse Christum fieri præsentem substantialiter intra panem, per actionem substantialem per se primo terminatam ad substantiam Corporis Christi, per modum creationis, vel conseruationis; ad quam talis præsentia consequatur. Hanc sententiam tribuit Nugnus Scoto, Durando, & Caeterano in hoc art.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusionem. Implicat Corpus Christi Domini sine loci mutatione, poni sub speciebus panis absque conuersione substantiæ panis in ipsum. Hanc sententiam post D. Thomam sequuntur Capreolus in 4. dist. 11, quæstion. 1. Paludanus quæst. 2. Ferrar. 4. contra Gent. cap. 63 D: Bonau. Herueus, Marsilius & aliis apud Suarez ubi supra ante primam conclusionem.

Probatur primo nostra conclusio D. Thomæ testimoniis.

Ita hoc art. 2. ita habet: *Non aliquid potest esse alicubi, ubi prius non erat, nisi vel per loci mutationem, vel per alterius conuersionem in ipsum, sicut in domo aliqua, de nouo incipit esse ignis, aut quia illuc defertur, aut ibi generatur &c.* Vbi ut uides ex sola præsentia Corporis Christi Domini colligit D. Thomas absentiam substantiæ panis, quæ certè collectio nulla esset, si semel cum præsentia Christi Domini, panis substantia esse posset.

In 4. sententiarum distinct. 11. quæst. 1. art. 1. quæst. 1. in corpore habet: *Positio quæ ponit substantiam panis ibi remanere post consecrationem simul cum uero corpore, incompetens est huic Sacramento, & impossibilis, & hæretica. Incompetens quidem quia impediret uenerationem debitam huic Sacramento. & post pauca loquens de huius sententiæ impossibilitate dicit. Sed quod sit impossibilis patet ex hoc quod impossibile est aliquid esse nunc cum prius non fuerit, nihil in ipso mutato, vel aliquo in ipsum nec posset etiam per miraculum fieri, sicut quod esset animal ra-*



tionale mortale, & non esset homo: aliter enim se haberet nunc, & prius, & est idem quod moueri, vel transmutari. Si ergo Corpus Christi verum, esset sub Sacramento nunc, & non prius, porteret aliquem motum vel mutationem interuenisse: sed nulla mutatio est ex parte panis facta secundum hanc positionem, ergo oportet quod Corpus Christi sit mutatum saltem localiter, ut dicatur quod Corpus Christi esset hic, quia per motum localiter huc venit, quod omnino esse non potest: quia eum simul, & semel in diuersis locis Corpus Christi consecratur oportet, quod simul, & semel, ad diuersa loca vnum numero moueretur Corpus, quod est impossibile, quia contingeret simul contrarios motus in esse eidem, vel saltem diuersos eiusdem speciei. Quod autem sit hæretica patet quia contradicit veritati scripturæ, non enim esset verum dicere, Hoc est corpus meum, sed hic est corpus. Hæc Angelicè Doctor Angelicus. Id ipsum habet 4. contra Gent. cap. 63. Nec valet dicere D. Thomam loqui de potentia ordinaria, nam vt patet eius doctrina verificari nõ

potest, nisi de potentia absoluta, intelligatur, dicit enim illam positionem esse impossibilem non quoquo modo, sed quod neque per miraculum fieri possit, sicut fieri non potest quod quid sit animal rationale mortale, & non sit homo: & in solutione ad 3. habet: Ad hanc positionem sequitur grauius inconueniens quam quod contradictoria sint simul vera, quia ponit definitionem, id est, aliter nunc quam prius, & non potest ponere definitum, scilicet motum, neque in corpore Domini, neque in substantia panis. Quæ verba nullatenus pati possunt interpretationem de potentia ordinaria.

Probatur secundo expendendo Angelici Magistri rationem in allegato testimonio contentam. Id quod non est in aliquo loco non potest ibi poni nisi vel per creationem, vel per deductionem, vel per conuersionem sed supposito quod Corpus Christi Domini iam sit in Cælo creati non potest, ergo solum restat quod hic ponatur, vel per motum localem, vel per conuersionem; per motum localem supponimus non poni,



poni, licet enim poni posset priorem relinquendo locum, & descendendo ad vnum solum locum, non tamen ad plura vt D. Thomæ ratio euincit; ergò solum restat vt ponatur per conuersionem, & per consequens implicabit Corpus Christi Domini poni in Sacramento substantia remanente, cum sit de conuersionis essentia desitio termini à quo.

Respondebis cum Suarez eo casu poni Corpus Christi Domini sub speciebus panis, substantia eiusdem panis remanente, non per motum localem, neque per conuersionem, sed per creationem, & conseruationem. Sed contra quia loquendo de creatione non potest id quod iam in rerum natura existit, dici creari, ex eo quod alibi ponatur; nam de ratione creationis est, quod ex nullo fiat præsupposito subiecto; quomodo namque illud creari dicitur quod iam alibi existit? creatio enim est productio entis in quantum ens, seu productio totius entitatis sub omni ratione formali, & per consequens supponit quod res creata nullo

modo in alio reperiatur loco, si enim semel aibi reperitur, non producitur secundam omnem rationem formalem, & sic nõ est productio entis in quantum ens; Vnde illi qui volunt posse per diuinam potentiam idem corpus in pluribus locis replicari, non volunt illam replicationem esse creationem. Neque potest Corpus Christi Domini poni sub speciebus panis remanente substantia eiusdem panis per actionem conseruatiuam, nam in omnium sententia actio conseruatiua supponit esse, non ponit; prius enim est rem esse, quam conseruari; ergo prius erit Corpus Christi Domini poni sub speciebus panis, quam ibi conseruari; ergò ex vi actionis conseruatiuæ Corpus Christi Domini sub illis speciebus reponi non potest.

Confirmatur ratione in eodem D. Thomæ testimonio cõtenta, quia implicat aliquid poni vbi prius non erat, sine aliqua mutatione in ipso facta, vel absque eo quod aliquid in ipsum conuertatur, seu sine mutatione alterius rei in ipsum, sed Corpus Chri-



si Domini retenta præsentia, quam habet in Cælo, non potest poni sub diversis Sacramentis per mutationem in ipso factam; ergò per conuersionem alterius rei, nempe substantiæ panis, in ipsum. Maior videtur naturæ lumine nota, eo namque ipso quod aliquid ponitur vbi non est, cum non maneat sicuti prius, cum nouam acquirat præsentiam, quam prius non habebat, non potest non fieri aliqua mutatio, vel in ipso, vel in alio. Minor probatur, nam supposito, quod Corpus Christi antiquam quam habet in Cælo retineat præsentiam, nõ potest poni sub speciebus per mutationem factam in ipso; ergò per mutationem factam in alio. Probatur hoc antecedens, nam si Corpus Christi Domini deberet poni sub Sacramento per mutationem factam in ipso deberet assignari actio, quæ talis mutationis esset exordium; Atqui non est assignabilis; non enim est creatio, vel conseruatio, vt volebat Suarez, cum termini harum actionem in hoc casu non reperiantur; nec enim est pro-

ductio totius entis ex nihilo; nec ante hanc actionem supponitur, quod conseruetur, ergò &c. dices non esse quidem conseruationem cum hæc actionem res conseruanda nõ præsupponatur; neque creationem propriè dictam, sed largè prout est quædam replicatio eiusdem rei, vt fit quando vnum, & idem corpus in pluribus replicatur locis.

Nam contra est, quia intantum vna res potest in pluribus replicari locis (non quidem circumscriptiuè cum hoc prorsus implicet, vt tradunt N. Cöplut. in Physica disp. 19. q. 8.) v. g. Sacramentaliter, in quantum talis præsentia multiplicatur, non quidem per actionem terminatam ad illam, sed per actionem terminatam ad illud quod in illam rem transmutatur; Atqui in hoc casu nõ non datur talis actio transmutatiua, ergo nec præsentia replicatio. Quod quando res replicatur, nõ fiat illa replicatio nec fieri possit, per actionem terminatam ad illam, sed ad aliam rem ostenditur, quia si talis actio terminaretur directè ad illam rem replicatam,



verbigratia ad Corpus Christi Domini, vel illa actio terminatur ad ipsam substantiam Corporis Christi agendo in ipsam vel producendo aliquid in ipsam, vel auferendo aliquid ab ipsa, vel terminatur ad ipsam præsentiam illam producendo; non potest esse actio terminata ad Corpus Christi, vel producendo, vel auferendo aliquid ab ipso, quia quantumuis admittatur hæc actio non inde sequitur, poni tale corpus alicubi, ubi prius non erat, cum omnes ille actiones fieri possint circa idem corpus prout est in Cælo; neque potest esse actio terminata ad ipsam præsentiam, quia cum sit modus rei, ab ipsa re sequi debet, nec potest nova poni præsentia, nisi mutatione facta, vel in re quæ præsentiam novam acquirat, vel in alia quæ in ipsam convertatur. Quæ ratio si rectè penetretur oppositum contrariæ sententiæ fundamentum profusus evertit. Unde apparet eleganter, & rationabiliter intulisse D. Thomam ex illa positione quæ tueretur Suarez, sequi gravius in conveniens, quam si ponerentur duo contradicto-

ria simul vera, quam D. Thomæ illationem sequens illustrabit ratio.

Probatur secundo ex eodè D. Thoma: Nam ex sententia P. Suarez duo contradictoria simul vera ponerentur, hoc dici nequit; ergo illa sententia non est probabilis. Maior probatur, daretur ( ut loquitur D. Thomas ) definitio, & non daretur definitum, sed hoc est dare duo contradictoria simul vera; ergò Minor huius syllogismi patet, nam idem est dare definitionem, & dare definitum, & sic qui dat definitionem & non dat definitum, dat definitionem, & non dat definitionem, quod est dare duo contradictoria. Maior probatur, quia data illa sententia, daretur definitio, nempe aliter se habere nunc quam prius & tamen non daretur definitum, nempe mutatum esse, quia nec fieret mutatio in Corpore Christi, neque in substantia panis, quod non fiat mutatio in substantia panis, tenet Suarez eo casu, quod neque fiat in Corpore Christi Domini iam sufficienter ostendimus, & iterum magis



ostenditur; nam si in Corpore Christi Domini aliqua mutatio fieret, maximè per hoc, quod ponatur sub accidentibus panis, sub quibus non erat; sed hoc dici nequit, nam non est assignabilis actio, quæ talem ponat transmutationem ergò &c. Maior est oppositæ sententiæ assertum. Minor probatur, nam omnis actio circa Corpus Christi, quantum ad præsens attinet, vel est translatiua Corporis Christi, ponendo in locum ubi nõ erat, & hoc non, quia secundum oppositæ sententiæ intellectum, Corpus Christi Domini non transfertur de loco ad locum; vel est productiua nouæ præsentia, ratione cuius fiat totum sub tota quantitate, & totum sub qualibet parte illius, & neque hoc, nam antequam Corpus Christi hanc habeat præsentiam, prius debet ibi poni; præsentia namque sequitur ad esse, non tribuit, vel est productiua eiusdem corporis, & hoc non, cum iam corpus productum supponatur, & solum ponatur ubi non erat; si dicas esse replicatiuam, non productiuam eiusdem

corporis: dico hoc esse ludere verbis; nam petã quid sit actionem esse replicatiuam? vel enim reproducit idem corpus, vel non; si hoc secundum admittas, remanebit sicut prius, si nihil aliud addatur; si dicas reproducere idem corpus, currit idem argumentum; nam id quod iam productum est, iterum produci non potest: tum quia ex hoc præcisè, quod aliquid ponatur alicubi, non producit, sed solum nouam acquirit præsentiam, nec nouæ præsentia acquisitio, est noua rei productio, vel reproductio, vel etiam replicatio. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum quo conuincitur P. Suarez est, si Christi Domini Corpus alibi non existeret, posset à Deo creari cum noua præsentia locali absque alterius rei desitione; ergò etiam posset creari hic, intra substantiam panis, cum hac Sacramentali præsentia absque substantiæ panis desitione; cum hoc ex nullo capite repugnet, vt patet; ergò etiam si corpus Christi alibi existat poterit per simile

genus



genus actionis fieri præsens intra substantiam panis. Probat consequentiam, quia eadem res potest duplici actione produci, aut conseruari; vn de licet supponatur existens alicubi vna actione, potest alibi idem esse recipere per aliam actionem, quæ de se esset sufficiens rei productio, si non supponeretur existens.

Respondetur concedendo antecedens, & primam consequentiam; & negando secundam, eo enim ipso quod corpus iam est alibi existens non potest in alio loco reponi, nisi vel per aduersionem, vel per conuersionem alterius rei in ipsum. Ad probationem quod eodem res potest duplici actione produci aut conseruari dico, hoc principium non esse verum, vt rectè probant N. Complut. in Physica disp. 15. quæst. 3. verificarentur enim tunc temporis duo contradictoria, nimirum quod idem effectus penderet, & non penderet, si semel à duplici causa totali eiusdem ordinis, vel per duplicem actionem totalem, produceretur, potest quidem idem effectus produci à dupli-

ci causa instrumentali, vel à pluribus, quia illa omnia instrumenta vnicam recognoscunt causæ principalis virtutem.

Sed demus P. Suarez suum principium, adhuc eius argumentum nihil probat contra D. Thomæ, & nostram sententiam; nam licet Deus posset duplici actione creatiua creare Corpus Christi Domini in Cælo, non tamen potest, postquam vna actione creatiua Corpus Christi Domini in Cælo creauit, alia actione creatiua creare modo, intra substantiam panis, cum modo non possit esse creatio, cum iam creatum supponatur; Et licet posset Deus duplici actione conseruatiua conseruare Corpus Christi in Cælo, nõ potest per actionem præcise conseruatiuam ponere Corpus Christi intra panis substantiam, cū conseruatio rei eisdem rei supponat productionem, quomodo namque Deus potest incipere conseruare Corpus Christi intra substantiam, si ibi prius non præsupponitur præsens? cum per ipsum Suarez conseruatio non sit rei productio, & possit res conseruari per actionem.



ationem distinctam, à productione.

Secundum argumentum quod in fauorem sententiæ P. Suarez proponit Nugnus hic difficultate secunda est: Potest Deus media conuersione substantiæ ponere in hoc Sacramento Corpus Christi, ergò etiam sine illa: Antecedens est certum. Consequentia probatur, quia quicquid potest Deus facere media causa secunda in genere causæ efficientis, potest facere per se ipsum; Atqui Deus media conuersione in genere causæ efficientis ponit Corpus Christi sub speciebus; ergò etiam sine illa.

Respondetur cum eodem Nugno Corpus Christi Domini dependere essentialiter à conuersione, ita quod sine illa, manente Christo Domino cum sua præsentia naturali in Cælo, nequaquam poni possit in Sacramento; quia non potest Corpus Christi acquire esse hic in Sacramento, nisi per conuersionem; vnde conuersione non concurrat solum in genere causæ efficientis, verum etiam formalis, quæ à

Deo suppleri non potest, consistit autem hoc genus causæ formalis in hoc, quod supposito Corpore Christi in Cælo, vel in alia parte, & non descendat de illa, neque desinat esse in illa, dicit intrinsecum ordinem ad conuersionem alterius substantiæ in ipsum.

Tertium argumentum est, quia in præsentibus sunt duæ mutationes realiter distinctæ, scilicet desitio panis, & inceptio Corporis Christi Domini; Atqui Deus facere potest, quod vna ex his mutationibus ponatur, alia non posita, ergò potest Deus facere quod Corpus Christi Domini ponatur, panis substantia non desinente. Maior patet, nam desitio panis est mutatio ab esse ad non esse, panis namque per desitionem transit ab esse ad non esse eiusdem: inceptio vero Corporis Christi Domini est transitus à non esse ad esse prius, enim non erat sub Sacramento, modo est, vnde ex illis duabus mutationibus prima est priuatiua, cum terminus ad quem sit non esse, secunda est positiua, cum terminus ad quem sit esse. Minor probatur,



tur, nam ubi sunt duæ mutationes realiter distinctæ, saltē per diuinam potentiam vna poni potest, sine alia, hoc cōtingit in præsentī casu, ergò &c.

Respondetur concedendo Maiorem, & negando Minorem, sunt enim aliquæ mutationes adeo inter se se connexæ, quod vna sine alia dari, nec per potentiam diuinā, possit; licet enim in naturalibus possit dari alicuius rei desitio, sine huius, vel illius rei positione, non tamen dari potest, positio huius rei, verbigratia hominis generatio, sine alicuius corruptione: sic, licet possit dari panis desitio sine Corporis Christi Domini positione, non tamen dari potest Corporis Christi Domini positio sub istis accidentibus antiqua retenta præsentia, sine substantiæ desitione: & ratio est, quia desitio non respicit terminum ad quem in particulari; at vero positio cum non fiat ex termino vago, nec fiat ex quocunque, imo ex quocunque fiat, si semel est mutatio debet, termini, à quo, desitionem, supponere: vnde

licet desitio, & positio sint duæ mutationes vnum tamen motum, vel vnam integram complent mutationem, & vna sine alia esse nequit.

Quartum argumentum, potest per Diuinam potentiam corpus quod est hic Romę poni Mediolani, & tamen hæc positio non esset ex vi alicuius conuersionis in ipsum; ergò etiam poterit Corpus Christi Domini poni indiuisibiliter intra substantiam panis, absque eiusdem panis desitione. Antecedens concedunt plures. Consequentia probatur, nam minus est poni indiuisibiliter, quam circumscriptiuè; ergò si potest corpus poni in pluribus locis circumscriptiuè sine conuersione, à fortiori poni poterit indiuisibiliter.

Respondetur negando antecedens, vt enim probant N. Complut. in physica disput. 19. quæst. 8. est manifesta implicancia, quod idem corpus ponatur in pluribus locis circumscriptiuè. Sed demus id fieri posse, adhuc nihil contra nos, quia in eo etiam casu idem corpus in pluribus non  
pone-



poneretur locis, nisi ratione  
plurium conuersionum, & ra-

tionem D. Thomæ supra factam  
id ipsum euincunt.

## QVÆSTIO IV.

*Virum desitio substantiæ panis, & vini in  
hoc Sacramento sit propriè, & for-  
maliter annihilatio.*

**D**Ocet Doctor Angelicus  
1. p. quæst. 104. art. 3.  
& 4. quod sicut creatio à solo  
Deo esse potest ita annihilatio,  
quam Deus numquam  
facit, imò nec facere directe  
potest per actionem ad ipsum  
non esse terminatam, sed so-  
lum per sui concursus subtra-  
ctionem; audiat lector ele-  
gantem Angelici Magistri Do-  
ctrinam: *Non esse* (sunt ver-  
ba Angelici art. 3. citato ad  
primum) *non habet causam per  
se, quia nihil potest esse causa,  
nisi in quantum est, ens autem  
per se loquendo est causa essen-  
di. Sic igitur Deus non potest  
esse causa tendendi in non esse,  
sed hoc habet creatura ex se  
ipsa, in quantum est de nihilo.  
Sed per accidens potest Deus*

*esse causa quod res in nihilum  
redigatur subtrahendo scilicet  
suam actionem rebus. De fa-  
cto tamen nihil ad nihilum re-  
digitur: Quod vt intelligas  
nota.*

Annihilationem, vt ipsa  
nominis affert etymologia,  
talem esse rei desitionem, per  
quam res quæ desinit ad pu-  
rè tendat nihil; vnde licet in  
nostro casu per consecratio-  
nem, panis substantia taliter  
desinat, vt nihil ipsius mane-  
at, non tamen annihilatur,  
quia ad nihilum, eius non  
tendit desitio, sed ad Christi  
Domini Corpus, in quod illa  
conuertitur; vnde in hoc casu  
est nihil substantiæ panis, sed  
non annihilatio; cum enim  
annihilatio creationi respon-  
deat,



deat, & hæc solum fit quando res non ex nihilo sui fit, vt cum forma ignis fit ex nihilo ignis; sed quando taliter fit vt nullum supponat subiectum, quod enim subiectum supponit, non ex nihilo, sed ex aliquo, nempe ex subiecto fit: Ita similiter vt fiat annihilatio debet talis poni desitio, non qua in nihil desinat sui, sed qua ad ipsum tendat nihilum: ita quod nec sibi aliquid succedat, nec in alicuius subiecti virtute maneat; si enim semel rei desinenti alia succedat, vel in virtute sui subiecti maneat, annihilatio non est. Hoc posito disquiritur an desitio substantiæ panis in Sacramento fit annihilatio; cum enim certum sit non manere substantiæ panis subiectum, si aliunde nihil illi desitioni succedat annihilatio erit.

Prima sententia est, quod substantia panis in hoc Sacramento annihiletur. Hanc sententiam sequitur Scotus in 4. dist. 11. quæst. 4. Gab. ibidem quæst. 1. & lect. 40. & 41. in can. Maior eadem dist. quæst. 1. Ocham quæst. 6. dub. 7. Angelus v. Eucharist. 1. numer. 31.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Substantia panis, & vini in Eucharistia non annihilatur. hæc sententiam sequuntur omnes fere Scholastici cum Magistro dist. 11. & omnes expositores D. Thomæ hic art. 3. vbi Angelicus Doctor sic loquitur. *Posuerunt aliud quod annihilatur, sed nec hoc potest esse quia non est dare aliquem modum, quo corpus Christi verum, esse incipiat in hoc Sacramento, nisi per conuersionem substantiæ panis in ipsum, quæ quidem conuersio tollitur, posita, vel annihilatione substantiæ panis, vel resolutione in præiacentem materiam: similiter etiam non est dare, unde talis resolutio, vel annihilatio in hoc Sacramento causetur, cum effectus Sacramenti significetur per formam, neutrum autem horum significatur per hæc verba formæ, Hoc est Corpus meum, unde patet prædictam resolutionem esse falsam.* hæc D. Thomas, ex quo testimonio sequentes desumemus rationes, pro nostra conclusione firmanda.

Prima ratio, substantia panis, & vini in hoc Sacramento



conuertitur in Corpus & Sanguinem Christi Domini, ergò non annihilatur. Antecedens est Tridentini sess. 13. cap. 4. vbi dicitur: *Declarat Sancta Synodus, per consecrationem panis, & vini, conuersionem fieri totius substantia panis in substantiam Corporis Christi Domini, & totius substantia vini in substantiam Sanguinis eius, &c.* Consequentia probatur, quia conuersio est actio ab annihilatione distincta; annihilatio namque vt supra cum D. Thoma dicebamus non est actio, sed actionis subtrahitio, conuersio autem est vera, & positiua actio, tum quia vt etiam supra dicebamus annihilatio non est quæcunque desitio, sed quæ ad purum nihilum tendat, desitio autem panis non tendit ad nihilum, sed ad Corpus Christi Domini vt fides docet; ergò. Tum etiam quia positiua actio aliquod habere debet subiectum in quo subiectetur; sed si substantia panis ex vi alicuius actionis annihilaretur, illa actio subiectum non haberet, in quo subiectaretur; ergò substantia panis ex vi alicuius ac-

tionis annihilari non potest; & per consequens, cum substantia in hoc Sacramento desinat esse ex vi actionis conuersiuæ, annihilari non poterit. Maior huius argumenti ex se patet. Minor probatur, quia illa actio in re annihilata recipi non potest, neque in alia à re annihilata distincta, cum nihil immutetur per actionem in alio subiecto receptam.

Secunda ratio, quia si semel panis substantia annihilaretur, deberet hoc fieri ex vi actionis consecratiuæ; sed hoc non fit; ergò &c. Maior patet, nam si semel panis substantia in hoc Sacramento desinat esse, debet hoc fieri ex vi verborum formæ, quæ consecratio fit, omnis enim mutatio, quæ circa panem fit, ex vi verborum fit. Minor probatur; nam verba formæ non significant substantiæ annihilationem, sed eiusdem in Christi Domini Corpus conuersionem.

Confirmatur, & explicatur hæc ratio, quia vt supra de Sacramento in genere docuimus, & infra etiam dicetur, forma



forma huius Sacramenti, vt causa physica instrumentalis tamē, omnes huius Sacramēti effectus causat; atqui nulla creatura potest esse instrumentum ad annihilandum; ergo. Hęc minor patet ex modo dictis cum nullum detur subiectum in quo actio ista recipiatur. Tum quia vt diximus annihilare non est agere, sed actionem, scē influxum subtrahere, quod est proprium Dei.

Tertia ratio, quia vbi termini simul esse repugnant, etiam actiones quæ ad tales terminos tendunt repugnare debent; atqui termini annihilationis, & conuersionis simul esse repugnant; ergo & actiones, & per consequens eadem consecratio non poterit panis substantiam annihilare, & Corpus Christi Domini sub eius accidentibus ponere. Minor in qua est difficultas probatur, nam termini annihilationis, & conuersionis sunt esse, & non esse; cum ergo substantia panis per consecrationem in Corpus Christi conuertatur, per eandem annihilari non poterit. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum est, quia illud annihilatur quod ita desinit, vt nihil illius remaneat; sed substantia panis, & vini ita desinunt vt nihil eorum remaneat; ergo annihilantur. Maior est certa, annihilatio namque est desinitio in purum nihil, vel est desinitio entis, in quantum ens. Minor etiam satis clara est ex Concilijs, & Patribus, dicentibus substantiam panis omnino desinere.

Respondetur ex dictis in huius principio quæstionis, quod nimirum licet nihil substantiæ panis remaneat non tamen est annihilatio, cum hæc ad purum nihil terminetur, & sit desinitio entis in quantum ens, quæ in præsentia contingunt, desinit namque substantia panis in Corpus Christi Domini, in quod panis conuertitur, & sic non destruitur panis in quantum ens quia cum eius desinitio terminetur ad positionem alterius entis, non dicitur desinere in quantum ens, sed in quantum tale ens, nempe in quantum panis.

Sed dices primo, sequi ex



hoc Deum non posse substantiam panis in Christi Domini corpus conuersam per creationem reproducere; hoc autem non videtur dicendum; ergò &c. Maioris sequela patet, nam cum creatio, & annihilatio sibi mutuo respondeant, si tunc annihilatio non contingit quando terminus ad quem est ens, ita nec creatio continget quando terminus à quo est ens; quod in præsentia contingit; nam præsupponeretur Corpus Christi Domini ex quo nouæ panis substantiæ fieret productio. minor etiam clara videtur.

Respond. negando maiore, ad probationem dico, panis substantiam iam in Christi Domini Corpus conuersam, dupliciter posse produci. Primo per reconuersionem Corporis Christi Domini in illam, & tunc plusquam certum est substantiam non crari, vt probat argumentum. Secundo absque reconuersione Corporis Christi, vel etiam alterius rei in illam, sed omnino ex nihilo, & tunc certum est, quod erit illius substantiæ creatio, non enim ad extrahendum aliquid

à ratione creationis sufficit, quod ens quoquomodo supponat, alioqui nec anima ipsa rationalis crearetur: cum formam embrionis supponat in materia, & materiam ipsam dispositam; sed requiritur quod nullum ens supponatur ex quo fiat, non à quo fiat; vnde de anima rationali dicunt Philosophi non fieri ex materia, quia in eius non continetur capacitate, vt in subiecto, ex quo, virtute agentis naturalis, educatur; neque fit ex forma embrionis, sed à forma embrionis, cum hæc ad illius productionem non concurrat, nec ex hac, rationalis anima per conuersionem fiat.

Dices secundo; corrumpatur substantia panis per formam corruptionem, remanente materia eiusdem panis, absque eo quod alia forma præcedenti succedat, quod posse fieri plures docent per absolutam Dei omnipotentiam, tunc corruptio formæ panis esset eiusdem rationis, ac quando alia succedit forma, verbi gratia vermis; ergò similiter desitio panis succedente Corpore Christi Domini eiusdem esset



esset rationis, ac si non succederet; sed si non succederet esset annihilatio; ergò etiam modo. Antecedens patet, nã corruptiones ille sunt eiusdem speciei; quarum formæ corruptæ sunt eiusdem speciei; sicut enim priuationes suam speciem sumunt à formis quibus priuant, ita, & corruptiones. Prima consequentia, & minor subsumpta ex antecedenti clare deducuntur, vt discurrenti patebit.

Respondetur primo, hoc argumentum in nostra sententia facilem habere solutionem, negando nimirum præsuppositum, non enim in sententia nostra dari potest casus quod forma aliqua corrumpatur, & alia non introducatur, cum corruptio vnius, sit generatio alterius. Nihilominus dato, doctrinæ gratia, illo casu. Respondetur secundo, negando antecedens, tunc enim temporis, licet ille desitiones eundem haberent terminum materialiter, non tamen formaliter; nam quando forma panis desinit, & alia forma introducitur, illa desinitio ita in non esse tendit, vt secundum

naturæ ordinem alterius formæ introductionem poscat; seculus quando Deus subtraheret concursum, quo conseruat formam panis, & non concurreret ad introductionem alterius formæ, talis formæ panis desinitio non peteret alterius formæ introductionem; per quod patet ad consequentiam diuerso enim modo desinit substantia panis quando Corpus Christi Domini succedit, ac quando non succedit: quando enim succedit non quomodo, sed ex vi illius motus, nempe conversionis, est simplex panis desinitio, quando vero ita per Dei concursus subtractionem, panis substantia desinit, ita quod nihil consequatur, erit annihilatio, vt ex dictis liquet.

Respondetur tertio, concedendo Antecedens, & negando consequentiam, ratio discriminis est, quia de ratione corruptionis non est, quod alia forma sequatur, sicut de ratione generationis non est, quod aliam formam in materia supponat. sed sufficit, & ad illam, & ad hanc, quod virtute agentis naturalis illa desinat,



finat, & hæc introducatur, præsciendendo ab hoc, quod alia supponatur, vel non supponatur. & sic quoquomodo virtute agentis naturalis forma desinat in materia, siue alia, subsequatur forma, siue non, siue alia supponatur forma in materia; siue non, formalissima ratio generationis, & corruptionis saluatur. At si loquamur de Eucharistia, de ratione desitionis panis, & vini est, quod taliter desinat, quod Corpus, & Sanguis Christi Domini sequantur, cum enim hæc fiant per conuersionem, aliter poni non possunt, quam per illorum desitionem, & cū illorum desitio aliter non fiat, quam per conuersionem in ista, aliter illa desinere nequeunt, quam per horum positionem: quod si fiat panis, & vini desitio per diuini concursus subtractionem, erit annihilatio vt patet, & illa conuersio, cū & hic, & ibi, diuersa profus reperiatur desitio.

Secundum argumētum est si Corpus Christi Domini in rerum natura non esset, sed

per panis conuersionem in ipsum, esse inciperet, tunc esset per creationem; ergo pariter licet panis desinat per conuersionem in Corpus Christi Domini, reuera per annihilationem esse desinet. Antecedens patet, nam eo casu Corpus Christi Domini produceretur in quantum ens, & ex nihilo sui. Consequentia probatur ex rationis paritate, quia si conuersio creationi nõ obstat, nec annihilationi obstabit.

Respondetur negando Antecedens, ad probationem dico, quod eo casu Corpus Christi Domini non produceretur ex nihilo sui absolute, neque in quantum ens absolute, cum fieret ex conuersione panis in ipsum, vnde sicut ad annihilationem omnis entitas positua excludi debet a termino ad quem, ita ad creationem requiritur exclusio omnis entitatis posituæ à termino à quo; sed hæc omnia ex sequentibus quæstionibus magis explicata manebunt.



## QVAESTIO V.

*An substantia panis, & vini per eandem desinant actionem, per quam Christi Domini Corpus, & Sanguis in hoc Sacramento ponuntur.*

**P**ræsentem excitamus quæstionem in gratiam P. Suarez, qui hic disput. 50. sect. 6, ut explicet quomodo panis, & vini desinitio non sit annihilatio dicit, quod ad veram annihilationem, actionis seu influxus Dei suspensio requiritur, non vero positiva actio, ut hic intercedit, explicans autem quænam sit hæc actio positiva, ait esse illam, qua accidentia à substantia panis, & vini separantur, & sic vult Suarez panis, & vini substantiam non desinere per illam actionem per quam Corpus Christi Domini, & Sanguis in hoc Sacramento ponuntur, sed alia prorsus diversa, illa nimirum qua accidentia à propria separantur substantia.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Substantia panis, & vini in hoc Sacramento esse desinunt, per illam eandem actionem, per quam Corpus, & Sanguis Christi Domini in hoc Sacramento ponuntur. Hæc conclusio est adeo certa ut dicat Magister Cornexus opinionem P. Suarez ad minus falsitatis notam promereri, quod ex sequentibus rationibus patebit.

Prima ratio, substantia panis, & vini in hoc Sacramento verè, & realiter, in Corpus & Sanguinem Christi Domini conuertitur ut definit Tridentinum sess. 13. cap. 4. & can. 2. Atque vera conuersio saluari non potest si substantia panis, & vini per actionem distin-



distinctam desinant ab ea qua Corpus, & Sanguis eiusdem Christi Domini sub speciebus ponuntur; ergo, &c. maior est de fide. Minor probatur, nam conuersio est simplex quædam mutatio inter duos terminos positivos à *quo*, & ad *quem*, ergo constare non potest duabus actionibus quarum vna sit destructio termini à *quo*, & alia sit positio termini ad *quem*. Antecedens probatur, nam conuersio prout distinguitur à creatione, cuius terminus à *quo* est nihil, & ad quem est ens in quantum ens; à generatione, quæ est à non esse ad esse; à successione duarum rerum, quarum vna incipit, desinit alia, nihil est aliud quam transitus vnus rei in aliam; ita quod quidquid entitatis est in vna, transeat, & conuertatur in aliam, ita enim sonat conuersionis nomen. Vnde si Deus vnum annihilet Angelum, & in eodem instanti, & in eodem loco crearet aliū; nulla ibi interueniret cōuersio; ergo cōuersio est simplex quædam mutatio inter duos terminos positivos à *quo* & ad *quem*. Consequentia pa-

tet, si enim semel duæ darentur actiones, quarum vna esset destructiua termini à quo, nempe substantiæ panis & vini, & alia productiua termini ad quem, nempe Corporis, & Sanguinis Domini, non vna sed plures essent mutationes, tum quia implicat rem per propriam destrui actionem, & in aliam conuerti; ergo si panis, & vini substantia per propriam actionem destruuntur, in Corpus, & Sanguinem Christi Domini conuerti non possunt.

Respondebis ex doctrina Patris Suarez sect. illa 6. citata, & 7. conuersionem panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Christi Domini, non esse physicam, sed artificialem. & Sacramentalem, atque adeo non esse vnicam, sed aggregatum ex pluribus actionibus.

Sed hic latet anguis in herba; aliud namque est Sacramenta esse quædam antefacta, composita ex pluribus diuersis, vt ex materia, forma, significatione &c. Et aliud est, conuersionem panis in Corpus Christi esse artefactum, vel arti-



ificialem, primum enim est verum, secundum falsum, nam ut aperte docet Concilium Tridentinum locis supra citatis, conuersio substantiæ panis, & vini in corpus, & Sanguinem Domini, est vera, propria, & absoluta conuersio. Tum quia, si hæc ad mirabilis conuersio esset aggregatum, duarum illarum actionum, oporteret inter illas aliquã dari connexionem ita quod ex vi actionis destructiuæ panis, poneretur actio positiva Corporis Domini; sed neque per illũ auctorem est talis connexio; vult enim ille, quod ex vi definitionis substantiæ panis, Corpus Christi non ponatur, ergo &c.

Secunda ratio, quia si substantia panis non desinere ex vi actionis conuersiuæ, seu ex vi illius actionis, qua Christi Domini Corpus sub Sacramentis ponitur speciebus, sed ex vi alterius actionis, nempe illius, qua accidentia à propria separantur substantia, sequeretur, quod substantia panis non in Corpus Domini conuerti diceretur, sed in propria accidentia, hoc dici ne-

quit; ergo nec illud. Maioris sequela probatur, quia vnum quod què in illud conuerti dicitur, cum quo habet impossibilitatem; namque terminus à quo mutationis conuersiuæ, est impossibilis cum termino ad quem; Atqui substantia panis habet impossibilitatem cum accidentium separatione; ergo &c.

Tertia ratio, quia prius est panis, & vini substantiam desinere, quam accidentia manere, & à substantia separari, & separata existere; ergo substantia panis, & vini desinere nequit ex vi actionis, qua accidentia separantur. Antecedens euidenter esse videtur; nã hic agitur de transubstantiatione, quæ est conuersio substantiæ in substantiam, & per consequens terminus eius primarius à quo, qui in hac transubstantiatione reperitur; nequit esse accidens, sed substantia, sicut enim terminus ad quem huius conuersionis substantialis qui primario, & per se inspicitur, & intelligitur, est substantia; ita terminus primarius à quo primò; & per se intellectus, substantia, & non accidens



cidens esse debet. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum est, quia ubi sunt duæ mutationes, & duæ actiones esse debent; sed hic duæ sunt mutationes; ergò & duæ actiones. Maior certa videtur, cum enim actio specificetur à termino, sequitur quod ubi plures erunt termini, & plures erunt actiones; Atqui ubi sunt plures mutationes, & plures sunt termini; ergò & plures actiones. Minor etiam clara videtur, nam hic sunt duæ mutationes positiva vna à non esse Corporis Christi sub speciebus, ad esse Corporis Christi Domini sub illis; priuatiua altera, ab esse panis, ad non esse illius.

Respondetur primo, transeat maior, & negatur minor, de essentia namque conuersionis est quod vna dumtaxat sit mutatio, & illa simplicissima à termino positivo à quo, ad terminum posituum ad què; vnde licet in conuersione vera intercedat terminus à quo definitio, & in eodem termino à quo sit non esse termini ad quem, tamen & definitio

termini à quo verbigratia panis, & non esse termini ad quem in termino à quo, verbigratia non esse Corporis Christi Domini, de materiali importantur, vt videre est etiam in motu locali, in quo acquisitio vnus est destructio alterius termini, & in termino à quo est non esse termini ad quem &c. & tamen motus localis est vnus simplex motus; ideoque dicunt Philosophi quod in omni motu duæ intercedunt mutationes per accidens, & de materiali importata. Videantur ea quæ docuimus de iustificatione disput. 1. quæst. 2. ubi hanc rem satis fusè explicuimus.

Respondetur secundo negando suppositum, nimirum transubstantiationem esse mutationem propriè dictam, non enim transubstantiatio est propriè mutatio, sed simplex transitus ab vna in aliam substantiam. Mutatio namque vt & ipsum nomen indicat supponit subiectum, quod sub vtroque extremo maneat, ita quod ab vno in aliud transeat, vt materia prima ab esse ignis, ad non esse ignis; aqua à fri-



frigidity in calorem: bene-  
 verum est, quod etiam si tran-  
 substantiatio non sit mutatio  
 propriè dicta, est tamen im-  
 propriè, ad eum modum, quo  
 etiam creatio, & annihilatio  
 mutationes dici possunt, pro-  
 ut mutationis nomen nouita-  
 tem essendi, vel non essendi  
 importat; ad quam nouita-  
 tem essendi etiam mutatio, vel  
 mutationes de materiali, & in  
 obliquo queunt importari,  
 quod & in præsentis contingit,  
 vt consideranti patebit. Sed  
 hoc nihil contra nos, cum  
 vnicam semper saluamus ac-  
 tionem per quam panis in  
 Christi Domini Corpus con-  
 uertitur, & vi cuius & non  
 alterius actionis, vt vult Sua-  
 rez, panis substantia sub acci-  
 dentibus esse desinit.

Secundum argumentum,  
 quod præmit Suarez est, quia  
 substantia panis nullam habet  
 repugnantiam cum Corpore  
 Christi Domini; ergò non  
 potest desinere ex vi illius ac-

tionis qua ipsum Domini Cor-  
 pus ponitur. Antecedens pa-  
 tet, quia posset Deus ponere  
 Corpus Domini simul cum  
 substantia panis, sub acciden-  
 tibus eiusdem panis. Confe-  
 quentia ex antecedenti sequit-  
 tur, nihil enim desinere potest  
 ex vi actionis, qua ponitur  
 aliud, nisi aliquam habeat  
 cum eo impossibilitatem.

Respondetur distinguendo  
 antecedens: substantia panis  
 nullam habet cum Corpore  
 Domini impossibilitatem  
 secundum se, & absolutè, præ-  
 scindo ab actione conuersiua  
 illius in Corpus Christi Do-  
 mini, & conceditur; prout di-  
 cit actionem conuersiuam, &  
 negatur; cum enim de essen-  
 tia conuersionis sit, quod per  
 acquisitionem termini ad què  
 destruat, vel desinat esse  
 terminus à quo, patenter se-  
 quitur, panis substantiam ra-  
 tione transubstantiationis, es-  
 sentialem habere repugnan-  
 tiam, cum Corpore Domini.

QUESTIO



# DISPV TATIO

## OCTAVA

*De natura, & essentia conuersionis in communi, & in particulari, nempe Eucharistica.*

**H**Æc est potissima præsentis tractatus difficultas, de qua duo præcipuè sunt animaduertenda eaque apertè ab omnibus profitenda: alterum Sacerdotem Eucharistiam conficientem legitimè ordinatum esse oportere: alterum tantam in esse verbis consecratorijs vim, vt ijs medijs panis in corpus, & vinum in Sanguinè Domini conuertantur. Verè stupenda, solaque fide metienda transmutatio, in qua panis viniq; substantia, in

Corpus, Sanguinemque Christi Domini cerò transmutatur, in qua re detudant recentiores longissimas texendo disputationes, & rem satis difficile, nimia prolixitate difficiliorem reddentes. Nos Thomisticis insistendo vestigijs ad facilitatem, & breuitatem, qua poterimus maiorem, hanc difficultatem reducetes, satis, vt putamus, lectori optimo faciemus, tradendo prius quæ sunt communia, ad particularia postea descendendo. Sit ergò.



## QVÆSTIO I.

*Quot requirantur conditiones ad conuer-  
sionis rationem.*

**Q**uia species cognoscitur  
facilius, genere cog-  
nito; ideo prius aliqua dicenda  
sunt de conuersione in gene-  
re, seu in communi, antequam  
explicemus Eucharisticam con-  
uersionem, quæ communi no-  
mine transubstantiatio dicitur.

Definitur conuersio in cō-  
muni, *quod sit transitus unius  
rei in aliam*; per quam defi-  
nitionem distinguitur conuer-  
sio ab aeris illuminatione,  
& alijs similibus mutationi-  
bus, quæ non sunt transitus à  
re in rem, sed à negatione,  
vel priuatione ad formam. Ex  
quo inferitur non esse verum  
conuersionem includere in  
suo conceptu formali duas  
mutationes, vt vult Lugo hic  
disput. 7. sect. 1. numer. 3. vt  
quæst. præcedenti in solutio-  
ne prima advertimus; licet in  
obliquo, & de materiali im-  
potari possint; est enim con-

uersio, simplex quidam tran-  
situs unius rei in aliam, vt ibi  
docuimus, & infra magis do-  
cebimus.

Multiplex esse potest con-  
uersio, accidentalis, substan-  
tialis, totalis, partialis, acci-  
dentalis, vt si vnum accidens  
conuertatur in aliud; substan-  
tialis si substantia; totalis si  
tota substantia, vel totum  
vnum accidens in aliud con-  
uertatur; partialis si sola vna  
pars: vt si vna materia in ali-  
am conuertatur; forma in  
formam, &c: Vnde quando  
aqua ex frigida fit calida, non  
est conuersio accidentalis,  
sed est qualitatis successio;  
quando vna forma succedit  
alteri in eadem materia, vt  
cum forma ignis succedit for-  
me ligni, non est conuersio,  
sed successio. ad quod non at-  
tendens Lugo vbi supra num.  
5. has, & alias successiones,  
conuersiones vocauit, cum

tamen



tamen sit vtrarumque diuersissima ratio; aliud enim est frigori calorem succedere, & aliud frigus in calorem conuer-  
ti, aliud est formam ignis succedere formæ ligni, & aliud est formam ligni conuer-  
ti in formam ignis; aliud est Corpus Domini succedere substantiæ panis; & aliud est substantiã panis in Corpus Christi Domini conuer-  
ti; conuersio namque plus dicitur quam vnus rei ad alium successionẽ  
Vt ergo conuersionis naturã dignoscamus eius conditiones inquirimus.

Prima conditio communiter assignata est, quod res quæ conuer-  
ti dicitur, & terminus à quo vocatur, per conuersionem esse desinat. ita Belarm  
lib. 3. cap. 18. Suarez hic disput. 50. sect. 2. N. Cornexus hic art. 4. disput. 1. dub. 1. Et  
ratio plana est, quia intelligi non potest quomodo vna res in aliam conuertatur, & ad  
huc secundum esse suum perseueret; quo fundamento Diuus notat Augustinus lib. 18.  
de ciuit. cap. 18. Apulei conuersionem in asinum Arcadij, Coricorum diomedis in volu-

cris, Vllissis in varias bestias, non veras sed fabulolas fuisse conuersiones, sed apparentes, sed demonum ante.

Sed dices. Vxor Loth, fuit in salis statuam conuersa, & tamen terminus à quo reman-  
sit, non enim fuit conuersa anima Loth. in sal; nec eius materia prima.

Nam respondetur, quod quando vnum compositum in aliud dicitur conuer-  
ti non est necesse quod omnes eius partes desinant esse, sed ille  
solum quæ re vera conuertitur, non fuit autem conuersa anima, nec materia prima, licet  
Deus, & hæc potuisset in sal conuerrere sed solum accidentia materialia, in formam,  
& accidentia salis.

Secunda conditio est, quod res in quam fit conuersio, & vocatur terminus ad quem talis  
conuersionis aliquo modo fiat, & incipiat esse; cum enim terminus ad quem talis con-  
uersionis ponatur per verum, & proprium causæ efficientis influxum, debet omnino talis  
terminus aliquo modo fieri, vel incipere; alioqui conuersio per veram causæ efficientis  
actio.



actionem non fieret; unde si solum desinitio termini à quo poneretur, per actionem alicuius efficientis, nulla ibi intelligeretur conuersio.

Tertia conditio, quam omnes etiam admittunt, sicut & præcedentem est, quod aliqua connexio intercedere debeat inter desinitionem termini à quo & positionem termini ad quem; unde si Deus in hoc loco Angelum annihilaret, & in eodem, Angelus A. crearetur, successio non conuersio esset.

Quarta conditio est, quod tam terminus à quo, quam terminus ad quem sit positivus, hoc enim ipsum conuersionis nomen sonat. Sed dices generatio substantialis est vera, & propria naturalis conuersio; ut omnes fatentur, & tamen non fit ex termino positivo, sed priuatiuo, nam homo ex non homine non ex embrione fit, & ignis fit ex non igne, non ex ligno: ut tradunt Philosophi in Physicis.

Nam respondet D. Thomas art. 3. huius quæst. 75. ad tertium in hæc verba. *Forma, quæ est terminus à quo non conuertitur in aliam formam, sed*

*una forma succedit alteri in subiecto, & ideo prima forma non remanet, nisi in potentia materia. Sed hic substantia panis conuertitur in Corpus Christi, &c.* Ex quibus patet generationem substantialem non esse conuersionem, sed formarum successionem, quod non aduertit Lugo.

Nonnulla difficultas est inter scribentes, an præter quatuor enumeratas conuersionis condiciones, etiam quinta assignanda sit, nimirum an ad conuersionem ponendam requiratur aliquid commune utriusque termino.

Prima sententia est affirmatiua, quam sequitur Suarez hic, valentia, Vasquez, & Lugo disput. 7. sect. 1. num. 8. quorum fundamenta postea referamus, & soluemus.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione, si sermo sit de hoc speciali modo conuersionis Sacramentalis, quæ nunc fit in Eucharistia, per verba demonstratiua ad sensum, necessario debet manere aliquid commune sensibile. Si vero sit sermo de conuersione absolute; illa conditio



tio non requiritur, seu necesse non est, quod maneat aliquod tertium commune utriusque termino. Ita discipuli D. Thomæ hic præsertim Caietanus. Eandem concl. sequitur Doctor subtilis in 4. dist. 11. quæstion. 1. & 2. N. Cornexus loco citato. Prima pars patet, quia illa pronomina *hoc*, & *hic* in verbis formæ non possunt verè enunciare, nisi substantia panis, & vini sit per accidentia sensibilis, & sub quibus ponatur Corpus, & Sanguis Christi Domini.

Secunda pars probatur, quia nulla est implicancia quominus Deus non possit totam vnâ rem in aliam conuètere; ergò &c. sed dices 1. ex hoc sequi nullam esse oppositionem inter substantiam quæ conuertitur, & illam in quam fit conuersio sed totam oppositionem ex Dei beneplacito sumi. Nam responderetur quod licet substantiæ ille secundum se, non opponantur, opponi tamen ex vi actionis conuersiua, cum enim vna habeat rationem termini à quo, qui esse

desinit, & altera termini ad quem, qui esse incipit, sequitur manifestam esse, hoc modo inter illas repugnantiam.

Dices secundo sequi ex hoc non esse necesse, quod res in quam fit conuersio sit ibi, vbi erat res, quæ conuertitur, vnde posset Deus conuètere lapidem in Solem, vel Lunam, & panem in Corpus Christi in Cælo existens, quod tamen falsum videtur, cum tunc temporis, Sol, Luna; Corpus Christi Domini &c. eadem modo se haberent ac prius, contra secundam conditionem in qua diximus terminum ad quem, debere aliquo modo fieri, & incipere esse.

Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem quod S. I, Luna, Corpus Christi in Cælo nihil reciperent: responderetur recipere nouum quoddam esse, quod antea non habebant, sicut enim modo Corpus Christi Domini per consecrationem, præter præsentiam Sacramentalem acquirit nouum

uum



uum quoddam esse, ita, & tunc; se, in quæstionibus sequenti-  
quid autem sit hoc nouum ef- bus explicabitur.

## QVÆSTIO II.

*An conuersio sit vera, & realis  
actio.*

**H**uius resolutio quæstio- nis magna ex parte de- pendet ex dicendis infra de Eucharistica conuersione; cum hæc, ut infra videbimus, sit vera, & propria actio, etiam conuersio in communi, actio vera, & propria esse debet; tamen ut natura conuersionis in communi sufficienter explicata maneat, præsentem quæstionem excitamus.

Prima ergo sententia cir- ca hanc rem est, conuersione non esse proprie actionem, sed vel adductionem, vel relatio- nem habitudinis, inter re quæ definit, & aliam quæ sequitur ut Vasquez disp. 181. cap. 11. vel succussionem vnius substã- tiæ ad aliam, ut Lugo hic sect. 6.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Con-

uersio vnius rei in aliam, siue sit substantialis, siue acciden- talis, est vera, & propria actio. Hæc conclusio est communis præsertim in Schola D. Thomæ ut ex infra dicendis de con- uersione Eucharistica patebit interim videatur N. Cornexus hoc art. 4. disput. prima du- bio 2.

Probatum conclusio; Primò quia ubi est nouus effectus re- alis, ibi noua actio realis, dari debet; sed in conuersione vni- us rei in aliam, datur nouus effectus realis, ergò debet da- ri noua actio realis. Maior pa- tet ex Philosophia. Minor probatur, nam in conuersione vnius rei in aliam datur defi- nitio termini à quo, & positio noua termini ad quem, ergò datur nouus effectus realis; non enim res quæ prius non

T t erat



erat nouiter poni potest, quin intelligatur, noui effectus realis positio.

Dices cum præcitatæ auctoribus, qui quoad substantiam in eodem conueniunt, quod adhuc ut intelligatur noua conuersio, non est necesse, quod noua detur actio, quæ ad terminum ad quem directè tendat, sed sufficit, quod noua detur successio vnus rei ad aliam, verbigratia substantiæ Corporis Christi, ad substantiam panis, ratione connexionis inter destinationem substantiæ panis, & successionem Corporis Christi.

Sed contra, quia intelligi non potest successio vnus rei ad aliam, nisi prius sit facta conuersio; prius namque est, quod fiat vnus rei in aliam conuersio, quam quod vna alteri succedat; successio enim productionem, & esse rei supponit. Hoc argumentum fortissimam habet vim contra Vasquez, cum velit conuersionem formalissimè consistere in relatione successionis, fundata in extremorum connectione: nam in omnium sententia relatio, suum supponit

fundamentum; ergò relatio successionis, successionem ipsam supponit, non facit; ergò antequam talis intelligatur relatio, intelligi debent successionis extrema; & per consequens conuersio facta.

Probatur secundo ad hominem contra prædictos auctores; nam in illorum sententia generatio ignis ex ligno, est vera, & propria conuersio; & tamen talis ignis generatio, non consistit formaliter in relatione successionis formæ ignis, ad formam ligni, in eadem materia: nullus enim hucusque dixit generationem substantialem, quæ per illos est vera, & naturalis conuersio esse relationem; sed omnes fatentur esse veram, & propriam actionem productiuam vnus, corruptiuam alterius; Tum etiam quia conuersio, quæ in generatione fit substantiali, fit à generante; atqui generans talem non facit conuersionem, per ipsam successionem, & multo minus per relationem; cum nulla relatio possit esse id, quo agens agat. ergo.

Confirmatur, quia vbi est veri



veri effectus efficientia passiva, debet omnino vera esse efficientia activa; non enim potest intelligi aliquid fieri, nisi per aliquod facere, & ipsum facere importat actionem sicut ipsum fieri effectum, sed in omni conversione dari debet efficientia passiva; ergo etiam efficientia activa dari debet. Minor patet; si enim nihil efficeretur, nulla conversio fieret, sed res maneret sicuti prius. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum desumi potest ex D. Thoma hoc art. 4: ad primum ubi dicit: *hec conversio substantialis, importat quendam ordinem substantiarum, quarum una convertitur in aliam*: Hoc idem docet in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 3. quæstiuncula prima ad 3. quibus addi potest elegans eiusdem Angelici doctrina 1. p. quæst. 41. art. 1. ad 3, & quæst. 45. art. 2. ad 2. & art. 3. in corpore, quod si ab actione, & passione auferatur ratio motus, seu mutationis quam includunt, quod superest, est sola relatio: ex qua doctrina infert S. Doctor, quod in diui-

nis generare, & generari, spirare, & spirari solum dicunt relationes formaliter, cum ibi nulla esse possit mutatio. Infert etiam ex eadem doctrina creationem esse dumtaxat relationem in creante, & creatura, quia cum in creatione nullum sit subiectum commune, ratio deficit mutationis, quæ erat necessaria ad hoc, ut ultra relationes, daretur actio; ergo hoc idem in transubstantiatione est asserendum; cum nullum intercedat subiectum, ad actionem ponendam necessarium, & sic ultra relationem aliud ponendum non erit.

Ad duo priora testimonia respondeo, nullomodo doctorem Angelicum favere adversaris; nam ibi non loquitur Magister sanctus de conversione formaliter sumpta ut actio est, sed loquitur de illa, ratione illati, vel consequentis; nam ad talem actionem, & conversionem sequitur quidam substantiarum ordo, & successio, sed hæc supponunt iam substantiam per conversionem productam, modo infra explicando.



Ad tertium testimonium, quoad illud quod in diuinis generare, & generari &c. non sint actiones, sed relationes, dico D. Thomam solum excludere à diuinis rationem actionis, secundum quod actio importat originem motus, non secundum, quod est actus substantialis diuini intellectus & voluntatis, quæ solutio patet ex verbis ipsius, dicit enim in solutione illa ad tertium. *Actio secundum quod importat originem motus infert ex se passionem, sic autem non ponitur actio in diuinis personis, unde non ponuntur ibi passionem, nisi grammaticè loquendo quantum ad modum significandi, sicut Patri attribuitur generare, & filio generari.* Vbi vt vides excludit D. Thomas à diuinis actionis rationem, solum quatenus intelligitur afferre secū passionem. Eodem modo respondemus ad illud quod dicitur de creatione, nam vt cōstat ex contextu, in tantum vult D. Thomas creationem non esse actionem, in quantum quod creatio non fit cum motu; non enim negat, nec negare potest Angelicus, creatio;

nem esse actum essentialem Dei immanentem formaliter, & virtualiter transeuntem; omnia namque Deus creat per actum sui intellectus, iuxta illud; *ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.* Benè verum est, quod creatione transacta, non nisi relatio creatoris ad creaturam & creaturæ ad creatorem manet, an autem hæc relatio sit in vtroque extremo realis, an in sola creatura, tractant N. Complut. in Logica.

Secundum argumentum conuersio non potest esse productiua rei, in quam fit conuersio, ergo erit solum successio, vel relatio. Antecedens probatur, nam demus panem conuerti in Solem, vel in Lunam, vel in Christi Domini Corpus, prout est in Cælo, quod fieri posse concessimus supra quæsti. præcedenti ad finem, tunc talis conuersio nõ esset productio Solis, Lunæ, vel Corporis Christi, cum producta sint, quod enim semel est extra causas, ab iisdem causis exire nequaquam potest ergo &c.

Respondetur pro modo  
(longior



(longior enim huius argumēti solutio, & plana eius explicatio quæst. 4. dabitur) conuersionem esse actionem productiuam, non ut creatio, cum non sit ex nihilo; nec ut generatio, cum non sit mutatio, sed ut conuersio; licet ergò Sol, Luna, & Corpus Christi Domini sint extra causas, ut creata, vel ut educa, vel genita, non tamen ut (si ita fas est loqui) conuersa, sed de hoc quæstione 4.

Tertium argumentum est, actio realis perit subiectum reale in quo recipiatur, cum enim sit accidens, de actionis prædicamento, subiectum cui inhæreat habere debet; sed in conuersione tale subiectum non reperitur; ergò nec vera actio reperiri debet. Minor probatur: non enim potest esse terminus à quo, nempe res quæ desinit, nam ut supra docuimus, conuersio est actio productiua, directè tendens ad positionem rei conuersæ, non ad destructionem rei desinentis; neque potest esse terminus ad quem, cum iste sit posterior illa; ergò &c.

Respondet N. Cornexus

conuersionem esse quidens accidens, non tamen debet habere subiectum cui inhæreat, quia actio ut actio, non debet habere subiectum inhæssionis quia non respicit subiectum in quo, sed causam à qua; unde dicit quod quædam accidentia respiciunt subiectum inhæssionis, quædam vero solum subiectum denominationis.

Sed hæc solutio sustineri non potest, nam de accidentis essentia est respicere subiectum inhæssionis, licet non sit actualiter inhære; accidens namque cum sit entis ens, ut loquitur Philosophus, subiectum cuius est ens respicere debet; & cum non sit necesse ad nouum recurrere miraculum in conuersionibus dicendo Deum miraculosè sustentare actionem sine inhærentia actuali, dicendum est debere actualiter inhære. Imo putato actionem transeuntem, neque per Diuinam potentiam esse posse, sine actuali inhærentia; cum enim sit solum via, fluxus, & fieri termini, seù sit formalitas quædam cum termino identificata, non potest



potest sine illo manere. Hac ergò relicta solutione respondeo pro modo (longior namque solutio dabitur quæstio-

ne 4.) quod subiectatur in termino producto, neque hoc vllum affert inconueniens, vt ibi explicabitur.

## QVAESTIO III.

*Vtrum quodlibet possit conuerti in quodlibet.*

**S**ensus præsentis quæstionis est, an quælibet creatura, in aliam quamlibet, Diuina virtute conuerti possit; vt substantia, in substantiam, materia, in materiam; forma, in formam; substantia, in accidens; & accidens, in substantiam; similiter an Deus possit conuerti in creaturam, & creatura in Creatorem.

Circa primum, an quælibet res creata, possit Diuina virtute, in aliam conuerti; est prima sententia Durandi in 4. dist. 11. quæst. 3. quod nec materia conuerti possit in aliam materiam, nec in aliam quamcunque rem; cum sit ingenerabilis, incorruptibilis; & per consequens inconuertibi-

lis, nec similiter corpus conuerti possit in spiritum; alij addunt, nec spiritus in corpus.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Quælibet creatura, Diuina virtute, conuerti potest in quamlibet; vnde vna substantia totalis, conuerti potest in aliam totalem, & etiam partialem; vna partialis in totalem; accidens in accidens; accidens in substantiam, siuè totalem, siuè partialem; & quælibet substantia in quodlibet accidens. Hæc est plana D. Thomæ sententia, vt postea videbimus. Illam sequitur Doctor subtilis 4. dist. 11. quæst. 2. & vtriusque Doctoris discipuli. Videatur Nugnus hic difficultate 3-



te 3. N. Cornexus dub. ultimo.

Probatur primò aucto ritate, & ratione D. Thomæ in hoc art. 3. ad 3. vbi sic fatur. *Virtute agentis finiti non potest forma in formam mutari, nec materia in materiam. Sed virtute agentis infiniti (quod habet actionem in totum ens) potest talis conuersi fieri: quia utrique formæ, & utrique materia est communis natura entis, & id quod est entitatis in una, potest auctor entis conuertere in id quod est entitatis in altera, sublato eo per quod ab illa distinguebatur.* Vbi duo colliguntur. Primum est, falsitas sententiæ Cardinalis de Lugo, quod conuersio, sit vni us rei ad aliam successio, in eodem officio, vt cum vna forma alteri succedit in munere informandi materiam, hæc enim successio etiam naturaliter fieri potest, vt in omnibus succedit generationibus & corruptionibus naturalibus cum tamen conuersio à solo Deo fieri possit, qui habet actionem in totum ens, ratione cuius facere potest, quod vna res alia fiat, per conuersionem

in illam. Secundum, quod ex illo D. Thomæ testimonio colligitur, est efficacissima ratio pro nostra conclusione, quæ ad sequentem formam reuocatur. Deus habet potestatem supra rationem entis; ergò potest conuertere quodlibet ens creatum in aliud: Antecedens est adeo clarum, quod à nemine negatur, nec negari potest; cum enim Deus sit causa vniuersalissima, debet respicere effectum vniuersalissimum, qui alius esse non potest, nisi ratio entis. Vnde videmus nullam creaturam, dum aliam producit, attingere in illa vniuersalissimam entis rationem, sed talem, & determinatam, vt ignis ignem, homo hominem &c. Consequentia probatur, nam ratio entis, in omni ente creato reperitur; ergò si Deus ob generalem illam entis creati rationem, potest hanc creaturam in aliam conuertere, cum hæc ratio in omnibus reperiatur, etiam conuersio reperiri poterit.

Confirmatur primò hæc D. Thomæ ratio, quia ad conuersionem cuiuscunque substantiæ



stantiæ in aliam, duo requiruntur, nimirum ex parte conuertentis virtus infinita, qua quælibet creatura fit ei summè subiecta ad obediendum, & ad patiendum quodcunque contradictionem non inuoluit & ex parte terminorum conuersionis, quod nulla inuolatur repugnantia, & quod sint reales, & positiui, sed hæc duo reperiuntur respectu Dei, in ordine ad creaturam quamcunque; ergò &c. Maior clara est. Minor ostenditur; nam imprimis in Deo infinita datur virtus in ordine ad totam creaturarum massam, & ad illarum quamlibet, ratione supràmi dominii, quod respectu omnium habet, & in creaturis omnibus, datur vera, & realis subiectio, & obedientia ad patiendum quid quid illarum Creator voluerit; ergò, &c.

Confirmatur secundo, quia maius est creaturam creare, & annihilare, quam illam in aliam conuertere; Atqui Deus potest creare, & annihilare ergò etiam quamlibet in aliã conuertere. Maior est certa, nam creare est rem ex nihilo

producere, & annihilare, est rem in nihilum redigere, at vero conuertare, est rem vnã in aliam vertere. Minor est de fide. Vnde bene dicit Soto in 4. dist. 9. quæst. 2. art. 4. ad 4. eos qui negant hanc nostram propositionem esse nimirum naturalibus rationibus alligatos.

Circa secundam partem an nimirum possit Deus conuerti in creaturam; & creatura in Deum. Lugo disput. 7. sect. 10. num. 180. cum teneat conuersionem nil aliud esse, quam successionem vnus rei ad aliam, absolutè docet, creaturã posse conuerti in Deum, licet non possit Deus in creaturam conuerti; potest tamen esse terminus à quo talis conuersionis, cum enim Deus definire non possit, non potest absolutè conuerti, ex alia parte cum possit creatura in aliquod munus Dei succedere, vt si verbum diuinum naturam dimitteret humanam, & subinde substantia pullularet creata, posset Deus dici esse terminus à quo, conuersionis, ad eum modum quo anima rationalis est terminus à quo conuer-



uersionis hominis in cadauer.

Nostra tamen sententia sequenti explicatur conclusione. Nec creatura potest conuerti in Deum, nec Deus in creaturam. Hæc est plana D. Thomæ sententia, loco pro prima sententia citato, cum enim dicat Angelicus, conuersionem fieri ratione potestatis quam habet Deus supra ens, & hanc non habeat supra se ipsum; sequitur nec posse Deum conuerti, nec alia in se conuertere. Vnde D. Thomam sequuntur eius discipuli Nugnus hic. Cornexus, & alii communiter.

Probatum primò creaturam non posse in Deum conuerti, ratione D. Thomæ supra adducta nam Deus nullam habet potestatem supra se ipsum ergò non potest aliquid in se ipsum conuertere. Antecedens est certum, nam par in parem nullam habet potestatem. Consequentia probatur, quia in tantum Deus potest aliquid in aliud conuertere, in quantum habet actionem & potestatem in vtrumque extremum, sed non sic in casu præsentis; ergò.

Confirmatur, quia vt quæstione secunda huius disputationis probauimus, conuersio est vera, & propria actio, termini ad quem, aliquo saltem modo productiua; Atqui impossibile est Deum villo modo produci; ergò nihil potest in ipsum conuerti. Vnde cum implicet aliquid esse alicuius conuersionis terminum, & nullam pati variationem, sequitur, quod cum in Deo nulla sit variatio, nec esse possit, nec aliqua vicissitudinis obumbratio, nec conuersionis terminus esse poterit.

Sed dices cum Lugo; potest Deus succedere in munus creaturæ, ergò creatura conuerti potest in Deum: Antecedens probat, quia si Deus modo assumeret naturam Petri destruendo Petri subsistentiam, & subrogando suam, tunc subsistentia diuina fungeretur officio subsistentiæ creaturæ, subsistentando eandem Petri naturam; ergò Deus succederet in munus creaturæ. Consequentiam, in qua est difficultas, non probat.

Respondetur concedendo Antecedens, & negando con-



sequentia; nam vt iã patet ex dictis ex D. Thoma, conuersio non est in munus alterius successio, alioqui Pontifex non oritur diceretur conuersus in superstitem; Abbas præteritus in præsentem, Prior præteritus in præsentẽ, & vniuersaliter quilibet in suum successorem, quod nullo modo dicendum videtur.

Probaturscundo Deum non posse conuerti in creaturam, nam in omni vera conuersione terminus à quo debet desinere; Atqui Deus nullo modo desinere potest; ergò non potest esse terminus à quo conuersionis, sed dices sufficere quod desinat formaliter nempe prout habet præstare tale, vel tale munus, vnde absolutè dicimus hominem conuerti in cadauer licet anima rationalis esse non desinat nisi quoad munus informandi materiam primam. Nam respondetur, hoc argumentum habere vim contra Lugum, secundum cuius sententiam, ad conuersionem termini productio non requiritur, sed vnus rei ad aliam successio vnde illius sententia non videtur

posse negari, Deum conuerti in creaturam, sicut anima, conuerti dicitur in cadauer. Soluuntur argumẽta in contrariũ

Primum argumentum desumitur ex D. Thoma 4. contra Gent. cap. 31. vbi arguitur contra Appollinarem dicentem Verbum diuinum non in Incarnatione, in carne fuisse conuersum, sic loquitur: *Eorum que non communicant in materia, & in genere vno impossibile est fieri conuersionem in inuicem, non enim ex linea fit albedo, quia sunt diuersorum generum: neque corpus elementare potest conuerti in aliquod corporum celestium, vel in aliquam incorpoream substantiam aut conuersi, cum non conueniant in materia. Verbum autem Dei, cum sit Deus, non conuenit, neque in genere, neque in materia, cum quocunque alio. ergò impossibile est verbum Dei fuisse in carnem conuersum, vel in quodcunque aliud.* Nec valet dicere quod Diuus Thomas de potentia loquatur ordinaria; nam argumentum illius contra Appollinarem non valeret; namque non valet arguere à potentia ordi-



ordinaria ad potentiam absolutam; certum namque est Appollinarem, dum volebat Verbum Diuinum fuisse in carnem conuersum de potentia absoluta fuisse loquutum.

Respondetur primo D. Thomam posse intelligi de potentia ordinaria, ita quod argumenti sensus sit, non potest de potentia ordinaria corpus conuerti in spiritum; ergo neque Deus de potentia absoluta conuerti potest in carnem. Consequentia probatur, quia difficilius est Deum in creaturam conuerti, quam corpus in spiritum; ergo si hoc nequit esse de potentia ordinaria, illud ob maiorem repugnantiam, difficultatem, & distantiam, neque de absoluta esse poterit.

Respondetur secundo D. Thomam non loqui de conuersione propriè dicta, sed lata, ad sensum sententiæ Cardinalis de Lugo, prout nimirum, conuersio accipitur pro successione vnius in officium alterius in genere causæ formalis; nam volebat Appollinaris Verbum Diuinum fuisse in carnem conuersum, in

quantum, ipsum verbum carnis officio fungeretur, quod probabat exemplo aquæ in vinum conuersæ in Cana Galilææ, vbi forma aquæ destructa, forma vini materiam primam informabat; quæ ratio formæ, Verbo Diuino conuenire non poterat, etiam per Diuinam potentiam; sicut nec spiritui respectu corporis, nec corpori respectu spiritui.

Secundum argumentum, materia prima non potest in aliam materiam primam conuerti; ergo non potest quodlibet creatum, in aliud quodlibet conuerti. Antecedens probatur, nam si materia prima in aliam conuerti posset, vel hoc fieret vt separata à forma, vel sub forma; neutrum dici potest; ergo &c. Minor probatur, nam separata à forma dari non potest, neque sub forma, quia dum manet eadem forma, eadem materia manere debet, cum ab illa suam recipiat indiuiduationem.

Respondetur negando antecedens, ad probationem dico, materiam sub aliqua forma existentem, posse in aliam



materiam, vel sublunarem; vel cælestem conuerti, & etiam in quamcumque aliam re creatam.

Tertium argumentum est, quia anima rationalis conuerti non potest in formam bruti, vel lapidis, vel cæli; nam istæ formæ essentialiter à propriis dependent materiis; anima vero rationalis, est independens, & non nisi hominem constituere potest, non lapidem, non brutum, non cælum. Similiter intellectus, vel habitus illius ut habitus sapientiæ, vel scientiæ, in albedinem conuerti non potest; cum enim sint vitalia, non nisi à principio vitali procedere possunt; nec albedo in sapientiam, vel scientiam, cum accidens corporeum in subiecto spirituali subiectari non possit; ergo &c.

Respondetur negando antecedens, ut enim patet ex dictis, non est hic successio, sed vera, & realis conuersio in aliud; vnde si anima rationalis in formam lapidis, bruti, vel cæli conuertatur idem præstabit quod illa præstât; idem dicendum de sapientia in albedinem conuersa, & e contra. Et sic patet esse verum Scolasticorum, & Theologorum proloquium cum Scoto, & eius Schola, D. Thoma, & Schola eius, quod Diuina attempta omnipotentia, quodlibet creatum potest in quodlibet aliud conuerti; quod in sententia Cardinalis de Lugo, saluari non potest; nõ enim potest intellectus fungi officio albedinis, nec albedo intellectus, materiæ, formæ, &c.





## QV AEST I O IV.

*An conuersio Eucharistica sit vera, & propria actio,*

**C**Vm Eucharistica conuersio sit vera, & propria conuersio, sequitur quod omnia quæ de conuersione in communi hucusque dicta sunt illi prorsus conueniant. Vnde sicut de ratione conuersionis in communi est, quod terminus à quo desinat, ita, & hic, & sicut in conuersione in communi terminus ad quem debet aliquo modo fieri, ita & hic, & sicut in illa, connexio esse debet inter terminum à quo, & ad quem, ita & in ista & sicut illa inter terminos esse debet positiuos, ita & ista & sicut illa est vera, & propria actio, ita & ista erit, tamen quia aliqui moderni quos supra quæstione secunda retulimus, id ipsum negant; ideo placuit hanc quæstionem in particulari pertractare.

Est ergo prima sententia Patris Valquez hac parte disput. 181. capit. 11, & se-

quentibus cui quoad substantiam subscribit Lugo disput. 7. sect. 6. num. 89. & alij, quod conuersio Eucharistica formaliter, & præcisè spectata, non sit propriè actio, sed quædam habitudo, & ordo inter substantiam, quæ desinit, & illam quæ sequitur; quæ quia aliquam habet similitudinem cum conuersione ratione desinitionis, & positionis conuersio appellatur.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Conuersio Eucharistica est vera, & propria actio, conuersiua substantiæ panis, & vini, in Corpus, & Sanguinem Christi Domini.

Probatum primò ex Tridentino sess. 13. cap. 4. & can. 2. ubi docetur, quod per consecrationem vera fiat conuersio substantiæ panis, & vini, in Corpus, & Sanguinem Domini, & quod hæc conuersio



conuenientissimè ab Ecclesia transubstantiatio appellatur: quod secundum P. Vasquez sententiam, & Cardinalis de Lugo saluari non potest, cum per illos sit tantum substantiarum successio ad inuicem, non vera, & propria conuersio, seu transitus vnius substantiæ in aliam.

Nec valet dicere cum Lugo num. 89. quod licet hic nõ interueniat actio alicuius termini substantialis productiua, interuenit tamen actio introductiua Corporis Christi Domini sub speciebus, quæ actio non debet appellari adductiua, quia hæc ad solam presentiam localem terminatur, hæc autem facit Corpus Christi subsistere accidentibus, tum quia adductio motum sonat localem successiuum transeundo per medium, sed debet appellari actio constitutiua Corporis Christi sub speciebus.

Nam contra est quia Tridentinum non agnoscit in hoc Sacramento actionem introductiuam, vel constitutiuiam Corporis Christi sub Sacramento sed veram, & realem conuersionem substantiæ panis in

Corpus Christi, quam conuersionem non introductionem vel constitutionem Corporis Christi Domini appellat; sed transubstantiationem, quam propterea mirabilem vocat, non esset autem adeo mirabile, quod Corpus Christi sub speciebus constitueretur. Tū quia non potest Corpus Christi sub speciebus constitui, nisi prius sit ibi, vel aliunde adducatur: ergò cum per illum auctorem aliunde non adducatur, ad hoc vt sub speciebus constituatur, debet per aliquam actionem ibi poni, non per aliam quam per conuersionem, seu, vt loquitur Concilium, per ipsam transubstantiationem; ergò, &c.

Confirmatur, & explicatur hæc ratio, quia de fide est in Eucharistia veram conuersionem substantialem interuenire, nempe panis in Corpus Christi Domini; atqui terminus transubstantiationis, seu conuersionis substantialis non potest esse Corporis Christi Domini introductio, sed vera ipsius ex pane productio, ergò &c. Nam introductio, vel constitutio Corporis Christi Domini



mini sub speciebus, nil aliud est, per illum auctorem, quam quædam coniunctio eiusdem Corporis Christi cum speciebus, ipsas sustentando, ut panis faciebat, sine inherentia tamen; atqui hoc non est fieri per transubstantiationem; ergo, sed agamus rationibus.

Prima ratio, implicat Corpus existere, sicut & quælibet creatura, & non sit productum; sed si Corpus Christi in hoc Sacramento ex pane per conuersionem non produceretur, daretur corpus existens, & non productum; ergo non potest dari in hoc Sacramento, Corpus Christi Domini sine productione. Maior videtur nota lumine naturæ, quidquid enim extra causas existit sui causas recognoscere debet, nihil enim potest sui ipsius esse causa existendi, alioqui esset prius, & posterius se ipso. Minor probatur, demus Corpus Christi non esse in Cælo, vel post consecrationem desinere esse in Cælo, & conseruari in Eucharistia, tunc ibi esset, & non esset productum; ergo, &c.

Secunda ratio, Corpus Christi in Eucharistia poni non potest, nisi vel per adductionem, vel per conuersionem, sed per illos auctores nec adducitur, nec per conuersionem ponitur; ergo non est, quod contra fidem est. Maior probatur quia si Corpus Christi in hoc Sacramento poneretur, & non per adductionem, vel conuersionem, hoc esset per successionem, vel per introductionem; atqui per hæc poni non potest, ergo; minor probatur, quia nec successio, nec introductio sunt transubstantiatio, nec substantialis conuersio, ut debet esse, per Concilia, & Patres in Eucharistia, tum quia tam successio, quam introductio Corporis Christi in Eucharistia supponunt Corpus Christi esse productum; at hoc est contra conuersionem, quæ est talis naturæ, quod etiam si Corpus Christi productum non supponeretur, ex vi illius produceretur; non sic adductio, & introductio; cum per suos auctores non sint actiones productiuæ. Tum etiam; quia Patres probant conuersionem vini in sanguinem



ex conuersione aquæ in vinū facta in Cana Galileæ, Deumque posse solo verbo ex pane corpus suum efficere, qui solo verbo fecit Cælum, & Terrā, patet autem quod forma vini non fuit introducta, sed de nouo, per propriam Christi Domini actionem, producta.

Tertia ratio; ad essentiam conuersionis pertinet definitio termini à quo, vt omnes concedunt, & illi contra quos disputamus; ergò etiam ad eiusdem conuersionis essentiam spectabit productio termini ad quem. Consequentia probatur, tum quia ita contingit in omni conuersione substantiali; Tum etiam, quia terminus à quo, & ad quem in omni mutatione sibi inuicem debent correspondere; ergò, cum in cōuersione terminus à quo, ex conuersionis natura, esse definat; ex eadem conuersionis natura, terminus ad quem esse incipere debet; tum etiam quia, sicut non potest intelligi vera, & propria successio vbi terminus à quo destruitur, & terminus ad quem, producitur; ita intelligi non potest conuersio, vbi est termini à

quo destructio, & termini ad quem successio, vel introductio.

Sed dices, ex nostra sententia sequitur quod Christus Dominus secundum esse substantiale inciperet esse, & secundum illud desineret in hoc Sacramento; atqui hoc absurdum videtur; ergò &c. probatur, nam si Christus inciperet esse in Eucharistia in qua prius non erat, nouum haberet esse, quod prius non habebat, & dum ibi desinit, tale esse amitteret, quod prius habebat; atqui hoc est in intelligibile; ergò &c. maior patet, nam actio noua requirit terminum nouū vel saltem antiquum cum nouo modo essendi; sed transubstantiatio per nos, est noua actio; ergò vel debet de nouo producere Corpus Christi, vel saltem nouum modum substantialem in ipso producere; sed neutrum est, ergo: minor probatur, nam Corpus Christi nec incipit de nouo, nec nouum modum substantialem acquirit, quod sic ostenditur, quia substantia Corporis Christi Domini secundum se sumpta, est vna, & eadem numero in

omni-



omnibus hostijs, actiones vero conuersuæ, numero multiplicantur, vt patet; non enim consecratio externa, est eadem numero, cum hodierna; nec consecratio Petri Sacerdotis, est eadem numero, cum illa quam facit Paulus.

Respondetur distinguendo maiorem: sequitur ex nostra sententia quod Christus Dominus incipiat, & desinat in hoc Sacramento secundum esse suum substantiale absolutum, quod habet, & negatur; sequitur quod incipiat, & desinat esse in hoc Sacramento, secundum esse substantiale, secundum quod panis in ipsum conuertitur, seù secundum quod est id in quod panis conuertitur, & conceditur. Igitur esse substantiale Christi dupliciter considerari potest, vel absolutè, vel vt fit ex pane, primò modo cum iam sit extra causas per actionem conuersiuam non fit, secundo autem modo fit, quia secundum hanc considerationem extra causas non est, sed per consecrationem ipsam ponitur; & per hæc patet ad ea, quæ in argumento tanguntur; cum

enim consecratio, seù conuersio Eucharistica fit vera actio realis, vera debet esse productio, & terminus ad quem, debet esse aliquo modo productus, vel effectus; non quidem absolutè, & secundum se, quia hoc modo præsupponitur, sed prout fit ex pane, & quia prout hoc modo fit ex pane, diuersas numero connotat conuersiones, seù actiones, sequitur quod licet Corpus Christi Domini secundum se fit idem numero in omnibus Sacramentis, prout tamen dicit hoc, quod est fieri ex pane hoc, vel illo; hac vel illa conuersione, numero distinguitur. Vnde vt verbo vno, rem totam dicam, actio consecratiua, cum sit substantialis, Corporis, & Sanguinis Christi Domini substantiam attingere debet, non quoquomodo, non prout est in se, sed prout est terminus conuersionis panis, & vini in ipsam, seù prout nouo modo fit ex pane, prius namque erat substantia Corporis, & Sanguinis Domini secundum se, sed non prout facta ex panis, & vini substantia. Et hæc est D. Tho



mæ, Caietani, Nugni, & Thomistarum Doctrina, quæ ex dicendis quæst. sequenti magis elucidata manebit. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum est, quia si daretur hæc actio conuersiua substantiæ panis, & vini, in Corpus, & Sanguinem Christi Domini deberet in aliquo subiectari; sed non apparet in quo subiecto possit subiectari; ergo non datur. Maior nota est ex philosophia, actio namque vel est immanens, & hæc in omnium sententia in agente subiectatur; vel est transiens, nempe illa, quæ aliquid extra operans producit, & hæc subiectatur in passio. Minor etiam clara videtur, nam in panis substantia subiectari non potest, cum in illo instanti in quo actio est, sit non esse panis; neque etiam in Corpore Christi, nam hoc, est ipsa actioe posterius, cum effectus sit illius, & terminus.

Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem; ad probationem, relicta eorum sententia, qui dicunt

hanc actionem subiectari in solo pane, cum veritatem habere nequeat, quod enim non est, subiectum esse nequit, in eo autem instanti in quo est esse actionis, est non esse panis. Similiter relicta aliorum sententia, qui dicunt actionem transubstantiatiuam fundari in utroque extremo: fundati in dicto D. Thomæ in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 3. quæst. 1. ad 3. quod cum conuersio sit successio debeat in succedentibus fundari, & in hoc articulo primo, ubi idem ferè dicit; dico subiectari in Corpore Christi, est enim vniuersale in omne fieri, quod in suo facto esse fundetur, & subiectetur, vt patet in generatione substantiali, quæ non in subiecto corrupto fundatur, & subiectatur, sed in genito, præsertim, cum in sententia D. Thomæ, & nostra vt ostendunt N. Complut. in Physica, actio licet formaliter distingatur à termino, realiter tamen cum eo in vna identitate identificatur. Nec D. Thomas adductus, est contra nos, nam non loquitur de conuersione vt actio est, sed prout affert quem-



quemdam successionis ordinem, habitudinem, & relationem.

Secundum argumentum: Implicat quod actio ab aliquo agente procedens, sit ipsius agentis productiua; sed actio conuersiua de facto à Corpore Christi Domini tanquam ab instrumento diuinitati coniuncto, procedit; ergò non potest esse eiusdem Corporis Christi Domini productiua. Maior est certa in Philosophia, nam idem non potest esse prius, & posterius se ipso in eodem genere causa, verbigratiã efficientis; cum ergò de essentia actionis sit, quod supponat agens à quo procedit, non poterit esse eiusdem agentis productiua, Minor patet ex dictis à nobis de Sacramentis in Genere, ostendentes Christi Domini humanitatẽ esse causam physicam instrumentalem in institutionis Sacramentorum, tum esse, tum effectuum illorũ

Respondet Nugnus dupliciter, primò quod actio consecratiua secundum se, non supponit Christum Dominum existere in rerum natura, li-

cet enim supponat vt institutorem, & etiam vt concurrentem physicè instrumentaliter ad transubstantiationem, & productionem sui ipsius per virtutem à se relictam in verbis consecrationis, tamen ipsa consecratiua actio de facto Christi Domini existentiam, non supponit.

Sed hæc solutio displicet, vt enim supra dicebamus, licet potuerit Deus, & hac, & alia Sacramenta instituere independentem à Christo, de facto tamen id non fecit, sed voluit, quod non solum Christus Dominus omnia Sacramenta institueret, sed etiam quod de facto omnia ex ipsius ponantur motione. Propterea videmus Christum voluisse ex huius Sacramenti institutione, quod eius corpus poneretur in hoc Sacramento eodem prorsus modo, quo est extra Sacramentum; vnde si viuum, ponitur viuum; si mortuum, mortuum, si possibile, possibile; si gloriosum, gloriosũ; vnde ex vi præsentis institutionis, si Corpus Christi secundum esse reale desineret, Sacerdos consecrando nihil efficeret.



Respondetur ergo secundo cum eodem auctore nullam esse implicantiam, quod idem Corpus Christi secundum illud esse, quod habet in Cælo, sit causa instrumentalis physica, ad producendum se ipsum secundum idem esse substantiale prout fit ex pane; nam sicut potest Deus assumere Petrum hic Romæ existentem ad reproducendum se ipsum, vel ad replicandum se ipsum siue entensiuè secundum aliquos, siue inextensiuè secundum nos, quare id ipsum Christo Domino denegandum erit.

Tertium argumentum est, quia si in hoc Sacramento daretur actio conuersiua substantiæ panis, & vini, in Corpus, & Sanguinem Domini deberet etiam esse conseruatiua illius, quandiu sub speciebus manet; Atqui non datur hæc actio conseruatiua; ergò nec conuersiua. Minor in qua est difficultas probatur; nam non potest virtus conseruare substantiam in vna parte, quin etiam illam conseruet in omnibus, sed hæc actio non conseruat Corporis

Christi Domini substantiam prout in Cælo; ergò neque prout in Sacramento. Tum quia, Corpus Christi manet, actione conuersiua transacta; ergo ab illa non conseruatur; quod enim non est in se, aliud conseruare non potest. Tum etiam, quia si Deus suspenderet actionem illam, qua conseruat Christi Domini corpus in Cælo, desineret esse in Sacramento; ergo non conseruatur ibi in virtute actionis conuersiue, alioqui etiam si in Cælo desineret, non desineret esse in Sacramento.

Respondetur admittendo maiorem, posset enim absolute negari, nam plura, alia conseruantur actione, ab illa, qua fuerunt producta vt patet in calore à sole producto, ab igne conseruato. Sed admissa maiore, neganda est minor. Ad primam probationem dico; quod licet eadem Christi Domini substantia sit in Cælo, & in Sacramento, tamen diuersimode, in Sacramento namque est ratione conuersionis panis in ipsum, ideo secundum hunc modum per actionem conuersiuam conseruatur in



Sacramento, non in Cælo. Ad secundam probationem dico, quod licet illa actio conuersua formaliter trāseat, manet tamen virtualiter in ipso corpore Christi, cum quo ut diximus identificatur, & cum ibi Christi Domini Corpus fuerit positam ex pane, tamdiu in virtute actionis conuersiuæ manet, quamdiu maneret substantia panis, si adesset. Ad vltimam probationem patet ex dictis supra disput. 6. quæstion. 5. vbi ostendimus de facto præsentiam Sacramentalem à naturali Christi Domini dependere, & si semel desineret secundum præsentiam naturalem, statim etiam desineret secundum præsentiam Sacramentalem, cum de facto, hæc ab illa, tamquam instrumentaliter physicè conseruante dependeat.

Quartum argumentum.

Corpus Christi Domini dum in Sacramento desinit, nihil substantiale amittit; ergò neque per positionem, acquirit. Antecedens patet, alioqui cū quotidie millies, & plusquam millias desinat, aliquid semper substantiale amitteret, quod est absurdum. Consequentia probatur, quia id acquirit corpus Christi per conuersionem quod postea amittit per desitionem; atqui per desitionem, nihil substantiale amittit, ergò per actionem conseruatiuā nihil acquirit &c.

Respondetur quod illud ipsum, quod per conuersionem acquirit, id ipsum per desitionem amittit; atqui per conuersionem acquirit esse substantiale non absolutè, sed prout ex pane, & id ipsum amittit; quorum omnium maiorem intelligentiam quæstio sequens dabit.





## QVAESTIO V.

*Quisnam sit proprius, formalis, & primarius  
terminus conuersionis Eucharisti-  
cæ, seu transubstantia-  
tionis.*

**L**icet ex dictis quæstione præcedenti, præsentis deducatur resolutio quæstionis, cum enim dixerimus actionem conuersiuam ex pane attingere substantiam Corporis Christi, non secundum esse absolutum, sed hoc particulari modo, nempe prout fit ex pane, patenter sequitur, hunc esse proprium formalem & primarium conuersionis Eucharistiæ terminum; tamen maioris gratia claritatis, distinctè illam excitamus, in qua sequentem seruabimus ordinem. Primo aliorum referemus sententias, & reiciemus, eorum etiam fundamentis, si quæ erunt satisfaciendo, postea ponemus nostram, illâ corroborâdo, & obiectis satisfaciendo. sit ergo.

Prima sententia, quæ Do-

ctori subtili tribuitur in 4. dist. 11. quæst. 3. & 4. & in quodlibet. art. 10. quam ex modernis sequitur Belarm. lib. 3. cap. 18. est, quod terminus formalis transubstantiationis sit præsentia Sacramentalis; pro quo nota, Scotum duplex transubstantiationis genus distingueret: Primum est, conuersionis productiuæ: Secundum est conuersionis adductiuæ. Primum non reperitur in præsentia. benè secundum: addit tamen Belarminus, quod ad transubstantiationem adductiuam non requiritur quod substantia, quæ adducitur locum deferat, quem prius habebat, & per verum motum localem, locum alterius substantiæ acquirat; sed sufficit quod illa substantia, quæ antea erat in vno tantum loco, incipiat de nouo



nouo esse in loco alterius substantiæ. Vnd hæc sententia in tribus consistit. Primum, quod Corpus Christi Domini substantialiter ex pane non producat. Secundum, hanc non esse veram conuersionem qua vna substantia entitatiuè in aliam transeat, sed esse solū quandam substantiarum successione. Tertium est, quod Corpus Christi non terminat formaliter, secundum suum esse substantiale, sed solum ratione præsentia Sacramentalis, qua sub speciebus consistit. Hanc sententiam defendit etiam Lugo disput. 7. num 89. licet velit, non posse vocari adductionem, quia solum terminatur ad præsentiam localem, sed velit debere vocari introductionem, vel constitutionem, quæ terminatur ad ponendū Corpus Christi Domini sub speciebus, fungendo officio substantiæ, ipsas, sine inhærentia, sustentando.

Sed hæc sententia nullatenus valet sustineri; vt enim quæstione præcedenti probauimus, conuersio Eucharistica est vera, & propria substan-

tialis conuersio, vt docet Tridentinum sess. 13. capit. 4. & can. 2. quod ibi expendimus; ergo terminus debet esse substantia; atqui in opposita sententia, conuersio Eucharistica non esset transubstantiatio, sed translocatio, vel transfaccidentatio; ergo. Nec valet respondere cum Belar. quod ad hoc vt aliqua mutatio sit substantialis, sufficit quod in ea terminus à quo sit substantia; hoc autem in præsentia reperitur, cum panis, qui est terminus à quo, conuersionis Eucharisticae, sit substantia.

Nam contra est, quia in omni mutatione, denominatio desumi debet ab eo termino, qui potissimè intenditur; atqui non intenditur terminus à quo, qui esse desinit, sed terminus ad quem, qui esse acquirit; ergo &c. Tum etiam quia in sententia Belar. non solum terminus ad quem, est accidentaliter, verum etiam terminus à quo, formaliter importatus: quod sic ostendo; nam in adductione hac Sacramentali, desinit substantia panis, non est formalis terminus à quo adductionis; non enim

Cor-



Corpus Christi adducitur à substantia panis, sed ab esse suo naturali, quod habet in Cælo, absque eo quod ibi esse desinat; desinitio autem substantiæ panis respectu adductionis est terminus solum de materiali importatus.

Sed dices cum Lugo, terminum ad quem huius conuersionis non esse accidens, seu solam præsentiam localem sed esse ipsam Corporis Christi Domini substantiam, quatenus de nouo introducitur, vel sub speciebus constituitur.

Nam contra est, quia hoc quod est Corpus Christi constitui sub speciebus, vel est aliquid substantiale, vel accidentale; primum dici non potest; ergò secundum. Minor probatur, quia hoc quod est constitui sub speciebus, est illud ipsum quod desinit ad desinitionem specierum; sed per illum auctorem, per desinitionem Corporis Christi Domini sub speciebus, nihil substantiale desinit; ergò hoc quod est Corpus Christi Domini poni sub speciebus, nihil substantiale erit: aliud namque est substantiam Corporis Christi Domini

ni poni sub speciebus, & aliud est, hoc quod est poni sub speciebus, quod fit per actionem conuersiuam, per illum auctorem, fit substantia; cum enim secundum Lugum substantia Corporis Christi Domini ex pane non producat, nec reprodudatur, nec adducatur, sed solum per actionem conuersiuam sub speciebus constituitur, sequitur talem actionem formaliter substantiam non respicere, sed ad summum illam materialiter supponere, quam sub speciebus ponat. Tum quia, hoc quod est poni, vel constitui sub speciebus, est quoddam concretum accidentale, licet materiale illius sit substantia; ergo id quod formaliter attingit hoc concretum, formaliter non respiciet substantiam; & per consequens actio transubstantiatiua non erit substantialis, contra nomen, & rationem ipsius, cum formalis eius terminus ad quem, non sit substantia, sed accidens.

Sed arguunt oppositum sentientes, quia Corpus Christi per conuersionem solum esse accidentale acquirit, nem



pe quod fiat præfens speciebus Sacramentalibus; ergò terminus formalis conuersionis Eucharisticæ erit ipsa præfentia Sacramentalis. Antecedens probant. Primo, quia Christus secundum totum esse suum substantiale, conuersioni præexistit. Secundo, quia Christus secundum illud terminat conuersionem, quod conuersione media acquirit; atqui solum acquirit esse præfens speciebus; ergo secundum hoc præcisè habet terminare. Tertio, quia per specierum consecratarum corruptionem, Corpus Christi nihil amittit secundum suam substantiam, sed solum amittit hoc quod est esse præfens speciebus; ergo &c.;

Responderur negando antecedens. Ad primam probationem, dico Corpus Christi Domini præexistere conuersioni secundum suum esse substantiale absolutum; non vero secundum suum esse substantiale, quod habet ex conuersione panis in ipsum. Per quod patet ad secundam probationem, nam media conuersione non solum acquirit

esse sub speciebus, sed acquirit esse substantiale per conuersionem panis in ipsum; ut infra magis explicabitur. Ad tertiam probationem etiam patet ex dictis, licet per corruptionem specierum non desinat esse Corpus Christi secundum suum esse absolutum desinit tamen secundum illud esse quod habebat ex pane, seu prout erat ex pane.

Secunda sententia, quam defendit Alanus lib. 1. de Sacram. à cap. 34. vsque ad 37. Palacius in 4. dist. 11. disp. 1. concl. 2. Paludanus quæst. 3. art. 2. & Hæntriquez. lib. 8. de Eucharistia cap. 24. & 25, est, quod terminus formalis conuersionis Eucharisticæ sit modus quidam substantialis, quo Christus Dominus est præfens speciebus, ipsas in genere causæ efficientis, conseruando.

Sed contra, quia ut diximus supra disput. 6. quæst. 3. modus quo Christus Dominus est in Eucharistia non est substantialis, sed accidentalis; modus namque substantialis, solum inter extrema substantialia esse potest; ergò &c. Tū

Yy quia,



quia, vt docent Philosophi inter substantiam, & propria accidentia sibi in hærentia non datur vnio substantialis, sed accidentalis, ergo cum Corpus Christi Domini substantiæ succedat, in ordine ad sustentanda accidentia, non potest illis medio modo substantiali vniri. Tum etiam quia dato isto modo, non saluatur ratio transubstantiationis Sacramentalis respectu Corporis Christi; nam adhuc restat inquirendum quomodo sub speciebus ponatur Corpus, vel per adductionem, vel per conuersionem. Tum denique quia si terminus ad quem esset iste modus substandi speciebus, terminus à quo non esset substantia panis, sed modus ille quo panis substantia substat accidentibus, vt sit correspondentia terminorum in hac mirabili mutatione,

Potissimum huius sententiæ fundamentum est, quia actio conuersiua panis in corpus Christi est Sacramentalis; ergo eius terminus debet esse, esse Sacramentale; esse namque Sacramentale in corpore Christi in alio non consistit, quã

in modo quodam speciali substandi accidentibus, qui per illa verba significatur: *Hoc est corpus meum,*

Respondetur concedendo Antecedens, & negando consequentiam, si intelligatur de termino primario; si vero intelligatur de termino secundo, conceditur. Prius namque esse debet conuersio substantiæ panis in substantiam Corporis Christi Domini, quã quod esse Sacramentale acquiratur, vt est generale in omnibus rebus, quod nimirum prius sint, quam quod alicubi sint.

Tertia sententia, quam defendit p. Suarez hic disp. 50. sect. 4. vbi licet plures pro se referat, nullus tamen ei fauet, nisi solus Gab. in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 3. & in can. lect. 40. est, quod terminus actionis transubstantiatiuæ, sit conseruatio Corporis Christi Domini sub speciebus.

Sed hæc etiam sententia reiicienda est, & potiori ratione, quam præcedentes, quia terminus saluat rationem conuersionis, quam Concilia, & Patres in hoc Sacramento ponunt  
quis



quis enim non videat rationem formalem transubstantiationis, seu conuersionis substantialis substantiæ panis, & vini, in Corpus, & Sanguinem Domini, non esse formalem rationem conseruationis.

Tum quia in omnium sententia, actio conseruatiua, uel remi productam, quam conseruat, supponit, uel ipsa, rem quam conseruat, producit; cum ergò per Suarezum, hæc actio conseruatiua Corporis Christi Domini sub speciebus, idem corpus sub illis non produxerit, per aliam actionem debuit fuisse productum, sicut enim actio conseruatiua Corporis Christi Domini in Cælo, uel produxit, uel supponit illud ibi esse productum; ita actio conseruatiua eisdem Christi Domini Corporis, sub speciebus, uel debet illud ibi ponere, uel supponit, per aliam actionem ibi fuisse positum. Nec argumenta P. Suarez alii cuius sunt roboris, ideo relinquo.

Quarta sententia est M. Soto in 4. dist. 9. quæst. 2. art. 4. dicentis transubstantiationem

habere quidem terminum substantialem antiquum, nempe substantiam Corporis Christi, de facto tamen productum non habet terminum, sufficit enim, quod transubstantiatio secundum se, sit termini productiua, & de facto produceret, si productum non inueniret.

Sed hæc etiam sententia ab omnibus reicitur, quia si de facto terminum non habet, de facto transubstantiatio non est; esset quidem, si haberet terminum, sed quia non habet, esse non potest; cum enim de essentia transubstantiationis actualis, sit habere terminum à quo actualem, ita & terminus ad quem actualẽ habere debet; ergò sicut non esset transubstantiatio actualis si deesset terminus à quo; ita pariformiter si desit terminus ad quem.

Quinta sententia est aliorum quos suppresso nomine refert N. Cornexus hic disput. 2. dub. 8. quod transubstantiatio non habeat terminum productum; sed conuersum: uolunt namque isti transubstantiationem non es-



se actionem productiuam, sed puram, & simplicem conuersionem, & sic sicut productio habet terminum productum, & conseruatio terminum conseruatū &c, ita conuersio terminum conuersum non productum, nō conseruatum &c. Sed hæc etiam sententia insufficientis est, nam ex hoc, quod Corpus Christi in hoc Sacramento est terminus conuersus, vel hic producit, vel non, si primum; ergo conuersio est actio productiua, si secundum dicatur, peto quomodo hic ponatur, cum conuersio possit fieri in Corpus Christi, prout etiam est in Cælo; tum quia habet contra se hæc sententia omnia argumenta, quibus præcedenti quæstione probauimus conuersionem Eucharisticam esse veram, & propriam actionem.

Sexta sententia quam defendunt aliqui Thomistæ, & noster Cornexus dubio citato est, quod conuersio Eucharistica habeat pro termino corpus Christi Domini, non quidem ut quid productum, sed ut est id in quod panis conuertitur; ita quod conuersio Eu-

charistica sit actio substantialis non qua producatur Corpus Christi; sed qua est id in quod panis conuertitur. Sed si ista sententia velit Corpus Christi nullo modo produci; ex dictis facile reicitur; cum enim conuersio sit vera, & propria actio, debet proprium habere terminum; per hoc autē quod dicitur Corpus Christi esse id in quod panis conuertitur, vel solum significatur substantia panis desitio, & non Corporis Christi productio, & tunc significatur terminus à quo, & non ad quem, & tunc saluabitur conuersio cum sola desitione termini à quo, quod est impossibile; si vero per hoc quod dicitur Corpus Christi esse id in quod panis conuertitur, significatur verum fieri Corporis Christi Domini, non secundum substantiam suam absolutē, sed modo hoc determinato, nempe per panis conuersionem in ipsum, & hoc est quod volumus nos, prout sequens explicabit conclusio.

His ergo omnibus reiectis: Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Ter-

minus



minus formalis, proprius, & primarius conuersionis Eucharisticæ, seu transubstantiationis est Corpus, & Sanguis Christi Domini prout verè, & realiter fiunt ex substantia panis, & vini. Hæc est plana, & certissima D. Thomæ sententia, & discipulorum eius. Videatur Nugus hic difficultatè prima, conclusione vltima, vbi illam optimæ probat. Illam defendit Coninchus dialogo 5. Isamb. disput. 8. art. 10. Petrus à S. Ioseph in sua Idea Theologiæ lib. 2. de Eucharistia capit. 4. resol. 3. & alij magis communiter.

Probatur primo Sæctorum Patrum testimonijs. D. Augustinus relatus cap. *Vtrum sub figura*. de consecrat. dist. 2. ita habet: *Corpus Christi & veritas, & figura est: veritas dum Corpus Christi, & Sanguis virtute Spiritus Sancti ex panis, & vini substantia efficitur: figura vero est id quod exterius sentitur*. Vbi vt vides vult D. Augustinus quod Corpus, & Sanguis Christi Domini efficiatur, seu producat. D. Amb. relatus in cap. *panis*, eadem dist. sic fatur:

*Panis est in Altari vsitatus, ante verba Sacramentorum; vbi accessit consecratio, de pane fit caro Christi*. Quo nihil clarius. Hoc volentes magis exprimere alij Sancti Patres, productionem Corporis Christi in Sacramento, creationem, vocauerunt. Vt S. Cyprianus serm. *de cana*, ait: *Qui vsque hodie hoc veracissimum, & sanctissimum Corpus suum creat*. Et D. Ambros. loco citato: *sed*, ait, *post consecrationem dico tibi quod iam est Corpus Christi: dixit, & factum est ipse mandauit, & creatum est*. Et Bessarior lib. de verbis consecrat. dicit. *Tota Trinitas hoc Corpus Altaris creat*. Similia habent alij Patres, ad denotandum, non quod i re vera Corpus Christi Domini creatur, sed quod verè, & realiter ex pane sub speciebus ponatur.

Probatur secundo D. Thomæ testimonijs, & primo supra quæst. 2. art. 1. in corpore habet. *Natura Diuina est omnino immutabilis, vt in 1. p. dictum est, vnde nec ipsa potest conuerti in aliud, cum sit incorruptibilis, nec alia in ipsam, cum sit*



fit *ingenerabilis*. Vbi vt vides aperte docet Angelicus Doctor, quod ad hoc, vt aliquod in aliud conuertatur, debet illud in quod fit conuersio, aliquo modo produci. Et art. 8. huius quæstionis hanc conuersionem panis in Corpus Christi, comparat cum conuersione formali, & cum creatione. Et art. 2. docet esse impossibile, aliquid esse substantialiter, vbi prius non erat, nisi vel aliunde adducatur, vel fiat, seu producat per conuersionem alterius.

Probatur tertio, quia nihil potest verè, & realiter in aliud conuerti, nisi producat id, in quod illud aliud conuertitur; sed substantia panis verè, & realiter in Corpus Christi Domini conuertitur; ergò Corpus Christi debet verè, & realiter produci. Maior probatur, nam dum panis in Corpus Christi Domini conuertitur, desinit ipse panis, & sub accidentibus illius ponitur Corpus Christi, vbi antea non erat; ergò vel per adductionem, vel productionem; implicat

namque aliquid poni vbi non erat, nisi vel ibi adducatur, vel de nouo producat. Nec valet dicere quod ponatur ibi Corpus Christi, non per productionem, sed per conuersionem. Nam vt optimè arguit Nugnus, conuersio est species productionis; ergò implicat aliquid esse terminum conuersionis, & non esse terminum productionis; quod autem conuersio sit species productionis patet, quia cum non sit destructio, vel annihilatio, debet esse productio, quotiescūque enim datur vera actio in agente, dum per actionem agit transeuntem, debet dari passio correspondens, vbi autem datur vera actio, debet etiam dari vera passio, & per consequens vera productio, cū passio sine nouitate essendi esse nequeat, in nostro autem casu datur vera in agente; tum principali. tum instrumentali actio; negari namque non potest quin Deus verè agat transubstantiando panem in Corpus Christi, & quod hæc actio non sit transiens, & per consequens quod illi propria non



non correspondeat passio, quæ cum effectu producto identificatur, & per consequens verum fieri Corporis Christi ex pane; cum conuersio sit vera actio, vera factio, vera productio &c.

Hanc Corporis, & sanguinis Christi Domini productionem, ex panis, & vini substantia aliqui, vt illam distinguant ab illa productione, qua primò Christus Domini fuit productus, vocant reproductionem. Alii vocant replicationem. in quantum quod idem corpus quod est in Cælo, media panis conuersione, sub accidentibus eiusdem panis replicatur, & idem corpus, quod per conuersionem panis A. est sub accidentibus illius, per conuersionem panis B. replicatur pariter sub accidentibus eiusdem panis B, & idem corpus quod est in tota hostia replicatur sub qualibet parte illius. Qui modi loquendi optimi sunt; & rem bone explicant, dummodo semper vera intelligatur eiusdem Corporis Christi Domini productio ex pane, non simpliciter.

Sed contra nostram senten-

tiam sic arguit Lugo disput. 7. sect. 2. nu. 21. vbi dicit, quod licet nostra sententia non paucis sit valde plausibilis, namque tamen illi potuit placere, idque triplici potissimum ex capite. Primo quia hæc actio non videtur possibilis. Secundo quia non videtur sufficiens ad conuersionem. Tertio quia non est necessaria ad veram conuersionem. Primum probat, quin dato quod idem effectus possit simul pèdere à duplici causa adequata, quod est necessarium in hac sententia, hoc tamen admitti non potest in casu præsentis, quia cum Christi humanitas ad hanc concurrat productionem, idem esset causa sui ipsius. Secundum probat, quia actio conuersiua panis in Corpus Christi debet esse illa, in qua Corpus Christi succedit substantiæ panis, vt patet in generatione hominis, vbi actio conuersiua, non est animæ rationalis productiua, sed vnitua, ergò, & in præsentis actio conuersiua panis in Corpus Christi, non debet esse productiua eiusdem Corporis Christi, sed vnitua.

Ter-



Tertium probat, quia licet illa actio esset possibilis non tamen est necessaria ad explicandum hoc mysterium; ergo cum ista actio sit difficilis, & valde miraculosa non est ponenda, nec enim oportet multiplicare miracula, aut nouas difficultates vrgerere quibus hoc mysterium difficilius reddatur. probat autem talem actionem non esse necessariam ad explicandum hoc mysterium. Primo, quia fides solum docet Corpus Christi esse in hoc Sacramento per conuersionem, vel transubstantiationem, quæ conuersio, vel transubstantiatio optimè intelligitur sine illa productione, sed cum sola successione. Secundo quia illud requiritur ad esse Sacramentale Christi sub speciebus in fieri, quod ad illud requiritur in facto esse; sed ad conseruandum Corpus Christi sub speciebus nullo modo requiritur ista actio ergo &c.

Tertio quia ad veritatem verborum consecrationis nullo modo requiritur noua Corporis Christi Domini productio, quia reuera sine illa, verū

est dicere: *Hoc est corpus meum.*

Respondetur nostram sententiam debuisse illi propter tria illa capita placere, nimirum, & quia est possibilis, imo de facto datur; & quia est sufficientissima ad conuersionem explicandam, & quia est omnino necessaria ad conuersionem veram, & propriam pouendam. Ad improbationem primi dico nostram sententiã non fundari in hoc quod idē effectus pendere possit simul, & semel à duplici causa adequata, cum hoc nos reputeamus impossibile, cum N. Complut in Physica disput. 15. quæst. 3 licet enim Christi Domini humanitas sit in Cælo producta, & ibi conseruetur, non tamen eadem actione, sed alia prorsus diuersa, & hic in Sacramento producitur, & ibi conseruatur; nam in Sacramento producitur in virtute actionis conuersiue substantiæ panis in ipsum, & ratione illius conseruatur, non sic in Cælo, vt patet. Et licet Christi Domini humanitas in Cælo existens ad sui ipsius productionem, concurrat per modum instrumenti



menti physici, non tamen sequitur, quod idem secundum idem producat se ipsum, sed secundum diuersam prorsus rationem, nempe secundum, quod fit ex pane, vnde potius dicendum esset idem concurrere ad sui ipsius reproductionem, vel replicationem. Vnde sicut in sententia illorum qui volunt corpus, quod est hic Romæ per diuinam potentiam replicari posse Mediolani circumscriptione, potest Deus eleuare corpus illud prout est Romæ ad replicandum se ipsum, prout est Mediolani, quare hoc idem non poterit facere Deus respectu Christi, eleuando Corpus Christi Domini, quod est in Cælo extensum, ad replicandum se ipsum, modo indiuisibili in Sacramento. Imo puto, quod possit Deus eleuare Corpus Christi existens in Sacramento A. ad replicandum se in Sacramento B. quia licet sit idem corpus in Sacramento A. & in Sacramento B. non tamen per eandem numero conuersionem, sed per aliam diuersam, & tunc solum sequeretur quod Corpus Christi quod est in Sacra-

mento A. concurreret ad sui replicationem in Sacramento B. Ad improbationem secundi, iam patet ex replicatis dictis, successionem vnius rei ad aliam non esse veram conuersionem, sed latam, sed impropriam, sed abusiuam; vnde non est necesse amplius in hoc immorari.

Ad tertiam probationem, quod actio productiua Corporis Domini ex pane, non sit necessaria ad hoc mysterium explicandum, quia cum sit difficilis, & miraculosa non est ponenda, ne miracula, & difficultates multiplicentur. Respondetur ex dictis hanc actionem omnino necessariam esse, ad veram, & propriam conuersionem explicandam, licet non sit necessaria ad explicandam conuersionem impropriam, & secundum quid; vt est successio vnius rei ad aliam. Ad primam probationem, quod conuersio cum sola successione intelligatur; dico id esse verum de conuersione impropria, non simpliciter, vt est Eucharistica, vt iam patet.

Ad secundam probationem

Z z dico,



dico, quod sicut ista actio est necessaria ad ponendum Corpus Christi Domini in fieri, sub Sacramento; ita in facto esse; nec verum est quod Corpus Christi in Sacramento conseruetur per illam conseruationem, seu actionem, qua conseruatur in Caelo, sed per aliam omnino diuersam; alioqui nunquam desineret esse sub Sacramento, si semel eadem profus actione conseruatur utrobique; in Caelo ergo conseruatur in virtute illius actionis quae primo fuit productum, in Sacramento vero in virtute illius actionis, qua ex pane fuit reproductum. Ad tertiam probationem dico, nullomodo posse intelligi verborum consecrationis veritatem, sine ista actione; cum enim non possit intelligi veritas verborum, sine vera, & propria conuersione, seu transubstantiatione, vt declarat Tridentinam sess. 13. cap. 4. & can. 2. & transubstantiatio intelligi nequeat sine productione, seu actione à nobis explicata, sequitur quod sine illa consecrationis forma, intelligi nequeat.

Sed quæres primò an præ-

sentia Corporis Christi Domini sub speciebus, sit terminus secundarius transubstantiationis, vel pertineat ad complementum primarii: Certum est, vt patet ex dictis precedenti quaestione, præsentiam Corporis Christi, seu continentiam illius sub speciebus, non esse terminum primarium, cum enim actio conuersiua, vt diximus, sit substantialis, eius terminus nequit esse accidentalis; tum quia substantia panis non conuertitur in præsentiam Corporis Christi, sed in ipsum Corpus Christi; quia tamen Corpus Christi producitur præsens speciebus; idcirco quaeritur, an ipsa præsentia sit solum terminus secundarius, an vero pertineat ad primarium, vt quoddam illius complementum.

Respondeo cum N. Corneo probabilius esse, pertinere ad complementum primarii; cum enim ista conuersio intrinsecè, & essentialiter sit Sacramentalis, debet terminari ad terminum, aliquo modo Sacramentalem; tum quia quidquid habet Christus per actio;



actionem conuersiuam, videtur pertinere ad rationem termini primarii; vnde licet modus præsentia, in aliis rebus, ad terminum pertineat secundarium, tamen in hoc Sacramento, ex vi suæ institutionis, videtur oppositum contingere. Pro quo nota cum N. Cor nexo dub. vltimo, conuersionem Eucharisticam habere duo. Primum, quod sit transitus panis in Corpus Christi; secundum, quod hoc fiat per verba ostensiuæ, ad sensum, in quo ratio Sacramentalis consistit. Corpus Christi secundum se, est terminus primi, vt vero succedens loco panis sub speciebus, est terminus secundi. Vnde conuersio adequata vtrumque claudit, inadequata primum dicit, deinde secundum.

Quæres secundo quem modum seruare debemus inter loquendum de transubstantiatione.

Respondetur primo debere nos semper vitare illas propositiones in quibus significatur commune subiectum; vel vtrumque terminum esse simul; cum enim veritas propo-

sitionis à veritate rei dependeat, *ex eo enim quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, & falsa*, vt docet Philosophus in lib. Perierm. & in hoc Sacramento, nec commune maneat subiectum pani, & Corpori Christi, nec maneat panis, cum corpore Christi; cum in eodem instanti in quo est esse, corporis Christi Domini, sit non esse panis, sequitur omnes illas propositiones esse vitandas, in quibus vel significatur commune subiectum, vel similtas terminorū. Similiter vitari debent omnes ille propositiones in quibus significatur pura successio Corporis Christi Domini, substantiæ panis; cum enim transubstantiatio, secundum Concilia, & Patres, sit vera panis in Corpus Christi Domini conuersio, cauendum erit ab illis omnibus propositionibus, in quibus nuda successio significatur. Ille vero propositiones, in quibus significatur vera panis, in Corpus Christi Domini, conuersio, verè, & Catholicæ sunt: *vt panis in Corpus Christi Domini conuertitur, transit,*



*transubstantiatur, &c.*

Circa panis desitionem ille omnes propositiones vitari debent in quibus significatur panis resolutio, vel corruptio, vel annihilatio; & ille admitti debent in quibus significatur panis conuersio, transitus, transubstantiatio. Nam vt docet D. Thomas art. 3. panis, & vinum in hoc Sacramento, non resoluuntur, in præiacentem materiam, nam resolutio mixti in elementa fieri debet, cum in materiam primam, quæ sine forma esse non potest, fieri non possit resolutio; cum autem post consecrationem nulla maneat substantia, nisi Corpus, & Sanguis Christi, fit nullam posse fieri substantiæ panis, & vini resolutionem; cum enim resolutio fieri debeat in elementa, & hæc per motum localem, à re resoluta abscedant, qui abscessus sensibilis est, & in Sacramento non fit, sequitur quod resolutio, vel corruptio esse non possit, esset autem si non esset vera, & propria conuersio: omnis namque rei desitio, vel est annihilatio, & hæc in Sacramento non re-

peritur, vt supra probauimus, vel conuersio, vel corruptio, vel quod idem est resolutio. Adde quod resolutio fieri non potest in instanti, sed successiuè, panis autem desitio fit in instanti, vt patet ex dictis, & concedunt omnes, & per consequens non est dare tempus in quo fiat substantiæ panis, & vini resolutio, nec corruptio, & sic erit conuersio; per quæ manet magis nostra sententia confirmata, quod conuersio Eucharistica non fit substantiarum successio, vt vult Lugo, sed vnius substantiæ, nempe panis, in alteram nempe in Corpus Christi Domini, conuersio.

Sed dices cum eodem auctore num. 212. desitionem panis non esse transitum in Corpus Christi (cōtra illud quod canit, & credit Ecclesia, quod *in carnem transit panis, & vinum in Sanguinem*) neque annihilationem, neque corruptionem, sed desitionem in nominatam; non est corruptio, quia non manet subiectum; non est annihilatio, quia Corpus Christi succedit, sed est desitio innominata. Sed

nolo



nolo immorari in impugnan-  
da hac innominata desitione,  
impugnent illam qui eam no-

uerunt, & nos ad alia tran-  
seamus.

# DISPUTATIO NONA

*De modo quo Christus Dominus est in Eucha-  
ristia Sacramento.*

**M**AGISTER Ange-  
licus agit de huius  
disputationis ma-  
teria quaestione 76 per totam,  
quam ut intelligas observa-  
ex eodem Angelico in huius  
articuli primi corpore, quod  
quaedam sunt in hoc Sacra-  
mento ex vi Sactamenti, seu  
ex vi consecrationis, seu ut al-  
ii dicunt, ex vi verborum ;  
alia ex naturali connexione  
& concomitantia ; illud dicitur  
esse in Sacramento ex vi  
verborum sub qualibet specie  
quod verbis ipsis consecratio-  
nis significatur expresse, & di-

rectè, & in quod solum dicitur  
fieri conuersio, & sine quo  
verba non esset vera. Cum  
enim verborum vis, & effica-  
cia practicae significationi re-  
spondeat, sequitur quod id  
dumtaxat efficiat verba, quod  
significant, & si quid aliud ef-  
ficiunt, quam quod significat,  
id non per se, & ratione sui ef-  
ficiunt, sed ratione connexio-  
nis naturalis, & concomitan-  
tia. *si enim* ( verba sunt An-  
gelici) *aliqua duo sunt realiter*  
*coniuncta, ubicunque est unum*  
*realiter, oportet, & aliud esse :*  
Illud vero dicitur esse in hoc

Sacra-



Sacramento per concomitantiam, quod realiter coniungitur cum eo, quod ex vi verborum continetur, propter rationem mox ex Angelico tactam. Et quia in hoc Sacramento a-

liqua sunt ex vi verborum, alia per concomitantiam, prius de illis deinde de istis in hac disputatione agemus. Unde fit.

## QVAESTIO I.

*Vtrum Corpus Christi sit in hoc Sacramento ex vi verborum.*

**L**icet de facto totus Christus Dominus sit in hoc Sacramento sub vtraque specie, scilicet tota humanitas secundum omnes eius partes, & diuini verbi suppositum, & vniuio eiusdem cum eadem humanitate, imo, & ipsa diuinitas, vt definit Tridentinum sess. 13. cap. 1. & can. 1. & 3. item sess. 21. cap. 1. cum ponatur Christus secundum quod est in Cælo, & non fiat, per consecrationem, realis corporis à sanguine, separatio: tamen quia non omnia sunt ex vi verborum, ideo inquirimus an Corpus Christi sit in hoc Sacramento ex vi verborum formæ, hæc autem difficultas

exactè intelligi nequit, nisi variæ Theologorum sententiæ afferantur, circa corporis rationem.

Prima; ergò sententia est Gab. lect. 42. in can. Marfilij in 4. quæst. 8. art. 1. dub. 2. & Maioris dist. 10. quæst. 5. quod corpus nihil aliud sit, nisi materia prima sine vlla prorsus forma.

Sed hæc sententia communiter reicitur, quia cum de fide sit, sub panis speciebus poni corpus Christi, & hoc non sit sola materia prima, sequitur nomine corporis solam materiam primam non venire; tum quia corpus, quod in hoc Sacramento ponitur, non est



est quodlibet corpus, sed humanum; materia autem prima cum sit omnibus sublunaribus communis corpus humanum esse nequit.

Secunda sententia dicit, corpus nil aliud esse, quam materia prima forma corporeitatis informata, quæ corporeitatis forma sit generalis, vna, & eadem in omnibus corporibus præsertim mixtis; Et hanc tribuunt Scoto in 4. dist. 11. quæst. 3. art. 2.

Sed hæc etiam sententia impugnata manet ex iis quæ docent N. Complut. de Gener. disput. 2. quæst. 4. Nam materia prima, cum illa forma non potest facere ens completum, alias frustra, alia superadderetur forma, per quam compositum constitueretur; Tum quia hac forma corporeitatis admissa, adhuc non saluatur sufficiens ratio corporis, quod in hoc ponitur Sacramento, quæ est ratio corporis organici, quod habet carnis, ossium, neruorumque distinctionem.

Tertia sententia est corpus nil aliud esse, quam materiam informatam diuersis corporeitatis formis, quas vocant par-

tiales, vt sunt forma carnis, ossis, nerui, &c. quæ simul omnes, materiam informantes, corpus constituunt organicum, non quidem vt integram substantiam, sed vt partem essentiali animalis, vltius per ipsam animam perfectibilem, & animabilem. Hæc sententia à Conincho hic art. 2. Scoto tribuitur, quam idem Coninchus defendit, post Dandinum lib. 2. de anima tex. 11. parte 3. digress. 8.

Sed hæc sententia omnino reicienda est, quia si hæc formæ partiales darentur, sequeretur, dari generationem substantialem sine corruptione substantiali, & corruptionem substantialem sine generatione substantiali; contra illud commune Philosophi, & Philosophorum pronunciatum: *generatio vnius, est corruptio alterius*. Sequela maioris probatur, nam antequam rationalis anima in materiam introducatur, nulla substantialis forma præsupponitur, vt docent huius sententiæ defensores, sed solum supponuntur formæ partiales, organizationem materiæ tribuentes, per quam



quam animæ rationalis fiat capax; quæ formæ partiales per animæ aduentum non destruuntur, sed manent, alteram compositi partem complentes. Similiter in hominis corruptione, per animæ rationalis abscissum daretur corruptio substantialis hominis, sine substantiali generatione, cum per illos auctores, per animæ rationalis abscissum, materia prima cum solis formis maneat partialibus. Adde quod ille formæ partiales essent, & non essent substantiales, essent, ut supponitur, non essent quia in composito nulla datur substantia præsertim partialis ante formam substantialem, substantia namque completa est radix omnium, quæ in ipsa ponuntur, non econtra alioqui formæ partiales essent radix substantiæ totalis quam in se non continent.

Quarta sententia est, quod corpus non significat determinate compositum substantiale, sed materiam cum organizatione sufficienti, ad hoc ut habeat diuersitatem partium, carnis, ossis, cordis &c.

quæ partium diuersitas, alia est substantialis, seu intra lineam substantiæ, & alia accidentalis, ex accidentium orta diuersitate, ratione cuius materia, etiam si careat forma substantiali, organizata manebit, & sic nomen corporis materiam primam significat, ut habet alteram ex illis organizationibus. Hanc sententiam defendit Lugo disput. 8. sect. 4. num. 78. & infra.

Sed hæc sententia plura continet falsa. Primum, quia dicit substantiam intra lineam substantiæ partes habere substantiales, quod quam falsum sit ostendunt N. Complut. de Generat. disput. 5. quæst. 3. & 4. Secundum quatenus dicit materiam primam posse esse immediatum subiectum accidentium, organizationem causantium, quod quam à veritate alienum sit, ostendunt prædicti complut. loco citato disp. 2. quæst. 6. & 7.

His, & aliis leuioribus sententiis reiectis. Dico primo: corpus, quod hoc nomine communiter venit, non est corpus de genere quantitatis, quod trina manifestat dimensionem,



nem, sed est de genere substantiæ. In hac conclusione conveniunt Theologi omnes & clare colligitur ex Tridentino, dum vult panis substantiam, conuerti in substantiam Corporis Christi, quod non diceretur, si semel nomine corporis non substantia, sed trina dimensio veniret.

Dico secundo nomine corporis duo venire, videlicet corpus physicum, & metaphysicum; corpus physicum, est compositum ex materia, & forma, secundum quod tribuit esse radicem trinae dimensionis, & aliarum qualitatuum, quæ corpus ipsum consequuntur, & si loquamur de corpore humano, est compositum ex materia, & forma, nempe anima rationali, secundum quod tribuit, non vltimum gradum, scilicet esse animatum, sed prout tribuit esse corporeum. Corpus vero metaphysicum, est gradus genericus corporis, qui in prædicamento substantiæ, sub ea immediatè collocatur.

Dico tertio corpus, quod in hoc Sacramento, ex vi verborum collocatur, non est

gradus metaphysicus, nec præcisè physicus, sed est corpus humanum. Prima pars patet, quia gradus metaphysicus, in physico fundatur, & vbi non est gradus physicus, nec metaphysicus esse potest, cum gradus metaphysicales non nisi per intellectum, à physicalibus, distinguantur. Secunda pars etiam clara est.

Primò, quia gradus physicus Corporis Christi saluaretur etiam in cineribus, si combureretur. Secundo, quia in hoc Sacramento ponitur vera Christi Domini caro. Iuxta illud Ioan. 6. *Caro mea verè est cibus.* Et Ecclesia canit. *Dogma datur Christianis quod in carnem transt panem, & vinum in Sanguinem.* & alibi. *Verbum caro panem verum, verbo carnem efficit.* Patet autem quod ratio carnis, ex additione se habet ad gradum corporis, purè physicum.

Tertia pars conclusionis patet ex modo dictis. Pro quo nota, corpus humanum, supra corpus physicum addere organizationem, quæ duplex est, accidentalis, & substantialis, accidentalis, est ac-



cidentium diuersitas, diuersas constituens partes, vt ossa, carnem &c. substantialis est cōpositum ex materia, & forma organicum gradum tribuente; est autem organizatio substantialis duplex, vt notant N. Complut. disput. 2. de anima quaest. 3. num. 27. alia initiatiua, & dispositiua, secundum quam rationem importat substantiale compositum, ex materia prima, & anima coalescens, prout tribuit omnes gradus substantiales, vsque ad esse animatum exclusiue, & cōsequenter dicit prædictum cōpositum, vt ab eo certa dimanat complexio, certa que quantitas, situs, & alia necessaria ad hoc, vt anima tribuat esse animatum vt tale, & insuper ad hoc vt dimanēt formæ accidentales, & vitales, perfectam organi rationem complentes. Alia est organizatio substantialis formalis, secundū quod dicit animam, vt dat esse animatum, & vt radix adequata omnium, quæ ad completam organizationem requiruntur, vt sunt potentia vitales illem vltimatè complentes. Corpus ergo organicum, quod in hoc

Sacramento ex vi verborum, ponitur, est corpus organicum humanum substantiale, organizatione initiatiua, & dispositiua, includente omnes gradus, vsque ad esse animatum exclusiue; hoc enim est quod propriè venit nomine corporis humani præcisè; cum enim hæc organizatio reperiat eam in corpore humano mortuo; cum corpus hominis mortuum vetè corpus humanum dicatur, sequitur, quod nomine corporis humani veniat materia cum forma, prout dat prædictos gradus, vsque ad esse animatum exclusiue: hoc notato.

Probatum illa tertia pars conclusionis, quia de illa sola præsens currit difficultas. Primo ex Concilio Tridentino sess. 13. cap. 3. vbi dicitur: *Statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque eius Sanguinem sub panis, & vini specie vna cum ipso anima, & diuinitate existere, sed corpus quidem sub specie panis, & Sanguinem sub vini specie ex vi verborum, ipsū autem corpus sub specie vini, & Sanguinem sub specie panis,*  
anima-



animamque sub utraque vi naturalis illius connexionis, & concomitantia, qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit, non amplius morturus, inter se copulantur.

Vbi ut vides Conciliū vult animam non poni ex vi verborum sub speciebus panis, sed solum ratione connexionis, & concomitantia, & per consequens non potest poni corpus humanum Christi, secundum, quod gradum animæ includit, sed prout tribuit omnes gradus, vsque ad esse animatum exclusiue. Quod eleganter docuit D. Thomas, & cum eo omnes eius discipuli quæst. præcedenti art. 6. in solutione secundi vbi sic loquitur, *Anima est forma corporis dans ei totum ordinem esse perfecti, scilicet esse, & esse corporeum, & esse animatum, & sic de aliis. Conuertitur igitur forma panis in formam Corporis Christi, secundum quod dat esse corporeum, non autem secundum quod dat esse animatum tali anima.*

Probatur secundo ratione, quia illud esse corporeum debet ex vi verborum poni in

hoc Sacramento, quod fuisset positum in triduo mortis Christi, si facta fuisset consecratio & quod non fuisset positum, si Deo sic permitte, fuisset idem Christi Domini corpus à Iudeis combustum, & in cineres redactum; Atqui hoc est corpus organicum humanum à nobis explicatum; ergò hoc solum, & non aliud, ex vi verborum in hoc ponitur Sacramento.

Maior clara est, & ab omnibus admittitur; alioqui si aliquid importaretur modo à ratione corporis, quod tunc non fuisset importatum, vel modo, vel tunc facta non fuisset consecratio, verba nāque formæ idem modo, & tunc habent significare, & eandem virtutem quam modo habent, etiam tunc habuissent. Minor probatur, quia in triduo fuisset positum vi verborum Corpus Christi humanum, organicum, organizatione substantiali, & non anima rationalis illius; & si illud corpus redactum fuisset in cineres nulla fuisset facta consecratio vt omnes concedunt; ergò ex vi verborum illud esse organi-



cum poni debet, quod gradum animatum excludit, siue illud esse organicum ab anima rationali causetur, vt modo; siue à forma cadaueris, vt in triduo. Quæ omnia clarè colliguntur ex verbis formæ. *Hoc est Corpus Meum*. Sicut enim si quis dicat, hoc est corpus Petri, significat corpus organicum eiusdem Petri, siue viuum, siue mortuum; ita cum dicit Sacerdos nomine Christi. *Hoc est Corpus Meum*: Corpus Christi organicum significat, siue viuum, siue mortuum, non cineres. Nomine autem corporis veniunt omnes partes solidæ, vt ossa, caro, nerui manus, brachia, caput &c. non fluidæ, vt postea dicitur. Soluuntur argumenta, quæ contra nostram sententiam militare possunt.

Primum argumentū, quod fusè prosequitur Coninchus loco citato num. 13. & Lugo num. 74. est, quia ex nostra sententia, sub speciebus panis poneretur directè anima rationalis, contra Concilij Tridentini determinationem, supra à nobis citatam, dum vult animam solum, ratione

connexionis, & concomitantia poni. Nec valet dicere inquit non poni animam, qua anima est, sed qua tribuit omnes gradus vsque ad gradum animatum exclusiue. Nā contra est. Primò, quia Tridentinum talem non ponit distinctionem, sed absolutè docet non poni animam, alioqui per similem illusionem, quis dicere posset sub specie panis, non poni sanguinem, qua sanguis est, ex vi verborum, sed qua pars corporis humani est. Tertio quia anima non aliter potest dici forma materiæ, nisi animando; cum enim non sit forma materiæ nisi informando, & non informet nisi animando, non poterit esse forma materiæ, nisi qua anima. Tertio si anima Christi esset in hoc Sacramento, qua dat esse corporeum, deberet etiam esse, qua dat esse animatum, cum hi duo gradus licet metaphysicè distinguantur, physicè tamen identificantur, & per consequens, poni non potest anima, secundum vnum gradum, quin, & secundum alium ponatur. Quattò, quia hic ponitur anima, vt est quædam



dam forma singularis, vt autem est forma singularis, vitā de necessitate includit. Quinto, quia non potest per transubstantiationem produci anima secundum quod dat esse corporeum, quin etiam producat, secundum quod dat esse animatum; ergo si semel ex vi verborum ponitur secundum quod dat esse corporeum, debet etiam poni secundum quod dat esse viuens & animatum.

Ad hoc argumentum benè respondetur ibidem, & patet ex dictis pro nostra conclusione. Ad primam probationem patet etiam ex dictis, cū enim Tridentinum animam ab hoc excludat Sacramento, & non possit intelligi de anima secundum quamcunque considerationem, intelligi debet de anima, qua anima est, seū prout exercet officium animæ animando, & viuificando corpus; anima namque prout primos tribuit gradus, vitæ gradum præcedentes, nomine animæ non venit, sed formæ, vt ex se notum est. Per quæ ad secundam patet probationem. Ad tertiam dico, de facto ani-

nam Christi Domini poni in hoc Sacramento, & qua dat esse corporeum, & qua dat esse animatum, sed primum ex vi verborum, secundum ratione connexionis, & concomitantia, *qua partes Christi Domini qui iam ex mortuis resurrexerit non amplius moriturus, inter se copulantur, vt verbis vtar Tridentini: licet enim illi gradus inter se identificentur, potest tamen vnus attingi ex vi verborum, & non attingi alius; cuius rei nota sunt exempla. Nam Deus prædefinit materiale peccati, nullatenus formale illius attingendo; homo attingit hominem, formalissimam non attingendo entis rationem, hæc enim cum sit effectus vniuersalissimus, à causa dumtaxat vniuersalissima attingi debet. Petrus attingit Petrum non tamen eius, indiuiduationem. Ignis A. attingit ignem B. non attingendo eius vnitatem numericam, hoc enim ex causæ primæ determinatione contingit. Sic consecrationis verba attingunt animā vt gradum corporis tribuit, nõ vt gradum vitæ, quod autem*

de



de facto corpus viuum, & gloriosum producant, in triduo mortuum; in cæna viuum, sed mortale, dependet ex statu eiusdem corporis, si viuum, viuum ponitur; si mortuum, mortuum; si viuum, sed gloriosum, vel passibile, eodem ponitur modo; cum verba viua sua habeant ponere corpus, secundum adiuncta, quæ habet à parte rei. Et per hæc patet ad alia quæ in argumento obijciuntur.

Secundum argumentum; Si quis conseruasset aliquam partem illius Sacramenti quod Christus Dominus fecit in cæna vsque ad triduum, quo tempore Christus erat mortuus desisset sub illis speciebus panis, anima Christi, & verum Christi corpus sub illis mansisset; ergo ad corporis humani rationem constituendam anima nõ requiritur, quæ gradum illum tribuat.

Respondetur transeat Antecedens, posset enim optimè & valde probabiliter negari, licet enim vt supra dicebamus præsentia Sacramentalis, & in esse, & conseruari à naturali dependeat, tunc tamen tē-

poris, anima Christi, id munus supplere potuisset conseruandi Corpus Christi viuum sub Sacramento. Sed quidquid de hoc sit, dico quod sub illo Sacramento statim Christi anima illud corpus reliquisset Sacramentatum, sicut reliquit in esse naturali per mortem, & statim, ac anima gloriosa vnita suo fuit Corpori in esse naturali in die resurrectionis, etiam vnita fuisset eidem corpori Sacramentato, tempore eodem; cum sit probabilius in Sacramento eodem semper modo manere Christi Corpus, vt manet extra, & sicut extra, materia prima Corporis Christi, cadaueris forma informabatur, quæ illi corporis gradum tribuebat, ita & in Sacramento. An autem Corpus Christi mortuum, & viuum sint idem, & qua identitate pertractat D. Thomas supra quæst. 50. art. 5. & expositores ibidem, & Nugnus hic.

Sed quæret aliquis an de facto sub speciebus panis ex vi verborum ponatur integrum corpus, an vero desit præputium, quod in circumcissione fuit



fuit præcisum. Et absolutè dico, vt ex dictis liquet, semper in Sacramento poni Corpus Christi Domini vt reperitur à parte rei, seu extra Sacramentum; vnde si extra Sacramentum brachio per abscissionem priuaretur, in Sacramento sine illo poneretur, & sic cum in Cæna Christus Dominus præputio careret, in Sacramento sine præputio erat. An vero modo ponatur cum, vel sine præputio, dependet ab illa quæstione, quam supra so-

lent Theologi pertractare, an in resurrectione Christus D. præputium assumpsit. N. Connexus hic cū Suarex partem tenet affirmatiuam, & per consequens in Sacramento Corpus Christi cum suo præputio erit. Quia tamen est communis traditio hic Romæ quod Christi Domini præputium in Sancta Sæctorum Scælæ Sanctæ reperiatur, & per consequens, quod illud non fuerit in resurrectione assumptum, nec in Sacramento erit.

## QVAESTIO II.

*Quid ex vi verborum sub speci-bus vini  
ponatur*

**F**acilis est præsentis resolutio quæstionis ex dictis quæstione præcedenti, supposito enim quod Sanguis naturalis, qui propriè Sanguis est, & nomine Sanguinis venit, non nutrimentalis, anima informatur rationali, vt cum communi Thomistarum sententia probant optimè N. Cõ-

plut. de anima disput. 6. quæst. 1. Patenter sequitur ex vi verborum in Calice poni materiam primam; & formam secundum quod tribuit omnes gradus substantiales, vsque ad esse animatum exclusiue, & consequenter, vt tribuit propriam Sanguinis complexionem, vsque ad esse vitale  
exclu-



exclusiue. Cum enim Sanguis & anima informetur rationali; & etiam sit corporis pars, licet fluida, quidquid de corpore fuit dictum, ad Sanguinem applicari debet; & sic sicut sub speciebus panis ponitur Corpus Christi cum omnibus partibus solidis non fluidis, quia sic consecrationis verba sonant: ita sub speciebus vini ob id Sanguis poni debet; quia ita consecrandi calicis verba, sonant, Vnde Tridentinum sess. 13. cap. 3. postquam definiuit Corpus Christi esse ex vi verborum consecrationis sub specie panis, & Sanguinem sub specie vini. Addit Sanguinem esse sub speciebus panis *ratione connexionis qua partes corporis inter se copulantur.* Per quod sentit; quod non solum Sanguis sit pars corporis, sed etiam quod non omnes corporis partes sint ex vi verborum sub specie panis, sed solum partes solidæ & sub specie vini non omnes partes liquidæ, vt phlegma, bilis, &c. sed solus Sanguis, vt hic sit spiritualis potus, & ille, nempe partes solidæ, cibus.

Sed quæres primo, an solus ille Sanguis Christi Domini, nunc ponatur vi verborum, qui verè, & realiter fuit effusus pro nobis in passione, an vero alius Sanguis nunc realiter Christo Domino hypostaticè vnitus. Item qui nondum erat formatus quando hoc Sacramentum instituit.

Respondetur quod totus ille Sanguis modo vi verborum ponitur, qui de facto est in Christo Domino, dum consecratio perficitur, verba namque formæ à consecrante in Christi Domini persona prolata, vera sunt practicè, & significatiue, pro eo tempore, quo eorum sensus perficitur, & completur, & sic dato; & non concessio, quod Christus Dominus non totum fuderit Sanguinem, sed aliqua eius pars intra venas, Crucis tempore, manserit, adhuc totus Sanguis, qui de facto in Christo reperitur in Cælo, totus sub vini speciebus, vi verborum ponitur. Dixi quod de facto, vi verborum, totus Sanguis, qui intra Christi Domini venas, reperitur in Cælo, &c. quia cum sit valde probabile



bile Christum Dominum non reassumpsisse totum Sanguinem, quem in sua effudit passione, nam & spinæ sanguine tinctæ conspiciuntur, & alia Christi passionis instrumenta, sequitur, quod non totus eius Sanguis in Sacramento ponatur, sed ille solum, qui de facto intra Domini venas de facto reperitur.

Quæres secundo, an si quis vinum consecrasset tempore passionis, quando vna pars sanguinis erat effusa, & alia intra venas, an totus Sanguis, & qui effusus, & qui nondum erat effusus, vi verborum, vel saltem per concomitantiam, sub vini specie fuisset positus. Ratio dubitandi est, quia vt in fine præcedentis quæstionis docuimus si præscinderetur brachium à Christo Domino, vel manus, vel pes, illa pars in Sacramento, non poneretur, ergò neque ille sanguis præcisus; quod tamen videtur difficile, & contra communem Theologorum loquendi modum.

Responderetur totum sanguinem fuisse positum, ratio discriminis, inter sanguinem, &

brachium abscissum est; quia nomine corporis, venit totum continuum, vnde si quis dicat *Hoc est Corpus Meum*, ex communi loquendi modo, non vocat nisi partes continuas, non verò præcisas, & absentes; at vero nomine sanguinis, venit omnis sanguis, siue continuus, siue non. Tum quia illud brachium, non esset actu pars Corporis Christi, vt verba formæ videntur supponere *Hoc est Corpus Meum*: At vero ex verbis formæ Calicis hoc non supponitur, imò oppositum colligitur, cum verba formæ Calicis non dicant sanguinem esse, vel non esse separatum, sed vtrumque permittant. Si tamen aliquis insistere vellent etiam partem abscissam, debere poni, quia illa particula *Corpus* in verbis formæ reperta, pro vero, & integro Christi Domini Corpore supponere videtur, & per consequens etiam pro brachio supponat, facile permittam cum sit valde probabile.

Quæres tertio, an totus sanguis in Eucharistia sit continuus, præsertim cum in tri-



duo extra Sacramentum esset separatum. Et respondeo breuiter, & corpus, & sanguinem eodem modo poni in Eucharistia, sicut de facto extra illam reperitur; & quia in triduo sanguis erat separatus, etiam in Eucharistia separatus fuisset, & quia de facto in Christi Domini venis, continuatur; eandem habet in Eucharistia continuitatem. Nota tamen nec corpus, nec sanguinem habere vi verborum ipsã

continuitatem, sed solum veram, & propriam entitatem, cum enim vt quæstione sequenti dicemus quantitas Corporis Christi Domini in Sacramento, vi verborum non ponatur, & tota ratio continuitatis, vel discontinuitatis à quantitate sumatur; sequitur quod vi verborum, nec continuatio, vel discontinuatio Corporis, vel Sanguinis Domini in Sacramento ponatur.

### [ Q V A E S T I O   I I I .

*An sub speciebus panis, & vini, ponantur aliqua formæ accidentales vi verborum, an solum per concomitantiam.*

**C**Um ad corporis humani integritatem, tam quo ad partes solidas, quam quo ad partes fluidas aliquæ formæ accidentales ultra substantiam requirantur, vt sunt quantitas, durities, mollities, &c. inquirendi locum aperiunt,

an hæ formæ accidentales in hoc Sacramento reponantur solum per concomitantiam, an vero ex vi verborum.

Prima sententia est, quod quantitas, & aliæ formæ accidentales, ad corporis rationem complendam, requiritur,

ex



ex vi verborum in hoc Sacramento, reponantur. Hanc sententiam post Durandum, sequitur Vasquez disput. 187. cap. 4. Mæratius disput. 22. sect. 5. & alij.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Quantitas Corporis Christi Domini solum per concomitantiam proximam, & immediatam in hoc collocatur Sacramento. Hæc conclusio est expressa. D. Thomæ sententia artic. 4. huius quæstionis 76. vbi sic loquitur: *Dupliciter aliquid Christi est in hoc Sacramento, uno modo ex vi Sacramenti, alio modo ex reali concomitantia: ex vi quidem Sacramenti, quantitas dimensua Corporis Christi non est in hoc Sacramento: ex vi enim Sacramenti est in hoc Sacramento illud in quod directè conuersio terminatur: conuersio autem quæ fit in hoc Sacramento, directè terminatur ad substantiam Corporis Christi, non autem ad dimensiones eius: quod patet ex hoc, quod quantitas dimensua panis remanet, facta consecratione, sola substantia panis transeunte. Quia tamen substantia*

*Corporis Christi realiter non denudatur à sua quantitate dimensua, & ab alijs accidentibus, inde est quod ex vi realis concomitantia, est in hoc Sacramento tota quantitas dimensua Corporis Christi, & omnia accidentia eius. Hæc D. Thomas. Vnde hanc sententiam non solum sequuntur omnes Thomistæ, verum etiam omnes alij Theologi paucis illis exceptis, & non desunt qui oppositam sententiam aliqua & etiam graui nota inurant, sed quicquid de hoc sit ratione agamus contra oppositum defendentes.*

Prima ratio ex citato D. Thomæ testimonio sic efformatur. Illud ponitur ex vi verborum in hoc Sacramento, in quod substantia panis, & vini conuertitur, vel quod ipsa verborum veritas postulat; sed nec panis, & vini substantia in quætitatem Corporis Christi conuertitur; nec verborum veritas Corporis Christi quantitatem postulat; ergò quantitas Corporis Christi nullo modo ex vi verborum in hoc ponitur Sacramento. Maior nota est. Minor probatur,



quoad utramque partem, & primò quoad primum; nam Tridentinum sess. 13. cap. 4. de transubstantiatione tantum ait, per consecrationem panis, & vini fieri conuersionem totius substantiæ panis, & vini in substantiam Corporis, & Sanguinis Domini, & ratio D. Thomæ id conuincit; cum enim sola substantia panis, & vini sit terminus à quo, sola etiam substantia Corporis, & Sanguinis Domini debet esse terminus ad quem. Secunda etiam illius minoris pars probatur: ad verificandam verborum consecrationis veritatem sufficit ponere corpus organicum intra lineam substantiæ, prout nimirum dicit materiam, & formam tribuentem vltimum gradū vsque ad animatum exclusiue, à quo apta nata est oriri talis, vel talis complexio, talia, vel talia accidentia &c.

Secunda ratio. Consecratio est conuersio substantialis; ergò eius terminus primariò in spectus debet esse substantialis. Antecedens est de fide, in Tridentino Concilio determinatum sess. 13. cap. 4.

vbi postquam dixit per consecrationem totam substantiam panis, & vini conuerti in substantiam Corporis, & Sanguinis Christi subdit: *quæ conuersio propriè transubstantiatio appellatur*: transubstantiatio vero idem est, ac conuersio substantialis. Consequenter, in bona Philosophia, clara videtur; nam cum motus, vel mutatio specificetur à termino, si consecratio est substantialis, eius terminus primariò in spectus, esse debet substantialis, & per consequens sola substantia, ex vi illius attingi debet.

Tertia ratio ad hominem contra illos qui oppositum sentiunt. Eodem modo proportionè seruata ponitur in Sacramento quantitas Corporis Christi, sub specie panis, quo ponitur quantitas sanguinis sub specie vini; sed quantitas sanguinis non ponitur ex vi verborum sub specie vini; ergò neque quantitas corporis sub specie panis. Maior videtur certa; minor probatur. Nam ideo per aduersarios quantitas corporis ponitur sub specie panis, quia

ver-



verba consecrationis panis verificari non possunt, nisi sub specie panis, corpus ponatur organicum; sed hæc ratio non militat in sanguine, cum non sit corpus organicum; non enim habet sanguis partes heterogeneas, sed homogeneas; ergo &c.

Fundamentum partis oppositæ, quod fusè proponit Meratius est; quia vi verborum ponitur sub specie panis Corpus Christi organicum; atqui organicum esse nequit sine quantitate, & aliis accidentibus, siccitatis, duritiæ, &c. ergo ex vi verborum debet poni quantitas, durities, &c.

Ad hoc argumentum iam patet solutio ex dictis, tum in hac, tum in duabus præcedentibus quæstionibus; organicum namque quod ex vi verborum ponitur in Sacramento, non est organicum accidentale, sed substantiale, quod vocatur à N. Comptur. supra relatis organicum initiatum, & radicale, quia ab eo promanant accidentia propria illius gradus. Et per hæc patet quid dicendum sit

ad illam quæstionem quam hic pertractant aliqui, an nimirum Christus Dominus in hoc Sacramento figuram habeat organicam. Nam si loquamur de organizatione substantiali iam patet ex dictis illam habere ex vi verborum, si vero loquamur de figura organica accidentali, & quantitativa distinguendum est: habet figuram organicam in ordine ad se, & per concomitantiam; non tamen figuram situalem; cum hæc vel correspondeat loco, vel est à loco dependens. Quod Corpus Christi Domini non habeat figuram localem patet, quia hæc sequitur quantitatem extensam in ordine ad locum; Quod vero habeat figuram, seu organizationem, seu extensionem in ordine ad se, etiam patet, cum enim ut supra dicebamus, per consecrationem non separetur quantitas Christi à propria substantia, sed per concomitantiam ponatur, & eius essentia sit extensio in ordine ad se, de necessitate debet hanc habere, & sic licet omnes partes Christi, eidem correspondeat spatio, non



non tamen omnes immediatè vniuntur inter se, sed vnaquæque suæ, vt manus brachio, non capiti, &c. vnde licet oculus non occupet locum rotundum, tamen taliter habet partes vnitas, & dispositas inter se vt postulent extensionem localem circularem. Per quæ patet non benè dicere Lugo disput. 8. sect. 3. num. 39. quod si Deus institueret quod per consecrationem sub specie panis poneretur vas aureum haberet quidem figuram organicam, non situalementem; si vero institueret quod poneretur crux neutram haberet, non situalementem, vt patet, neque organicam, seu in ordine ad se, quia inquit, crux constituitur per talem duorum lignorum approximationem, quæ sub specie panis esse nequit, vbi omnes partes æque proxime esse debent. Non inquam hoc benè dicitur, quia si in tantum oculus vel vas aureum retinet extensionem in ordine ad se, seu suam figuram organicam, quia licet non sit in spatio spherico, illud tamen petit, si detur sibi extensio localis; ergo hoc idem dicendum est de

Cruce. quid enim refert in ordine ad extensionem in ordine ad se, seu in ordine ad figuram illam organicam, quod res petat figuram habere rotundam, vel quadram? Tum quia sequeretur ex doctrina illius auctoris, quod Corpus Christi in Sacramento figuram non habeat organicam, cum in hoc Sacramento partes debeant esse æquè proximæ, & in Corpore Christi non sit si c, cum caput petat talem habere distantiam à pedibus &c. Tum etiam quia, humanum corpus optimam format Crucem vt patet, nec in Sacramento Corporis partes, se penetrant, alioqui essent ibi confusæ, & quasi quoddam Chaos; nec condensantur, alioquin tota ratio organici corporis perturbaretur, sed ita sunt modo indiuisibili, vt suam retineant dispositionem, & situationem in ordine ad se &c.

Sed quæres primo, quonam modo quantitatis (& idem est de aliis rebus creatis, quæ in hoc Sacramento, per concomitantiam ponuntur) in hoc Sacramento ponatur, cū ex vi verborum, seu per tran-  
sub-



substantiationem, non produ-  
ducatur; seu quod in idem  
reddit, quid sit quantita-  
tem poni per concomitan-  
tiam.

Aliquis forte dicet, poni  
per concomitantiam, esse rem  
produci secundo per ipsam  
transubstantiationem, cum e-  
nim vt supra dicebamus, per  
conuersionem substantiæ pa-  
nis in Corpus Christi produ-  
ctio, non absoluta, sed, vt lo-  
quuntur Thomistæ, ex pane, po-  
natur, videtur posse dici, quod  
per talem transubstantiationē,  
primariò Corporis Christi sub-  
stantia, producat; & secun-  
dariò quantitas, & cum hæc  
non producat per se, sed ra-  
tione connexionis, per conco-  
mitantiam produci dicatur.  
Sed iste modus dicendi non  
videtur posse sustineri, nam  
aliud est, aliquid poni in Sa-  
cramento per concomitantiam,  
& aliud est per ipsam transub-  
stantiationem secundo produ-  
ci, Concilium namque Tri-  
dentinum agnoscit conconi-  
tantiam non productionem,  
vt enim ipsum nomen indicat,  
poni per concomitantiam, est  
aliter poni, quod transubstā-

tiatio nullo modo ad illud,  
quod per concomitantiam po-  
ni dicitur, se extendat.

Respondetur, ergò & ma-  
gis ad mentem Concilii, & D.  
Thomæ, quod quantitatem  
poni per concomitantiam in  
hoc Sacramento, non est quā-  
titem produci ex pane, per  
conuersionem, sed est quan-  
titem à solo Deo produci,  
ita quod transubstantiatio, &  
connexio, quæ est inter quā-  
titem, & substantiam Cor-  
poris Christi Domini fit ratio  
mouens Deum ad quantita-  
tem producendam; cum enim  
quantitas in hoc Sacramento  
poni debeat, & non per con-  
uersionem panis in ipsam, nec  
alius modus assignari possit;  
per quem producat, ad pri-  
mam causam recurrendum  
est. Producit ergò illa  
quantitas à Deo solo, non per  
creationem, sed per quandā  
eductionem, ab eadem Cor-  
poris Christi Domini substan-  
tia.

Quæres secundo, an omnia  
accidentia, tam naturalia,  
quam supernaturalia, quæ per  
manenter sunt in Christo in  
Cælo, independentè à loco,  
sint



sint etiam per concomitantiam in Sacramento. Et respō. deo affirmatiuè, cum ex hoc nullum sequatur incommodū & aliunde ad maximam Christi Domini pertineat perfectio nem.

Idem dicendum est de actionibus internis permanentibus, vt sunt visio, amor beatificus, &c. de actionibus transuentibus, vt sunt aliquæ breues volitiones, & cogitationes, aliqui id negant, quia cum hæc replicatio non nisi

supernaturaliter fiat, sine vrgenti causa poni non debet; alii melius admittunt; nulla namque vrgens ratio adduci potest ad dicendum, quod quidquid Christus intelligit, & cogitat in Cælo, non intelligat, & cogitet in Sacramento, cum Deus eadem actione, qua concurrat ad intelligendum, & volendum in Cælo, possit concurrere ad intelligendum, & volendum in Sacramento.

## QVAESTIO IV.

*Quænam alia ponantur in hoc Sacramento per concomitantiam.*

**E**X Tridentino sess. 13. cap. 3. certum est animam rationalem Christi Domini, diuinitatem, & vnionem hypostaticam (& idem à fortiori de Verbi personalitate dicendum est) esse in hoc Sacramento sub vtraque specie, per concomitantiam. de persona autem Patris, & Spiritus

Sancti, nihil definit Concilium; vt ergò rem hanc clare intelligas, nota: concomitantiam, quantum ad præsens attinet esse duplicem, immediatam vnã, mediatam alteram, & de vtraque erit propria conclusio correspondens.

Prima conclusio. Anima ratio.



rationalis, vnio hypostatica, & Personalitas Verbis diuini seu ipsum verbum Diuinum ratione propriæ personalitatis, qua naturam Christi Domini humanam terminat, ponuntur in hoc Sacramento, sub vtraque specie, per concomitantiam. immediata.

Hæc conclusio est communis inter Theologos, & clare deducitur ex loco mox citato Tridentini. Et habet duas partes nimirum, quod illa ponantur per concomitantiam & quod hæc concomitantia sit proxima, & immediata, & vtraque pars probatur. Prima quidem, quia illud ponitur per concomitantiam in hoc Sacramento, quod licet directè per verba non significetur, habet tamen connexionem cum re directè significata, & importata; Atqui omnia prædicta sunt huiusmodi; ergò omnia illa per concomitantiam importantur. Maior est evidens. Minor probatur, quia licet anima, vt ex supra dictis liquet, directè per verba formæ non importetur, necitur

tamen de facto cum Corpore Christi, sicut & vnio hypostatica, & Verbi personalitas; ergò licet ex vi verborum nõ importentur, per concomitantiam tamen importari debent. Secunda etiam pars probatur; quia illa per immediatam importantur concomitantiam, quæ immediatè coniunguntur ei, quod vi verborum formæ ponitur; Atqui omnia dicta immediatè coniunguntur cum corpore, & Sanguine Domini, quæ vi verborum formæ importantur ergò.

Sed contra hanc conclusionem est vnicum argumentum in quo fusè laborat Lugo disput. 8. sect. 6. quia illa particula *meum* in forma consecrationis determinat particulam *Corpus*, ad hoc vt supponat pro corpore ipsius loquentis, seu vt supponat pro eo. qui sic loquitur, & in cuius persona consecrandi forma pronunciatur significatiue; atqui persona, quæ sic loquitur, vel quæ refert consecrans, est persona Verbi diuini; ergò ipsa diuini Verbi persona, non solum per



concomitantiam, sed ex vi verborum importari debet. Maior pater; nam postquam Christus Domini dixit: *hoc est corpus meum*; subiunxit: *quod pro vobis tradetur*; atqui corpus, quod pro nobis fuit traditum, & Cruci affixum, erat subsistens Diuina personalitate; ergo pro illo supponit illa particula *Meum*, & per consequens ex vi verborum consecrationis Diuina poni debet personalitas. Tum quia actiones sunt suppositorum; ergo illa Christi Domini locutio, pro supposito magis supponit, quam pro ipso corpore subsistente; licet enim actiones tribuantur naturæ, vt quo vt quod tamen sunt suppositi Minor est de fide; & consequentia ex præmissis benè sequi videtur.

Respondetur quod licet persona loquens secum afferat suppositum, & Corpus Christi, quod pro nobis fuit traditum, & Cruci affixum, & Sanguis, qui pro nobis fuit effusus idem afferant Diuinum suppositum; non tamen est necesse, quod omnis propositio, omnis locutio, & om-

nis actio, licet sit suppositi; quod pro supposito supponat, & suppositum vi sua afferat, vt in præsentis contingit; nam licet extra Sacramentum, & in ipso Sacramento Corpus Christi, Diuinum afferat suppositum; ex modo tamen significandi illorum verborum: *Hoc est Corpus Meum*, sola corporis ratio afferatur; vt si quis dicat de seipso; *hæc est manus mea, hæc est pellis mea*, licet & loquens suppositum afferat, & manus, & pellis re vera suppositata maneant, nõ tamen per talem locutionem suppositalitas importatur, nec ipsa loquentis intentio ad suppositalitatem extenditur, sed ad solam manus, & pellis ostensionem.

Secunda conclusio. Diuinitas, Persona Patris, & Spiritus Sancti sunt in Eucharistia Sacramento sub vtraque specie per concomitantiam, dumtaxat mediatam, & remotam. Hæc conclusio est communis. Quoad diuinitatem habetur in Tridentino loco supra citato.

Probatur conclusio de omnibus simul. Illud est in hoc Sacra-



Sacramento per concomitantiam remotam, & mediatam, quod realiter coniungitur ei, quod est per concomitantiam proximam; sed diuinitas realiter identificatur cum persona Verbi, quæ est in hoc Sacramento per concomitantiam proximam, & Persona Patris, & Spiritus Sancti realiter identificantur cum ipsa diuinitate; ergo Diuinitas est in hoc Sacramento per concomitantiam mediatam, & Persona Patris, & Spiritus Sancti per concomitantiam magis mediatam, seu remotam.

Sed dices; Tridentinum solius meminit Diuinitatis, & non Personæ Patris, & Spiritus Sancti: ergo sola Diuinitas est in hoc Sacramento per concomitantiam, non Persona Patris, & Spiritus Sancti. Antecedens est certum. Consequentia probatur. Primo, quia si ille duæ personæ in hoc essent Sacramento per concomitantiam, certè aliquam mentionem fecisset Concilium, sicut fecit de alijs, ut de anima, & Diuinitate, præsertim cum hoc in magnam hu-

ius Sacramenti redundet dignitatē. Secundo, quia ideo Diuinitas in hoc ponitur Sacramento per concomitantiam, quia hoc habet rationem vnionis hypostaticæ; Atqui personæ illæ non dicuntur vni ri hypostaticè cum natura humana; ergo neque poni dicentur per concomitantiam in Sacramento. Tertio, quia si personæ ille in Sacramento per concomitantiam poni dicerentur, ratione eiusdem concomitantia, dici possent, in Sacramento offerri, & manducari, hoc dici nequit; ergo &c.

Respondetur distinguendo antecedens. Concilium solius meminit Diuinitatis expressè, & conceditur; implicite, & negatur: eo namque ipso, quod Concilium dixit Diuinitatem in hoc esse Sacramento per concomitantiam, implicite docuit, ibi etiam esse personas illas Diuinas, nec curauit de hoc expressam facere mentionem, cum facili negotio posset ex diuinitate colligi. Adde quod non solum ex identificatione cum diuinitate intel-



ligi potest illas personas in hoc esse Sacramento, verum etiam ex ipsa Verbi Diuini persona: vt enim docent Theologi, vna persona est in alia, per circuminfectionem; de qua suo loco, vita comitemur. Per quæ patet ad primam illam probationem. Ad secundam dico Tridentinum, & Theologos dum de hac loquuntur concomitantia, non fundari solum in ratione vniuersalis hypostaticæ, verum etiam in naturali connexionem, quæ cum in præsentem reperiatur inter personam Verbi, & naturam Diuinam, & inter ipsam Diuinam naturam, & alias personas, sequitur quod ratione huius connexionis, Verbum attrahat naturam Diuinam, & hæc personam Patris, & Spiritus Sancti. Qua ratione dixit D. Thomas opus. 63. cap. 2. par. 3. S. est ibi aliud. *Quoties à Sacerdote oblatum fuerit hoc sacrificium, toties Deus Pater, cum Filio & Spiritu Sancto se totum ad fruendum exhibet.* Et D. Bernardus apud Reimpingolum serm. de Corpore Christi dicit. *O Sacramentum Sacra-*

*mentorum, in quo Pater, Filius, & Spiritus Sanctus datur.*

Ad tertiam probationem respondet Vasquez concedendo illum modum loquendi. Sed Luiscus Turrianus eiusdem Vasquez discipulus in censuris Theologicis cent. 1. dub. 4. illum modum loquendi acerbè censurat, de quo miratur Lugo num. 126. deinde respondet ipse Lugo illam locutionem esse impropriam; quia, inquit, manducari, importat motum localem, quo ab ore in stomachum traicitur cibus, quod non potest propriè conuenire Patri, & Spiritui Sancto, Verbo autem conuenit propter communicationem idiomatum.

Nihilominus sententiam Vasquez defendit Hurtadus hic disput. 5. difficultate 4. quia cum Pater, & Spiritus Sanctus sint sub speciebus panis, & vini ratione connexionis, & incircumfessionis explicatæ, possunt dici manducari, & bibi, ad manducationem, & bibitionem earundem specierum, quod certè clarè deducitur ex relatis D. Thomæ, & Bernardi testimonijs. Et ratio



tio ipsa conuincit, nam ad mā  
 ducationem specierum panis,  
 Sanguis Christi Domini, qui  
 ibi est per concomitantiam,  
 manducari dicitur, & tamen  
 nulla est idiomatum commu-  
 nicatio inter Corpus, & San-  
 guinem, sed solum naturalis  
 connexio; & adbibitionem  
 specierum vini, Corpus Chri-  
 sti bibi dicitur, & tamen talis  
 non est idiomatum commu-  
 nicatio; ergò quamuis inter  
 Diuinas illas personas, & Cor-  
 pus, & Sanguinem Christi nul-  
 la sit idiomatum communica-  
 tio, ratione connexionis dictæ  
 poterunt locutiones ille veri-  
 ficari: eo namque ipso quod  
 aliquid sumitur, eo ipso etiam  
 sumitur quidquid est cum ip-

so connexum, & modo pecu-  
 liari coniunctum, vt sunt Pa-  
 tris, & Spiritus Sancti perso-  
 na, cum Corpore, & Sanguine  
 Christi: benè verum est,  
 quod si ad idiomatum commu-  
 nicationem attendamus lo-  
 cutiones ille improprie erunt,  
 secus si attendamus ad dictā  
 connexionem. Vnde idem  
 D. Thomas vbi supra hæc ha-  
 bet mirabilia verba re vera  
 tanto doctore digna. *Deus*  
*Pater Corpus, & Sanguinem*  
*vnigeniti Filij sui D. N. I. C.*  
*sub specie panis, & vini ad de-*  
*lectabilem refectiorem anima-*  
*rum, tam continuè ministravit*  
*in quo totum quod ipse est, &*  
*habet cum Spiritu Sancto, in*  
*summo dedit.*

## QVAESTIO V.

*An totus Christus sit sub indiuisibilibus specie-*  
*rum panis, & vini.*

**S**uppono primò id in quo  
 Catholici omnes conue-  
 niunt totum Christum sub  
 qua libet parte panis, & vini

consecrati post diuisionem  
 contineri: vt definiuit Euge-  
 nius IV. in suo decreto fidei,  
 & Tridentinum sess. 13. can. 3  
 & tam-



& tamdiu manet quādiu maneret substantia panis, & vini, vt supra monuimus.

Suppono secundò totum Christum Dominum esse actu, & de facto sub qualibet particula specierum ante actualem à toto separationē, quod licet aliqui antiqui negare videantur eos tamen exusat Vasqu disput. 188. cap. 2. quia non videntur dicere totum Christum non esse sub singulis specierum partibus, sed non esse in illis ante separationem per plures præsentias, sed per vnā tantum, qdod est probabile licet probabilius sit in singulis specierum partibus, dari præsentiam partialem, ab aliis re aliter distinctam, & ab illis separabilem, ad separationem ipsarum partium specierum. Hoc suppositum constat ex Tridentino sess. 13. cap. 3. vbi habetur: *Quapropter verissimum est, tantumdem sub altera specie, atque sub utraque contineri. Totus enim, & integer Christus sub panis specie, & sub quavis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie & sub eius partibus existit. Nec desunt rationes ad id confir-*

mandum. Nam Christus est in Sacramento ad modum substantiæ spiritualis ( dico spiritualis vt abstinenceam pro modo ab illa quæstione an substantia materialis intra lineam substantiæ habeat partes, de quo N. Complut. de Generat. disput. 5. quæst. 3. 4. & 5.) Atqui substantia spiritualis verbigratia anima rationalis, est tota in toto, & tota in qualibet parte; ergo & Christus: deinde, quia si non esset totus Christus sub singulis partibus continuis, sed semel solum in tota hostia, ideo esset, quia singule Christi partes, & omnes simul, non possent correspondere eidem spatio, quod dici non potest, cū sit Christus modo indiuisibili in Sacramento

Tum quia sequeretur, quod quando consecratur Hostia parua, deberet Christus constringi, & quando in maiori, quam sit ordinaria Christi Domini statura, deberet dilateri, vt posset totum illud hostiæ, magnæ spatium replere. Tū etiā; quia deberet habere partes correspondētes partibus hostiæ nempe sursum, deorsum &c. & aliquæ partes vacuæ manerent,



rent, quæ omnia vt patet absurda sunt, & à fide omnino aliena. Vnde licet in parte minore minima, post separationem, Corpus Christi non maneat, cum neque substantia panis maneret, vt supra dicebamus; vt tamen est cum aliis coniuncta reuera manet. His suppositis, vt ab omnibus concessis, præfens difficultas ad sola indiuisibilia reuocatur; & sic quærimus, an sub illis siue continuatiua siue siue terminatiua, totus Christus reponatur.

Prima sententia negat corpus esse sub indiuisibilis quantitatis, quæcunque illa sint, sed solum sub eiusdem quantitatis partibus: ita Scotus in 4. dist. 10. quæst. 9. Vasquez hic disput. 188, cap. 4. & alii quorum argumenta postea referemus, & soluamus.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusiõne. Totus Christus Dominus post consecrationem reperitur sub indiuisibilibus quantitatis panis, siue continuatiua siue siue terminatiua, vt sunt puncta, lineæ, & superficies. Hanc sententiam tenet Capreolus in 4. dist. 10. quæst. 4. artic. 3.

Soto ibidem quæst. 1. artic. 3. vbi appositam dicit indignam esse viro Theologo. Nugnus hic, ar. 3. & est communis expositorum D. Thomæ hoc loco

Probatum primo, quia ibi ponitur Corpus Christi, vbi prius erat panis substantia; sed panis substantia erat sub punctis, lineis, superficiebus quantitatis; ergò sub illis Corpus Christi poni debet. Maior est adco certa, quod à nullo catholico negari possit, cum enim Corpus Christi in locum substantiæ panis (& idem dicendum est de Sanguine respectu substantiæ vini) succedat patenter sequitur, quod vbi erat substantia panis, ibi succedere debet Corpus Christi. Deinde substantia panis conuertitur in Corpus Christi ergò etiam quælibet eius pars in idem corpus conuerti debet, non enim substantia tota conuertitur in totum corpus, & pars in partem, sed tota substantia in totum corpus, & quælibet pars eius (& modo quo substantia partes habere potest) in totum similiter corpus; ergò vbi erat vel substantia; vel pars substantiæ, ibi cor-



corpus Christi Domini esse debet; Minor etiam in Philosophia clara videtur; nam cum puncta, lineæ, & superficies sint accidentia, sine subiecto naturaliter esse non possunt; ergo puncta lineæ &c. cum accidentia sint, ante consecrationem, subiectum cui inhæreant, habere debent, quod aliud esse nequit nisi substantia, & per consequens sub illis substantia esse debet.

Confirmatur præcedens argumentum; nam substantia panis est corpus homogeneum, & corpus Christi est heterogeneum, ergo quælibet substantia panis in integrum Christi Domini corpus, conuerti debet; Atqui sub punctis aliqua panis substantia esse debet; ergo in integrum corpus conuerti debet. Primum Antecedens patet. Prima consequentia probatur; quia eo ipso quod substantia panis sit homogenea non est maior ratio quod vna pars illius conuertatur in vnam Corporis Christi Domini partem, quàm alia, & per consequens vnaquæque in totum corpus conuerti debet.

Respondebis quod sicut in quantitate dantur partes, & puncta, ita in substantia; & sic partes quantitatis sustentantur à partibus substantiæ, puncta à punctis, & per consequens sicut sub punctis quætitatis ante consecrationem non datur substantia, sed puncta illius; ita post consecrationem, sub punctis quantitatis, Corporis Christi substantia, non dabitur, sed potius quædam, vt ita dicam, vnitua, & erunt partiales præsentia vnitentes, & facientes totum corpus esse sub tota quantitate, & totum sub qualibet parte illius.

Nam contra est, quia substantia intra propriam lineam nullas habet partes, nec punctu, vt docet Aristoteles 1. Physicorum text. 15. & ibi D. Thomas, & alibi sepe, vt videre est apud N. Complut. de Generat. disput. 5. quæst. 3. vbi plures idem tenentes longa referunt manu. Sed dato & non concesso; in substantia dari partes, & puncta, sicut in quantitate, adhuc sub punctis quantitatis, corpus Christi poni deberet; quod sic ostendo.

Pri-



Primo quia substantia panis cum suis punctis, in Corporis Christi substantiam, sua etiam puncta habentem, converti deberet, vel ergo totum Christi corpus punctis correspondet, vel solum puncta, si primum concedas cum gratiarum actione sibi occuremus, si secundum velis, contra est, quia iam sequeretur Corpus Christi non poni totum sub toto, & totum sub qualibet parte, cum puncta punctis respondeant. Secundo, quia adhuc sequeretur ut supra dicebamus, puncta, cum accidentia sint, nec ante consecrationem inherere substantiæ, nec post consecrationem Corpori Christi uniri, non quidem per inherentiam, sed per modum illum ineffabilem, de quo, cum D. Thoma, supra diximus disput. 7. quæst. 3. & 4. Sequela patet, nam ante consecrationem, puncta quantitatis, non substantiæ inhererent, sed punctis eiusdem; quod esse nequit: cum enim puncta substantiæ, si semel darentur, propriam non haberent substantiam, sed subsisterent per substantiam sub-

stantiæ; non possent subsistere, alteri tribuere.

Probatum secundo Corpus Christi in Eucharistia existit modo indivisibili; ergo etiam potest esse sub indivisibilibus. Antecedens est de fide, alioqui per fractionem Sacramenti, Christus frangeretur, contra illud quod canit Ecclesia: *Nulla rei fit scissura, signi tantum fit fractura, &c.* Consequentia bene infertur; nam ideo Angelus potest esse in puncto, quia est indivisibilis, & ideo anima rationalis, tota sub quolibet puncto reperitur, quia est indivisibilis; ergo. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum est, quia si Corpus Christi Domini esset in omnibus hostiæ punctis, sequeretur, quod esset ibi infinite replicatum, cum ibi sint puncta infinita; ergo &c.

Respondetur breviter hoc argumentum solui debere ab omnibus, cum omnes admittant, & admittere debeant Corpus Christi sub omnibus hostiæ partibus replicari: & sicut isti & omnes, nihil aliud ad hoc secundum, respon-



dere possunt, nisi quod sub hostiæ partibus, sit infinitè replicatum syncategorematicè, non categorematicè; id ipsum dicimus nos, de replicatione, sub punctis. Vnde simul cum illis replicationibus corporis seu reproductionibus infinitis syncategorematicè, debent etiam produci infinitæ præsentia, quibus fiat illud corpus præiens infinitis partibus, & punctis syncategorematicè infinitis, quæ ratione spatii specierum, vel etiam earundem specierum, vt sunt vnum quid per continuationem, dicuntur vna, vt ita dicam totalis, & integra vt supra dicebamus præsentia.

Secundum argumētum est, quia si Corpus Christi poneretur sub indiuisibilibus, verbigratiā sub linea, posset naturaliter poni sub duabus; hoc dici nequit; ergo. Maioris sequela probatur; nam sit Corpus Christi sub linea transeunte per mediam hostiam, tunc fiat hostiæ diuisio, per talem diuisiōem producuntur

duæ lineæ; tunc sic vel sub illis duabus lineis ponitur Christi Corpus, vel non: non hoc secundum, quia nihil hostiæ consecratæ esse potest, sub quo Christi Corpus non reperitur; primum dici non potest, quia illæ duæ lineæ de nouo producuntur per hostiæ diuisiōem, & per prioris lineæ destructionem; Corpus autem Christi non ponitur sub aliquo hostiæ, nisi per consecrationem; ergo.

Respondetur cum Nugno concedendo maioris sequelam; nam eo ipso quod fit hostiæ diuisio, & destruitur illud continuatiuum, & ibi definit esse Christi Corpus, & producuntur duo terminatiua, naturali sequela, sine noua consecratione, & in virtute prioris, sub illis Christi Corpus ponitur; cum enim illa terminatiua in hostia ipsa, virtute continerentur, & si ibi substantia panis adfuisset ad illa extensa fuisset; etiam Corpus Christi ad illa, in virtute præcedentis consecrationis extendi debet.



# DISPUTATIO DECIMA

*De ijs quæ Christo Domino in Eucharistia  
conueniunt.*

**S**ub isto titulo pertracta-  
bimus omnia ea quæ à  
D. Thoma pertractan-  
tur ab articulo 6. vsque ad 8.  
inclusiue quæstionis 76. vt an  
moueat localiter, & quo  
modo, Dominus Iesus in Eu-  
charistia; an possit aliquid age-  
re, & pati, actione, & passio-  
ne corporea, transeunte. An

oculo corporeo videri possit?  
An aliquando vera caro vi-  
deatur in Eucharistia, & alia  
scitu digna, & omnino mira-  
bilia, ita quod cantare possi-  
mus cum Propheta: *Memo-  
riam fecit mirabilium suorum,  
misericors, & miserator Do-  
minus, escam dedit timentibus  
se.*

## QVAESTIO I.

*An Christus Dominus in Sacramento moueri  
possit localiter, & quomodo.*

**D**vobis modis quantum  
ad præsens pertinet po-  
test aliquid moueri. Primo  
per se quando videlicet in se

primò, & non mediante alio  
formam recipit motus. Se-  
cundo per accidens, quando  
aliquid ad alterius motum.



ita mouetur, vt licet in se motus formam recipiat, a. t. r. tamen motum requirit, tanquam principium sui, vel tanquam aliquid prærequisitum; eo modo, quo nauta ad nauis motum mouetur, non recipiendo in se motum nisi prout nauis cui sedet impellitur; similiter pars dicitur ad sui totius motum per accidens moueri, quia ipsa non aliter recipit motum nisi per impulsu, suo toti, datum. Deinde nota: motum alium esse directum, alium circularem. His positis aliquæ difficultates sunt breuiter proponendæ & enodandæ.

Prima difficultas est, an motus localis, quo Christus Dominus per accidens ad motum mouetur specierum, sit sibi intrinsecus, & receptus, an vero solum in ipsis recipiatur speciebus.

Conueniunt Theologi omnes Christum Dominum non moueri in Eucharistia ratione sui, & immediatè, sed solum ratione alterius nempe specierum, cum enim in locum substantiæ succedat, & hæc per se, & immediate loco non

respondeat, sed medijs accidentibus, sequitur quod solum ad illorum motum moueatur, & sic per accidens, seu per aliud.

Prima ergò sententia circa difficultatem propositam est, Christum Dominum in Eucharistia, non moueri localiter, motu sibi intrinsecò, & in se ipso recepto, sed tantum ad motum specierum, motu tantum in ipsis recepto; ita quod motus non sit forma vllò modo in Christo recepta, sed in ipsis solis speciebus. Hanc sententiam defendit Vasquez disput. 190. cap. 4. Ochagua quaest. 23. & alii.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Christus Dominus in Eucharistia, mouetur quidem per accidens, ad motum specierum, sed motu in se ipso recepto. hanc sententiam habet D. Thomas hoc art. 6. cuius in corpore sic loquitur. *Respondeo dicendum quodcum aliquid est vniùs subiecto, & multiplex secundum esse, nihil prohibet secundum aliquid, moueri, & secundum aliquid immobile permanere.* Et post pauca. *Secundum igitur*



tur hoc esse non mouetur Christus per se secundum locum, sed solum per accidens. Et in solutione ad primum admittit Corpus Christi in Sacramento moueri ad eum modum, quo anima rationalis mouetur, ad motum sui corporis: patet autem quod anima rationalis ad sui corporis motum mouetur, per motum in se ipsa receptum. Unde D. Tho. sequuntur eius discipuli, & alii magis communiter.

Probatum primo conclusio Sacrosancti Tridentini Concilii testimonio, nam sess. 13. can. 6. dicit hoc Sacramentum in processibus circumgestari. Et can. 7. definit ad infirmos deferri. Et can. 8. docet hoc Sacramentum sacramentaliter, & realiter manducari, sed hæc verificari non possunt per motum in solis speciebus receptum; ergo debet motus in ipso Christo Domino recipi. Minor subsumpta probatur; nam per motum in solis speciebus receptum, Christus Dominus solum extrinsecè motus, denominari potest, ut ex se liquet; sed hoc quod est deferri, circumferri, manducari non dicit solam denominationem extrinsecam, sed ve-

ram, & propriam intrinsecam denominationem. Hæc minor patet; nam nulla res propriè circumferri dicitur, vel deferri &c. per solam denominationem extrinsecam, certè circumferri deferri &c. aliquam intrinsecam denotant mutationem. Unde aliter dicitur corpus Christi deferri, quam frangi dicitur; nam frangi dicitur impropriè, & per solam extrinsecam denominationem desumptam à specierum fractione, deferri autem propriè dicitur. Tum quia nihil propriè comedi dicitur, aut potari per solam denominationem extrinsecam; Atqui Corpus Christi dicitur comedi, & eius sanguis propriè potari, ergo per verum, & proprium motum, & non per solum extrinsecam denominationem.

Probatum secundo ex dictis supra disput. 6. quæst. 4. ubi probauimus præsentiam corporis Christi ad locum specierum esse quid reale, superadditum ipsi corpori Christi, & distinctum ab eo per quod fit præsens speciebus: ex quibus sic breuem, & efficacem formare possumus rationem.



Corpus Christi Domini, vt est præsens loco specierum habet propriam, & intrinsecam præsentiam localem in se ipso receptam; ergò quoties species quibus vnitur localiter mouentur, & nouam acquirunt præsentiam, etiam corpus Christi motu sibi proprio localiter mouebitur, & nouam acquireret præsentiam, & recipiet, quamuis per accidens, motu deriuato ex motu specierum, in ipsis causato, ab impetu ipsis speciebus immediatè impresso; ad eum modum quo anima rationalis ad motum corporis mouetur &c.

Secunda difficultas est, à quo nam Christus Dominus in Eucharistia existens localiter moueatur. Prima sententia est Scoti Doctoris subtilis 4. dist. 10. quæst. 6. Gab. quæst. vnica art. 2. & Maioris quæst. 6. quod Christus Dominus in Sacramento non moueatur à mouente species, sed à solo Deo. Alii volunt ab anima Christi non ad motum specierum.

Nostra sententia sequenti conclusione explicatur. Christus Dominus in Sacramento

altaris, ad motum mouetur specierum, non à solo Deo, neque ab anima Christi, per virtutem innatam, vel inditam, Hæc conclusio est expressa. D. Thomæ in hoc art. 6. vt patet ex verbis relatis dum vult ad motum solum specierum moueri, & est communis scholasticorum, & Theologarum, hoc art. 6.

Probatum primò ex communi modo loquendi fidelium, Conciliorum, Sanctorum Patrum, & scripturæ, dum dicitur corpus Christi comedi deglutiri, deferri &c. Secundo quia supra probauimus disput. 6. quæst. 3. Corpus Christi vniri speciebus vera, & reali vnione, ergò ad motum earundem specierum, vi illius vnionis, & connexionis moueri debet: Ex alia parte, cum modo careat extensionis nequit motum per se primò recipere ab agente naturali, nec ratione suæ grauitatis resistere. Nec etiam moueri potest ab anima, cum hæc naturaliter non moueat corpus proprium, nisi mediis potentiis executiuis, quæ organis afficæ sunt corporeis, & que non  
o pe-



operantur, nisi per eorundem organorum extensionem, in ordine ad locum. Supernaturaliter tamen, & diuina virtute propter Don inium, quod anima gloriosa habet supra proprium corpus, posset illud aliò transferre, simul cum ipso Sacramento. Sicut Angelus diuina virtute posset idè corpus mouere per ipsum, vel ad ipsum corpus Christi immediate terminatum, & per accidens ad species, non tamen naturaliter id facere potest cum virtus naturalis se extendere non possit ad rem, in statu supernaturali, vel excedente ordinem, & conditionem naturalem, positam. Quod moueatur Corpus Christi per accidens à Sacerdote, vel à mouente species, patet ex dictis, quia nullum agens naturale agere potest, nec impulsus in corpus existens sub hoc Sacramento, imprimere; cum non sit ibi modo extensus; nec modo naturali.

Tertia difficultas est, an corpus Christi in Sacramento moueatur per accidens motu circulari ad motum specierum, sicut mouetur motu directo,

nouam acquirendo præsentiam nouam distantiam, priori destructa. Aliqui, facili exemplo, ab hac se expediunt difficultate, dicendo, quod ita se habet Christus in Sacramento, sicut facies in speculo, quæ non rotatur, ad speculi rotationem. Sed hoc speculi exemplo nec est utendum, nec re explicat, non est utendum, quia eo aliqui vtuntur hæretici ad probandam, quod non totus Christus sub qualibet quantiratis parte reperiatur; sic enim discurrunt, quia quæuis imago in qualibet parte speculi fracti remaneat, non tamen est tota in qualibet parte speculi integri; ergo quæuis corpus Christi sit totum in qualibet parte hostiæ fractæ non tamen in qualibet parte integræ, sed est vnum dumtaxat corpus in tota hostia, sed minus restrictum; & diuisione facta, sub partibus ponitur diuisis, sed magis restrictum vt in speculo prorsus contingit. Ad quod argumentum non aliter respondere possumus, quam negando disparitatem; non enim Christus est in Sacramento sicut imago relucet



in speculo; in speculo namque vna tantum repræsentatur videntis imago, in Sacramento vero, & est totus Christus in toto, & totus in qualibet parte, si autem scire desideras rationem, quare in speculo integro vna tantum reluceat imago, in fracto vero, etiam si partes contiguerint, tot sunt apparentes imagines. quot sunt partes speculi fracti: dico rationem esse, quia illud quod videtur in speculo, non est imago, sed res ipsa, homo namque respiciens in speculo se ipsū videt, per lineam reflexam: & quia ab vna superficie continua, fit continua reflexio, ideo in speculo integro, non videt nisi vnum, cum autem speculum est fractum, superficies sit discontinua, tot fiunt reflexiones, quot sunt discontinuationes, & sic tot videntur, quot sunt partes discontinuæ, & sic vna res videtur plures. Vnde non est sic intelligendum, quod per speculi fractionem superficies continua distinguatur in duas, & res repræsentata in illis diuidatur, sed quod à qualibet parte speculi fracti, noua fiat

reflexio, & per consequens noua repræsentatio.

Nec etiam illud exemplum speculi rem explicat, quia in speculo repræsentatur inspicieus, eo modo, quo est extra speculum, nempe cum capite sursum, & pedibus deorsum, propter, vt dicebamus, reflexionem. At vero Corpus Christi ita se habet, quod non magis vna pars correspondet vni parti hostiæ, quam alteri, sed omnes æqualem habent à singulis hostiæ partibus, indistantiam.

Respondetur ergo, quod si cut rota, quando circulariter mouetur secundum se totam, præsentiam non mutat, cum semper, vt suppono, in eadem maneat distantia, similiter punctum medium quod est rotæ centrum, & secundum se totum, & absolute immotum, semper manet, cum non habeat partes sibi inuicem succedentes; partes autem eiusdem rotæ, & omnia indiuisibilia, præter punctum centri, cum ad inuicem succedant ratione partialium præsentiarum, sequitur quod harum ratione, rota moueri cense-  
tur.



tur. Sic proportione seruata dicendū est de corpore Christi, prout in hostia indiuisibilem habet præsentiam adequatam, qua totum est in tota hostia, & totum in qualibet parte, & totum est in toto hostiæ loco, & totum in quolibet parte, circulariter non mouetur, cum nouam non

acquirat præsentiam; similiter prout est sub puncto hostiæ, circa quod reliquæ hostiæ partes girantur, nec ratione partialis præsentia mouetur; prout tamen suas habet præsentias partiales sub reliquis hostiæ partibus, & indiuisibilibus ratione illarum localiter moueri dicitur.

## QVAESTIO II.

*An Corpus Christi in Eucharistia, possit pati ab agentibus naturalibus, & agere in illa.*

**A**gimus in præsentia de Corpore Christi Domini abstrahendo ab hoc, quod nunc sit sub Sacramento gloriosum, nam prout gloriosum est, certum est, non posse pati ab agentibus naturalibus. Procedit præsens difficultas de agere, & pati, virtute dumtaxat naturali, nam si de supernaturali virtute agatur, ut certum concedunt omnes, Corpus Christi Domini in Sacramento, & pati, & agere posse;

cum possit Deus supplere rationem actualis extensionis, & contactus physici, ad agendum, & patiendum necessarium. his positis.

Prima sententia est, quod Corpus Christi ut existens in Eucharistia pati possit ab agente naturali externo corporeo, & possit agere in passum externum corporeum actione transeunte, licet hoc de facto à Deo ob fidei meritum, impediat. Ita Ocham in 4. q. 3.



Maiores dist. 10. quæst. 5. Gab. in can. lect. 45. quam sententiam probabilem reputat Coninchus quæst. 76. artic. 6. dub. 2.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Christus Dominus prout in Eucharistia, non potest naturaliter agere in passum externum corporeum, nec pati ab agente externo corporeo; a ratione, & passione corporea. Hanc conclusionem docent omnes Thomistæ hoc art. 6. & omnes Scotistæ: cum suo Doctore subtili dist. 10. quæst. 5. & 7. & Theologi omnes extranomialium Scholam.

Probatur primò, quia agens naturale ad hoc ut propriis viribus physicè subiectum aliquod immuret, per alicuius qualitatis impressionem, debet ei coniungi, non tantum quoad locum, verum etiam quoad contactum; atqui nullum agens naturale potest contingere Corpus Christi in Sacramento, cum non sit modo extenso; ergò Corpus Christi in Sacramento, à nullo agente naturali, alterari potest; & per consequens, nec alterare.

Probatur secundo, quia veritum est omnium proverbium *quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur*; sed Corpus Christi in Sacramento est indivisibile; ergò ad hoc ut per qualitatem alteraretur, deberet illam modo indivisibili recipere; sed nullum agens naturale est potens producere qualitatem, modo indivisibili; ergò nullum agens naturale, est potens Corpus Christi in Sacramento, alterare. Unde Corpus Christi in Sacramento cum non possit manducare, cum hoc requirat extensionem localem, nec poterit auferri, nec nutrir, nec crescere, nec decrescere, unde si esset ibi passibile; & mortale, nec ab agente extrinseco pati posset, nec corrumpi, cum hæc alterationem supponant; nec una pars Corporis posset agere in aliam, ut cerebrum in cor, nec humidum radicale à nativo pateretur calore, nec cibus si forte aliquem haberet in stomacho, pro eo statu digeri posset, propter dictas rationes; videatur D. Thomas infra quæst. 81. art. 4.

Sed



Sed dices primò, quia vt communiter dicitur, *virtus vnita fortior est se ipsa dispersa*; ergò ex hoc quod Corpus Christi in Sacramento, est modo indiuisibili, sequitur, quod eius virtus ad agendum in externum subiectum sit fortior, cum magis sit vnita. Nam respondetur, illud dictum procedere si cetera adsint ad agendum requisita, inter quæ est extensio in ordine ad locum.

Dices secūdo Corpus Christi in Eucharistia mutatur, mutatione passiuæ, ab agente naturali, quando ad motum specierum mouetur; recipit namque plures præsentias locales, vt nos supra docuimus, & docent communiter omnes; ergò etiã poterit pati alias passiones per accidens, medijs speciebus, vt calefieri, frigeferi, &c.

Respondetur negando antecedens, nam licet Corpus Christi Domini per motum localem ad motum specierum mutetur intrinsecè, per nouæ, & nouæ præsentia localis receptionem, non tamen hoc habet virtute agentis naturalis; ille namque præsentia, li-

cet materiales sint, sunt tamen supernaturales, & transcendentes virtutis naturalis cancellos, cum intra naturæ terminos nulla virtus detur, quæ possit vnum corpus indiuisibiliter ponere totum sub toto spatio, & totum sub qualibet parte spatij. Vnde Corpus Christi Domini mouetur quidem per accidens, per Sacerdotis manus; at præsentia, non producit in virtute mouentis hostiam, sed in virtute præcedentis consecrationis, supposita motione specierum, &c. Tum quia illud vbi Sacramentale est indiuisibile, & inextensum, & sic recipi potest in Corpore Christi in extenso, non sic calor, frigus, & aliæ qualitates virtute agentis naturalis producibiles. Ex quibus infertur Corpus Christi prout in Eucharistia non posse, nec à se, nec ab Angelo naturali virtute immediate moueri, cum illa præsentia sit supernaturalis. Similiter non posse, nec à se, nec ab Angelo, nec ab aliqua naturali virtute alterari, prout in Sacramento. potest quidem per quandam concomitantiam.



alterationes quas alibi habet, etiam habere in Sacramento, vt docet D. Thomas loco supra citato, dum dicit: *Quid. quid pertinet ad Christum secundum quod in se est, potest attribui ei, & in propria specie, & in Sacramento existenti, sicut viuere, mori, dolere, animatum, vel inanimatum esse, & cetera huiusmodi; quaecunque vero conueniunt ei per comparisonem ad corpora extrinseca, possunt ei attribui in propria specie existenti, non autem prout est in Sacramento, sicut irrideri, conpropi, crucifigi, flagellari, & cetera huiusmodi, unde, & quidam metricè dixerunt.*

*Pixide seruat poterit sociare dolorem*

*Innatum, sed non illatus conuenit illi.*

Sed quæret aliquis, an Christus Dominus prout in Eucharistia possit agere actione immanenti. Non procedit dubium de potentia absoluta, sed ordinaria, & de facto, supposito quod sub Sacramentalibus sit positus speciebus. Neque est difficultas, an per concomitantiam habeat

Christus in Eucharistia actus cognoscendi, & appetendi, quos habet in Cælo; omnes enim id supponunt habere, sicut, & quod de potentia absoluta actiones habere possit immanentes, tum intellectus, & voluntatis; tum sensuum interiorum, & exteriorum, & appetitus animalis, cum possit Deus species ad id necessarias se solo producere, vel etiam naturalia eleuare agentia, ad illas species in subiecto indiuisibili producendas, & extensionem, ad agendum, naturaliter necessariam, supplere.

Conueniunt ergò communiter Scholastici, & D. Thomæ expositores, hic contra Ochamum, Maiorem, & Gab. supra citatos, Christum Dominum prout in Eucharistia, non posse actiones sensus exterioris naturaliter exercere. Tum, quia sensus exterior operari nequit, nisi patiendo ab aliquo exteriori agente corporeo, ab obiecto nimirum, quod species in sensum producat, cum sensus externi naturaliter proprias non conferuent species; at sensus externi Christi



ssi Domini prout in Eucharistia ex defectu extensionis, ab obiecto externo corporeo pati nequeunt; ergò nec sentire. Tum etiam quia sensus sunt potentia materiales, organicae, quæ naturaliter operari non possunt, aut proprios in se recipere actus, sine locali extensione; vt videre est in oculo, qui visionem non producit, nec recipit, nisi media specierum emissionem ab obiecto in oculum per modum pyramidis, cuius basis est in obiecto, coæus in oculo.

Nonnulla difficultas est de sensibus interioribus, an nimirum Christus Dominus possit illorum actus naturaliter prout in Sacramento exercere. Nam Hurtadus de Eucharistia disput. 6. difficult. 4. id affirmat, quia, inquit, vt sensus interior sentiat non est necesse quod de nouo ab extraneo obiecto patiat, cū possit species conseruare, quas ante in extensionem acquisierat; deinde quia ad actionem immanentem producendam, & recipiendam extensionis modus non requiritur; cum solum ad id requiratur, vt ex-

traneo passo contiguetur, vt agat in illud. Ex quo infert, posse Christum prout in Eucharistia exarcere quascunque intellectus actiones, etiam dependentes à ministerio sensus interioris, & consequenter omnes actiones voluntatis, quæ ad eas sequuntur actiones, si alias in sensu sint species sensibiles, vt esse possunt. Præsertim cum de facto species sensibiles, tam sensus interioris, quam exterioris, quæ sunt, & acquiruntur à Christo Domino in Cælo, sunt, & acquiruntur à Christo prout in Sacramento, & sic per speciem quam Christus Dominus acquirit in oculo, & ibi videt, per eam etiam videt in Eucharistia.

Sed hæc doctrina ab omnibus falsa reputatur, nam cum omnes sensus tam interni, quam externi, sint potentia vitales quidem, sed materiales, ad agendum, patiendumque requirunt, vt conditionem, partium suarum localem extensionem; alioqui organicae potentia non essent & materiales; vnde etiam si antiquas, phantasia Christi,



in Sacramento conseruet species, in operationem tamen naturaliter se extendere nequit. Ex quo principio colligitur, falsum esse, quod extensio solum requiratur in agente corporeo, ad hoc ut agat in aliud, ut illud contingat, non ut agat in seipsum, actione immanente. Vnde cum communi, & vera sententia dico, Christum Dominum, prout in Sacramento nullam actionem sensus exterioris, ut supra visum est, nec interioris naturaliter exercere posse. Imo addo contra illum auctorem, & contra Lugum hic disput. 5, num. 18. non posse Christum Dominum, nullum actum naturalem intellectus, & subinde voluntatis exercere; ratio est, quia licet putem intellectum non dependere ab operatione Phantasiæ, veluti à priori, quia non semper excitatur ab eadem Phantasia, sed aliquando à prioribus eiusdem intellectus actibus;

tamen saltem concomitanter operatio Phantasiæ circa idem obiectum (licet non eodem modo, cum ille, vniuersaliter saltem primario, hæc singulariter attingat) poni debet, cum oporteat intelligentem, phantasmata speculari, ut tradit Philosophus, & cum eo omnes in 3, de anima; vnde sequitur, quod si Phantasia Christi Domini prout in Sacramento, naturaliter phantasiari non possit, neque intellectus naturaliter intelligere poterit: habet tamen, etiam prout in Sacramento, Christi Domini intellectus, omnes illas operationes, quæ suapte natura sine dependentia à corpore fieri possunt. Quod si miraculosè daretur Christo in Sacramento sensuum vsus, posset subinde sine nouo miraculo per actum intellectus, & voluntatis circa res sensatas versari, ut ex dictis colligitur.



## QVAESTIO III.

*An Christus Dominus prout in Eucharistia  
existens, possit videri oculo  
corporeo.*

**N**on procedit difficultas de potentia ordinaria, quia ut ex dictis præcedenti quæstione liquet, hoc nullo modo esse potest, cum non possit per modum pyramidis species ad oculum transmitti. Sed procedit tantum quæstio de potentia absoluta.

Prima sententia est, quod Corpus Christi prout in Sacramento, etiam per potentiam Dei absolutam ab oculo corporeo videri non possit, siue ille oculus sit glorificatus, siue non. Ita Capreolus, & Paludanus apud Nugnum hic difficultate prima. Suarez disput. 53. sect. 4. Mæratius disp. 26. sect. v. & alii.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Corpus Christi prout in Sacramento, per potentiam Dei absolutam, ab oculo corporeo vi-

deri potest. Hæc est manifesta D. Thomæ sententia, quæ clarissimis verbis docet in 4. dist. 10. q. 1. quæst. 1. ad primum. Erat enim argumentum tale: videtur quod oculus glorificatus possit videre ipsum Verum Corpus Christi sub speciebus existens: ipse enim Christus sub speciebus existens videt se ipsum ibi corporali oculo sed corpora glorificata conformantur corporali eius, ut dicitur Philip. 3. ergo & alius oculus glorificatus, puta Virginis, potest hoc idem. Respondet. Si oculus Christi esset extra species Sacramenti non videret substantiam suam intra species contentam ex natura gloria, nisi miraculose, & ideo non oportet quod oculus glorificatus videat, nisi forte per miraculum. Vnde ut vides duodocet Angelicus: primum quod.



quod de facto Christus Dominus in Sacramento videt se ipsum, & non ex vi gloriæ corporis, sed miraculosè: & merito quidem, quia hoc valde decebat Christi dignitatem, & excellentiam, vt videret in Sacramento se ipsum; imò, & circumstantes, eosque orantes audiret, ne esset ibi modo stupido, & sine sensuum exercitio; cum enim ibi nobiscum habitet corporaliter, videtur conueniens, vt nobiscum commercium habeat corporale, per sensus corporeos; cum enim vt supra dicebamus, & admittunt communiter omnes, per potentiam Dei id fieri possit, videtur conueniens, vt ibi fiat, vbi tota alia mirabilia fiunt, ex quo mirabiles, & deuotissimas inferre poteris consequentias, præsertim ex supposita oculorum replicatione. Secundum quod docet Angelicus est, quod oculus corporeus beati, consideratus tantum intra latitudinē oculi corporei glorificati, non videat Corpus Christi in Sacramento existens, possit tamen id miraculosè fieri. Et quidem optimè; quia visio in

corporibus beatis, fit eodem modo, per species ab obiectis acceptas, ac in non beatis; ergò cum Corpus Christi prout indiuisibiliter in Sacramento existit, species extra se emittere, nisi miraculosè non possit; sequitur, quod sine speciali priuilegio, quod soli Christo concessum esse videtur, non possit Corpus Domini in Sacramento videri. Id ipsum habet D. Thomas art. 7 ad 2. vbi idem argumentum vt supra proponit, & soluit dicens: *Oculus corporalis Christi videt se ipsum sub Sacramento existentem: non tamen potest videre ipsum modum essendi, quo est sub Sacramento, quod pertinet ad solum intellectum.* Quod vltimum ponit, vt doceat, quod præsentia Sacramentalis, seu modus ille supernaturalis, non potest esse obiectum proprium, sed sensibile proprium visus, sed solius intellectus, possit tamen esse sensibile quoddam commune. Nam si nullomodo, neque vt sensibile commune, posset illa præsentia ab oculo sentiri, certè non posset D. Thomas dicere, quod



quod Christus videat se ipsum sub Sacramento existentem, quod ex nostris rationibus, & argumentorum solutionibus magis patebit.

Hanc conclusionem sic explicatam defendunt communiter D. Thomæ Discipuli. Vnde Suarez disput. 53. sect. 4. licet teneat sententiam oppositam grauatus tamen Sancti Doctoris testimonijs adductis, fatetur esse ipsius sententiam, & Thomistarum. Capreoli, Soti, Victorix, & omnium inquit recentiorum Thomistarum, Eandem sententiam sequitur Alens. 4. par. quæst. 40. memb. 3. art. 8. S. 2. vbi dicit. Beatam Virginem speciali priuilegio videre Corpus Filij sui in Sacramento. Hanc eandem sententiam sequitur N. Valdensis tom. 2. de Sacram. cap. 65. & alij plures præsertim ex recentioribus.

Probatur primò, quia omnis potentia per eleuationem, & confortationem, eleuari potest ad attingendum quodlibet obiectum, intra latitudinem sui obiecti extensiuum, contentum; sed Corpus Christi

Domini, & modus eius, quem in Sacramento habet continetur intra latitudinem obiecti potentix visiuæ; ergò per eleuationem, & confortationem eiusdem potentix attingi poterit. Minor in qua est difficultas, quoad vtranque partem probatur; quoad corpus namque, quia est coleratum, est enim Corpus Christi cum omnibus accidentibus suis, quæ à loco non dependent; quoad modum indiuisibiliter existendi, de quo est maior difficultas, ostenditur; nam vt disput. 6. quæst. 4. docuimus iste modus licet sit supernaturalis, est tamen corporeus, cum subiectetur in subiecto corporeo, & solum dicitur spiritualis quoad effectum, cum ponat corpus modo indiuisibili, ad modum substantiarum spiritualium; ergò &c. Tum quia licet iste modus non sit lux, vel color, quæ sunt proprium potentix visiuæ obiectum, est tamen sensibile quoddam commune, & per consequens, habebit Corpus Christi, vt faciunt sensibilia communia, taliter modificare, vt à pluribus sensibus



bus percipi possit.

Nec valet dicere, hoc nostrum sensibile commune non fuisse enumeratum à Philosopho in 2. de anima; non enim est motus, quies, numerus, figura, & magnitudo. Nam Aristoteles quos nouit enumerauit. Tum quia solū enumerauit generalia sensibilia communia, non omnia, ut notant ibi Philosophi. Tum etiam, quia dicere possumus hunc nostrum modum, reuocari ad quietem, cum ponat Corpus Christi sub speciebus immobiliter, cum namque ibi non desinat nisi ad definitionem specierum.

Probatur secundo, quia implicat Deum producere speciem Corporis Christi indiuisibiliter existentis, & quod saltem secundo illa species non representet illum modum, talem indiuisibilitatem producentem; Atqui de facto Deus producit in oculis Christi in Sacramento existentis, speciem representantem se ipsum indiuisibiliter existentem; ergo etiam modus ille secundo representari debet. Maior probatur; nam

vel illa species representat Corpus Christi indiuisibiliter sub Sacramento, nempe totum sub tota quantitate, & totum sub qualibet parte, vel non: si primum; ergo secundo representat illum modum materialem, & corporeum; cum non possit oculus Christi videre suum corpus sub Sacramento, nisi cognoscat esse indistans, & esse illi vnitum; sicut dum video rem distantem, cognosco per oculos distantiam, quia aduerto esse in tanta distantia, &c. ergo similiter si oculus Christi videt suum corpus esse indistans à Sacramento, debet talem indistantiam percipere; secundum dici nequit, præsertim in via D. Thomæ, ut ex dictis liquet, & concedunt communiter omnes, cum nulla in hoc inuoluatur implicatio.

Probatur tertio; quia localis corporis extensio, est tantum requisita conditio, ad hoc ut corpus ab oculo naturaliter queat videri, sicut etiam eadem corporis extensio, locique propinquitas, conditione necessaria est, ut in aliud  
agere



agere possit; ergò sicut Deus absoluta sua virtute facere potest, vt supra visum est, quod corpus inextensum, locoque indistans, in aliud agere possit, subinde facere poterit, quod corpus, modo indiuisibili existens, ab oculo corporeo videri possit; si enim in priori casu Deus supplet, & extensionem, & indistantiam, & hic pariformiter id ipsum facere poterit. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum est, nõ potest videri Corpus Christi in Sacramento, nisi Sacramentalis eius præsentia sub speciebus videatur. Sed hæc videri non potest; ergò neque Corpus in Sacramento videri poterit. Maior constat, quia non potest Christi Domini Corpus vt in Sacramento videri, nisi videatur ibi esse, vbi Sacramentum est; sicut non potest videri vt in Cælo, nisi videatur ibi esse, vbi Cælum est; nam vniuersaliter verum est nullam rem hic, vel ibi videri, nisi videatur eius localis, cum corpore locante, præsentia. Minor probatur, quia illud, vbi non est sensibi-

le proprium visus, neque commune, cum non reperiatur inter enumerata à Philosopho.

Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem; ad probationem patet ex dictis. Vnde licet illa præsentia sit supernaturalis, est tamen quantitativa, materialis, & corporea, & sicut lux Cæli Empirei, in communi sententia, est supernaturalis, & tamen ab oculo beati videtur; quare etiam videri non poterit hæc præsentia, cum licet supernaturalis sit, sit tamen quantitativa &c.

Secundum argumentum; visus non potest percipere obiectum indiuisibile; sed Corpus Christi in Eucharistia, licet secundum se, sit diuisibile, ad modum tamen indiuisibilis existit; ergò nequit videri. Respondetur negando maiorem; nullus enim negare potest, quin possit Deus eleuare oculum ad videndum colorem, vel lucem in indiuisibili positam, cum possit extensionem, ad naturaliter videndum necessariam, supplere.

Tertium argumentum visus nequit percipere rem,



quin eius percipiat figuram, & pulchritudinem; sed corporeus oculus nequit percipere figuram, & pulchritudinẽ Christi in Eucharistia; ergò neque ipsum Christum. Maior videtur clara. Minor probatur, quia Corpus Christi in Eucharistia, nullam habet figuram, nec triangularem, nec quadratam, nec rotundam, &c. cum sit modo indiuisibili. Respondetur oculum corporalem non percipere figuram, quia illa in Eucharistia non est, percipere tamen lucem à corpore illo glorioso egredientem, & pulcherrimos illius corporis colores; loquor de figura situali, quia organicam arguitiue perciperet, sicut & pulchritudinem quæ in optima membrorum dispositione consistit, cum quadam calorum suauitate, dixi arguitiue, quia distinctè hoc percipere non posset, cum totum corpus, & omnes eius partes in qualibet spatij parte reperiantur, arguitiue tamen posset, sicut tacta alterius manu percipere possum quatuor primas qualitates, etiam si in eodem subiecto reperiantur; si-

militer si duo corpora penetrarentur, licet distinctè non perciperentur, arguitiue tamen cognoscere possem non esse vnum, & idem corpus; sed duo.

Hinc vnum petunt aliqui, an Deus possit Corpus Christi in Eucharistia ostendere extensum, ad figuram vnus paruuli, cuius pedes sint in parte inferiori hostiæ, & caput in superiori, omnia alia occultando. Negat Suarez; affirmat probabilius Lugo: potest namque Deus causare in oculo speciem capitis solum in illa parte superiori hostiæ occultando reliquas, & ita descendendo vsque ad pedes inclusiue. Idem dicendum de figura, faciendo quod in vna parte hostiæ sentiatur durities ossis, & non mollities carnis &c. Maneat ergò Deum posse per Diuinam potentiam facere, quod Corpus Christi oculis videatur corporeis, tangatur, audiatur, cognoscatur per gustum, & eius suauissimus odor percipiatur, sicut de facto omnia ista ipsi Christo in Sacramento conceduntur, cum non sit maior

ratio



ratio de visu, quam de alijs sensibus exterioribus.

Sed quæret aliquis quonam modo Christus Dominus in Sacramento se ipsum videat. Hoc optimè explicat Nugnus hic difficultate vltima, exemplo corporum gloriosorum, nam cum corpus glorificatum sit transparens, ab omnibus corporis partibus species ad oculos transmittuntur, & vnus oculus ad alium, & vna pars oculi ad aliam partem, suam speciem transmittit, & sic corpus glorificatum omnes suas partes videbit, & se ipsum totum, hoc enim pertinet ad beati excellentiam; ita proportione seruata, contingit in Corpore Christi Domini in Sacramento. An autem Corpus Christi in cæna viderit se ipsum in Sacramento, est inter Scribentes discensio: mihi dicendum videtur, quod cum illud corpus tunc temporis

non esset gloriosum, non poterat se ipsum videre, sine nouo miraculo, quod forte factum fuit, quia vt notauit Nugnus, maxime id expediebat ad perfectionem illius corporis Sacramentati.

Ex his apparet quid dicendum sit ad illam difficultatem quam mouet D. Thomas art. 8. de apparitionibus, quæ in hoc Sacramento quandoque fiunt; nam cum idem corpus nequeat esse in duplici loco circumscriptiue, non potest caro, vel sanguis apprensus esse caro eadem Christi, vel Sanguis, localiter circumscriptiue extensus, sed talis apparitio, vel fiet modo supra explicato, per productionem illarum specierum à Deo miraculosè, vel intercedet aliqua læsio videntis; vnde tunc fictio contingit, non mendacium, vt ex D. Augustino notat D. Thomas.



## QVAESTIO IV.

An Christus Dominus prout in Sacramento  
possit à creato intellectu  
cognosci.

**I**mprimis certum est posse Christum Dominum prout est in hoc Sacramento cognosci non solum fide supernaturali, & Diuina, vt de facto cognoscimus nos; verum etiam naturali, & humana, non solum libera, vt si quis humano tantum nixus testimonio id credat, sed etiam coacta, vt faciunt demones coacti signis, miraculis, & testimonijs, iuxta illud: *dæmones credunt, & contremiscunt*. Est etiam certum posse intellectum creatum per visionem beatam Corpus Christi sub Sacramento cognoscere, cum omnibus mirabilibus, quæ ibi intercedunt: imò valde credibile est de facto omnes beatos illud perfectè cognoscere; Sicut etiam potest viator per scientiam infusam huius mysterij, seu per infusionem speciei re-

presentantis hoc mirabile mysterium; sicut enim vt precedenti quæstione notauimus potest Deus infundere speciem, per quam Corpus Christi in Sacramento videatur; à fortiori poterit speciem infundere, per quam ab intellectu creato cognoscatur. Est denique certum, intellectum humanum, naturali lumine non posse cognoscere Corpus Christi sub Sacramento; nam cum homo naturaliter nihil cognoscat, quod per sensus ad intellectum non intret, & Corpus Christi prout in Sacramento, nullam speciem ad sensus mittat, sequitur quod naturaliter ab intellectu humano cognosci non poterit. Et sic tota difficultas ad intellectum Angelicum reuocatur; & quæritur, an intellectus Angelicus, naturæ viribus, possit



possit Christum Dominum sub Sacramento cognoscere, non cognitione coniecturali, sed certa.

Prima sententia est affirmatiua, quam Scoto, Maiore, Palacio, Ochamo, & Gab. tribuit Suarez disput. 53. sect. 5. licet dicant de facto impediri, ne illud cognoscatur.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Intellectus Angelicus nulla virtute naturali videre potest Corpus Christi sub Sacramento. Hæc est expressa D. Thomæ sententia, & Thomistarum omnium, vt testatur Suarez vbi supra. Videatur Caietanus, & Nugnus hic art. 7. difficultate 2. vbi illam optimè probat.

Probatur primò, Angelus naturæ viribus cognoscere nequit, modum illum ineffabilem, quo Christus Dominus est in Sacramento; ergò neque ipsum Christum Dominum. Antecedens patet, nam vt disput. 6. quæst. 4. & alibi docuimus, & docet D. Thomas in hoc art. 7. ille modus est penitus supernaturalis, entia autem supernaturalia, na-

turali lumine cognosci nequam possunt. Consequentiâ etiam ex dictis præcedenti quæstione satis constat; nã nequit intellectus cognoscere Corpus Christi in Sacramento, quin clare cognoscat, quod sit ibi, sicut enim Corpus Christi secundum esse extensum, connexionem habet cum loco, in quo extenditur, & cognosci non potest sine illo, cū de ratione corporis extensi sit totum corpus, toti loco correspondere, & partem parti: ita corpus inextensum cognosci non poterit absque eo, quod cognoscatur spatium cui correspondet.

Probatur secundo: Angeli ea tantum cognoscunt naturaliter, quorum habent species inditas, vt communis docet sententia; atqui Angeli secundum sua naturalia considerati, non habent speciem inditam Corpus Christi in Sacramento repræsentantem; ergò Angeli naturali virtute cognoscere non possunt Corpus Christi in Sacramento. Maior constat. Minor probatur, nam Angeli earum rerum dumtaxat species, secundum.



dum sua naturalia considerati receperunt, quæ ad ordinem pertinent vniuersi, ob quam rationem, non habent species, futura contingentia repræsentantes, nec cordium cogitationes; atqui Corpus Christi Domini prout in Sacramento ad ordinem non spectat vniuersi, cum sit supra omnem vniuersi ordinem; ergo &c. Minor probatur, quia ea ad ordinem vniuersi pertinere dicuntur, quæ cælestibus subiacent influentijs, vel quæ possunt agere, & pati ab agente extrinseco; atqui Corpus Christi in Sacramento hæc habere nequit. vt ex supra dictis constat; ergo. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum est. Corpus Christi Domini non solum continetur intra latitudinem obiecti extensiuæ, verum etiam intensiuæ, seu proportionati intellectus Angelici; ergo poterit ab eo attingi. Nec valet dicere non posse intellectum Angelicum cognoscere Corpus Christi in Sacramento; etiam si sit ens naturale secundum se, quia

modus ille quo est in Sacramento est super naturalis.

Nam contra est, quia si duo corpora essent penetratiuè in eodem loco, cognoscerentur ab Angelo, & tamen modus ille penetrationis est supernaturalis. Similiter homo existens in gratia, & gloria modum habet essendi supernaturalem, & tamen ab Angelo cognoscitur, etiam si gratia, & gloria non cognoscatur. Item Christi humanitas cognoscebatur ab Angelis etiam malis; & de facto cognoscitur, etiam si habeat essendi modum supernaturalem. Et si Deus poneret frigus in igne, cognosceretur ab Angelo, etiam si non cognosceret, nec penetraret modum illum, quo frigus est in igne. Tum etiam Angelus modum habet essendi indiuisibilem; ergo facilius cognoscere poterit Corpus Christi indiuisibiliter, cum tunc maior intercedat proportio inter intellectum cognoscentem, & obiectum cognitum.

Respondetur negando antecedens; licet enim Corpus Christi secundum se, sit ens natu-



naturale, & obiectum proportionatum intellectus, tum Angelici, tum humani; tamen ratione modi essendi fit extra illud; vt enim supra dicebamus, prout est in Sacramento ad ordinem non pertinet vniuersi, vt sunt cordium cogitationes, futura contingentia, numerus guttarum maris, arenarum &c. Vnde solutio ibi tradita adhuc sensum intellecta optima est; nec exempla ibi adducta aliquid euincunt, nam per illos modos res ille non extrahuntur ab ordine vniuersi, sed semper in illo manent.

Secundum argumentum, Angelus naturaliter cognoscit Christi Domini humanitatem esse in rerum natura; ergò in casu quo alibi non esset, cognosceret esse in Sacramento.

Respondetur dato casu, quod Christi humanitas non esset nisi in Sacramento, posset Angelus scire humanitatem illam in rerum esse natura, & tamen nesciret vbi esset. Exemplum clarum habemus in sententia D. Tho. & Thomistarum de Angelo, qui est in loco per operationem, si ab

illa cessat, nulli est; & alii Angeli sciunt hunc in rerum esse natura, & tamen pro tempore eo, non cognoscunt, vbi nã determinatè sit.

Tertium argumentum, Angelus naturaliter cognoscere potest substantiam panis à propriis abesse accidentibus; ergò potest cognoscere ibi esse Corpus Christi. Antecedens patet, nam Angelus speciem habet repræsentantem illam panis substantiam, & de facto videt non amplius repræsentari. Consequentia etiam constare videtur, nam ex vna parte sit Christi Domini Corpus esse in rerum natura, scit non habere extensionem localem, scit non adesse panis substantiam; ergò &c.

Respondetur ex hoc argumento solum haberi Angelum arguitiue cognoscere præsentiam Corporis Christi in Eucharistia, non certo; nam semper posset dubitare, Deum talem substantiam sibi abscondere; Corpus Christi esse alibi indiuisibiliter, non tamè certò sub Sacramento. Licet videat accidentia proprio carere subiecto, non tamen videt



det conseruari à Corpore Christi sub illis existente; sicut licet cognoscat humanitatem Christi, propria carere subsistentia, non tamen cognoscit

subsistere subsistentia Diuina, sed iudicio præcipitatur, quod vel sine vlla maneat, vel propria abscondatur &c.

## QVAESTIO V.

*An quando Christus Dominus desinit esse sub Sacramento aliqua fiat in ipso mutatio substantialis.*

**V**ariæ sunt Scribentium sententiæ circa Corporis Christi Domini definitionem aliqui namque volunt Corpus Christi in Sacramento desinere, sine vlla mutatione in ipso facta, sed solum per mutationem factam in speciebus, ita quod Corpus Christi solum extrinsecè mutari dicatur, per mutationem specierum. Ita Caietanus art. 6. huius quæstionis 76. & alii ante, & post ipsum. Alii volunt Christum Dominum desinere in Sacramento per mutationem dumtaxat localem, quia ex Sacramento in Cælum transfertur, vbi pluries replicatum repe-

ritur, ita aliqui Canonistæ, qui interdum dicunt Christum ex Sacramento in Cælum auolare, vt patet per Glossam in capit. *Tribus gradibus de consecrat. dist. 2.* Pater Suarez vult Christum Dominum desinere solum per mutationem accidentalem, in ipso factam; nempe per amissionem præsentie Sacramentalis.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Corpus Christi dum in Sacramento desinit, non solum mutatur accidentaliter, verum etiam substantialiter, non simpliciter, sed secundum quid. *Primam*



nam partem huius conclusio-  
nis damus P. Suarez, est enim  
certissimum Corpus Christi  
accidentaliter mutari dum in  
Sacramento esse desinit, non  
solum quia præsentiam amit-  
tat Sacramentalem, & modum  
vniõnis ad species, & ad locũ  
specierum, verum etiam rela-  
tiones reales propinquitatis,  
& distantia ad alia subiecta,  
sine illorum subiectorum cor-  
ruptione. Quod autem non  
desinat simpliciter, volunt om-  
nes, & constat quia manet se-  
cundum præsentiam quam ha-  
bet in Cælo, & secundum to-  
tam suam substantiam. Quod  
vero desinat substantialiter se-  
cundum quid, defendunt Tho-  
mistæ, vt videre est apud Nu-  
gnum art. 6. quæst. 76. dub.  
3. & colligitur ex D. Thoma  
eodem art. 6. quatenus docet  
Corpus Christi esse immobi-  
liter in hoc Sacramento; quia  
non est sibimet principium de-  
ficiendi, sed desinendi, sed de-  
sinat ad desitionem specierũ;  
patet autem, quod cum Cor-  
pus Christi sit vera, & propria  
substantia, & verè, & propriè  
desinat, ad specierum desitio-  
nem, debeat hæc desitio esse,

vt loquitur Nugnus, corrup-  
tio substantialis, non simpli-  
citer, & absolutè, cum hoc  
modo maneat, sed secundum  
quid, nimirum prout erat ibi  
ex pane.

Probatum primò, Christus  
desinit esse sub speciebus, qua-  
tenus Deus retrahit suum cõ-  
cursum, quo illius substanti-  
am, vt sub speciebus conser-  
uabat; sed hæc desinitio vt sic,  
est substantialis; ergo desitio  
Christi Domini sub speciebus  
debet esse substantialis; & per  
consequens Corpus Christi  
per desitionem substantialiter  
mutari debet. Maior patet,  
nam Deus prius conseruabat,  
& species, & Christum Domi-  
num sub illis; ergo sicuti de-  
sitio specierum fit per subtra-  
ctionem concursus, quo spe-  
cies conseruabat; ita desitio  
substantia Christi Domini fie-  
ri debet per subtractionem  
illius concursus, quo eandem  
substantiam sub iisdem con-  
seruabat speciebus. Minor  
etiam constat, quia sicuti cor-  
ruptio specierum per subtra-  
ctionem concursus, quo con-  
seruabantur, est mutatio ac-  
cidentalis, ita desitio substan-



tiæ Christi, vt sub speciebus debet esse mutatio substantialis: erat namque substantia Christi sub Sacramento, postea non est &c.

Probat<sup>r</sup>ur secundo definitio correspondere debet inceptioni; sed inceptio Christi sub speciebus, vt supra ex D. Thoma probauimus, fit per veram conuersionem, seu productionem substantialem, non quidem absolutam, & simpliciter, sed ex pane; ergò etiam definitio eiusdem Christi sub speciebus debet esse corruptio non quidem absoluta, & simpliciter, sed secundum quid, nimirum prout sub speciebus, seu prout illa substantia erat ibi ex pane producta.

Probat<sup>r</sup>ur tertio destruendo fundamenta primæ, & 3. sententiæ. Secunda namque nullam habet probabilitatem. Nam vel Christus definit esse in Sacramento per solam extrinsecam denominationem à specierum definitione, vel corruptione desumptam, vt vult prima sententia, vel per solam amissionem præsentia Sacramentalis, vt vult tertia sententia; vel certè per definitio-

nem propriæ substantiæ, prout in Sacramento ex pane productæ, vt cum communi Thomistarum volumus nos; non primum, nec secundum; ergò tertiam. Minor probatur, quod non primum, quia Corpus Christi non incipit esse in hoc Sacramento per solam extrinsecam denominationem, vt supra probauimus; ergò neque per solam extrinsecam denominationem esse definit. Neque secundum, quia, si sola præsentia Christi Domini corrumpere<sup>r</sup>etur, deberet manere Christus Dominus modo illo indiuisibili, in rerum natura: cum enim illa substantia ex pane fuerit facta cum sua quantitate, sine extensione situ<sup>ali</sup>, deberet cum hac manere, licet sine præsentia Sacramentali; & tunc vel aliam habebit, vel nullibi esset quorum nutrum est dicendum; ergò &c.

Probat<sup>r</sup>ur quarto, quia alia est actio, qua Deus conseruat Corpus Christi sub Sacramento, & alia est actio, qua conseruat illius præsentiam, nam præsentia supponit esse, & sic prius est Corpus Christi esse



in Sacramento per conversio-  
nem panis in ipsum, quam ha-  
bere præsentiam illam acci-  
dentalem, cum accidens sub-  
stantiam supponat; ergò in  
desitione debent duo assigna-  
ri, & desitio substantiæ, & de-  
sitio præsentia illius.

Adde quod in sententia  
P. Suarez sequeretur, quod  
Corpus Christi toties desine-  
ret esse sub Sacramento, quo-  
ties localiter mouetur, tunc  
enim nouam acquirit præ-  
sentiam, antiqua destructa.  
Soluuntur argum. in contrariū

Primum argumentum, ,  
quod est potissimum primæ  
sententiæ fundamentum, est,  
quia eo modo Christus dici-  
tur desinere sub Sacramento,  
quo modo Deus desinere di-  
citur in creatura ad corruptio-  
nem illius, sed Deus solum di-  
citur desinere per denomina-  
tionem extrinsecam; ergò eti-  
am corpus Christi. Maior vi-  
detur esse D. Thomæ artic. 6.  
citato. Minor nota est, nam  
Deus nullibi desinere dicitur  
per desitionem sibi intrinse-  
cam, & substantialem.

Respondetur negando Ma-  
iorem. Nec verum est ita se-  
ntire D. Thomam, cum solum

velit quod sicut desitio Dei in  
creatura non potest preuenire  
ex parte Dei, sed ex defectu  
eiusdem creaturæ, ita desitio  
Corporis Christi in Sacramen-  
to, non potest prouenire ex  
defectu Christi, sed ex defe-  
ctu specierum corruptarum,  
cum & Deus quantum est de  
se, & Christus, sint in creatura  
& in Sacramento, indeficiēter.

Secundum argumentum,  
quod est fundamentum P. Su-  
arez est, quia Angelus existēs  
per magnum spatium enten-  
sus, potest in vna parte desi-  
nere, per solam præsentia de-  
sitionem. Demus enim An-  
gelum totam aulam occupare  
relinquat occupare dimidiam  
tunc nihil substantiale amittit  
sed solum dimidium vbi, &  
si totam aulam relinquat,  
totam præsentiam amittit,  
& nihil substantiale; ergò eti-  
am idem dicendum est de cor-  
pore Christi. Respondetur  
tra nseat Antecedens, & nega-  
tur consequētia, est enim ma-  
nifestissima disparitatis ratio;  
nā Angelus nec occupat spa-  
tium, nec maius spatium per  
sui productionem. At vero  
Corpus Christi in Sacramen-



to punitur per veram productionem, vel reproductionem absolutam, & simpliciter, sed ex panis substantia; vnde non est simile. Ex quibus patet definitionem Christi sub speciebus non esse conuersionem in

substantiam, quæ ex specierum corruptione ponitur, sed esse simplicem definitionem per diuini concursus subtractionem factam ex suppositione corruptionis earundem specierum.

# DISPUTATIO VNDECIMA

*De accidentibus in hoc Sacramento permanentibus.*

**D** Thomas supra quæstione 75. art. 5. probat omnia accidentia panis, & vini peracta consecratione manere, & quod hoc rationabiliter, triplici ex causa per diuinam potentiam factum sit. Primò, quia non est consuetum hominibus hominis carnem comedare, & Sanguinem bibere, ideoque caro, & Sanguis nobis sumenda proponuntur, sub illorum speciebus, quæ frequentius in

hominum vsum veniunt, panis scilicet, & vini. Secundò ne hoc Sacramentum ab infidelibus irrideatur, si sub propria specie Dominum N. manducaremus. Tertio ut fidei esset citium habeamus. Quia tamen accidentia panis alia sunt sensibilia, & alia insensibilia alia sunt accidentia communia, alia propria dubitatur, an omnia maneant, & dico breuiter omnia manere, quæ per diuinam potentiam sunt à proprio separa-



parabilia subiecto, siue sint accidentia communia, siue propria: dixi quæ à proprio subiecto separabilia sunt, vt excludatur relatio, quæ in substantia fundatur, hæc enim sine fundamento manere non potest. similiter modus vnionis, quo propriis vniebatur accidentibus, quo erat in loco, nõ manet; cum modi sine re cu-

ius sunt modi manere non possint.

In hac quæstione 77. agit Angelicus de modo quo accidentia quæ remanent maneat sine subiecto; quomodo agere & pati quæant; quomodo ex illis aliquid quæat generari, &c. de quibus, & nos cum illo agemus; sit ergò.

## QVAESTIO I.

*An accidentia, per acta consecratione, manean sine subiecto.*

**C** Aluinistæ, Lutherani, & quorquor Eucharisticâ negant transubstantiationem, Catholicos irrident, qui tuentur accidentia panis, & vini, in hoc Sacramento, sine subiecto manere, quorum fundamenta postea adducentur, & soluentur.

Nostri sententia sequenti explicabitur conclusione. Accidentia panis, & vini in altaris Sacramento, sine subiecto manent. Hæc conclusio est

definita in Concilio constantiensi sess. 8. vbi damnatur Viclephi error oppositum sentientis. In Concilio Florentino in decreto Eugenii. In Tridentino sess. 13. can. 2. & habetur in cap. *species*, quod est D. Grægorii, de consecrat. dist. 2. & in cap. *nos autem*; quod est D. Augustini, & in cap. *omnia eadem distinct.* vbi Tur. Crem. & alii scribentes.

Illam probat D. Thomas artic.



artic. I. sequentibus verbis. *Cum enim effectus magis dependeat à causa prima, quam à causa secunda, Deus qui est prima causa substantiæ, & accidentis, per suam infinitam virtutem conseruare potest in esse accidentis, subtracta substantia, per quam conseruetur in esse, sicut per propriam causam, sicut etiam alios effectus naturalium causarum potest producere, sine naturalibus causis, sicut humanum corpus formauit in utero virginis sine virili semine.*

Probatur primò, nam accidentia panis, & vini quæ ad sensuum solatium, & fidei exercitium, peracta manent consecratione, non habent substantiam, cui in hæreant; ergò manent sine subiecto. Consequentia constat. Antecedens probatur; nam non inhærent antiquæ panis substantiæ, cum hæc in Christi Domini corpus sit conuersa, & per consecrationem esse desierit, vt disputatione 7. quæst. 4. & 5. & alibi probatum fuit; neque corpori Christi, quia hoc ibi indiuisibiliter existit; accidentia autem modo diuisibili, & extenso. Tum quia, corpus

Christi vt præcedenti disput. ostendimus non amplius manet obnoxium sensibilibus mutationibus, & ratione modi essendi; & etiam ratione dotum gloriolarum. Tum etiam quia vnum, & idem corpus non nisi propria, sustentare potest, non aliena, accidentia naturaliter loquendo, quid quid sit de diuina virtute. Nec etiam sustentantur ab aere, vt volût aliqui quos expugnat eleganter D. Thomas in hoc art. I. quia secundum Philosophiam corpus corpori cedit & sic aer ad motum specierum expellitur. Tum quia, accidentia non migrant de subiecto in subiectum, cum numerum accipiât à subiecto, Tum etiam, quia cum propriis non spoliatur accidentibus, non potest simul habere propria, & aliena, nec dici potest id fieri miraculosè, vi consecrationis; quia verba consecrationis id non significant, & non efficiunt nisi suum significatum.

Probatur secundo. Nam de Sacramenti ratione est, quod sit signum sensibile, talis, vel talis gratiæ sanctificationis,



tis, & Eucharistia signum esse debet gratiæ nutrientis, per modum cibi, & potus, Atqui id melius præstare nequit, quã per ipsa accidentia panis, & vini; ergò &c. si enim semel ad aliud migrarent subiectum propriam cibi, & potus, non retinerent rationem.

Probatum tertio, quia id non repugnat, neque ex parte substantiæ, neque ipsorum accidentium, & aliunde in Deo infinita datur virtus ad faciendum quid quid manifestam, non inuoluit repugnantiam. Non repugnat ex parte substantiæ, cum accidentia sint extra ipsius substantiæ conceptum vti docet Philosophia. Neque ex parte accidentium, quia non est de illorum essentia actualis inhærentia, cum de accidentis ratione sit adesse, & abesse præter subiecti corruptionem, sed aptitudinalis dumtaxat. Tum quia, ita se habet actualis inhærentia respectu subiecti, sicut se habet substantia respectu substantiæ, est enim inhærentia modus accidentis proprius, sicut substantia est modus proprius substantiæ, sed Deus face-

re potest, (imo de facto id facit in Christi Domini humanitate) quod substantia sine propria maneat subsistentia, ergò etiam facere potest, quod accidentia, sine propria maneant inhærentia. Soluuntur argumenta in contrarium,

Primum argumentum est, quia Deus causam materiale supplere non potest: sed subiectum est causa materialis accidentium; ergò Deus subiecti vicem, respectu accidentium, supplere non potest. Maior est certa, cum causa materialis intrinsecam inuolunt repugnantiam. Minor probatur, nam sustentatio accidentiũ est effectus substantiæ, in genere causæ materialis.

Respondetur distinguendo Maiorem: Deus non potest supplere causam materiale componentem, & conceditur; sustentantem, & negatur. Ad probationem dico, genus causæ materialis componentis, intrinsecam, & indispensabilem inuoluere imperfectionem, secus genus causæ materialis sustentantis.

Secundum argumentum est; non minus pertinet ad rationem



tionem accidentis inhærentia, quam substantia ad rationem substantiæ; sed substantia aliqua, est adeo de ratione substantiæ, vt sine aliqua esse nequeat, ergò etiam inhærentia est adeo de ratione accidentis, vt licet esse queat sine hac, vel illa, non potest tamen esse sine omni. Maior constat ex dictis in 3. ratione Minor probatur quia implicat per diuinam potentiam, substantiam non subsistere, sed ad modum accidentis inhærenti; ergò etiam ( per quod probata manet Consequentia ) implicabit accidens in rerum esse natura, & non per inhærentiam, sed per substantiam, si enim substantia inhærenti nequit, neque accidens subsistere.

Respondetur negando Maiorem. Substantia namque non potest esse completè extra causas sine aliqua substantia, est namque substantia modus substantialis, quo substantia ponitur extra causas; at vero, si de accidētū loquamur, potest poni extra causas sine inhærentia, non tamen sine propria substantia. Quod autem substantia inhærenti ne-

queat, & accidens sine inhærentia manere possit, prouenit ex propria vtriusque natura; substantia inhærenti nequit, quia cum semper habere debeat aliquam substantiam, per quam subsistat, implicat quod habeat modum repugnantem, quo sit in alio. At vero accidens cum de necessitate inhærenti non debeat, cum hoc sit eius essentiæ imperfectio, cum sola substantia propria, contentum erit.

Tertium argumentum, non potest Deus separare materiam ab omni forma, & tamen de essentia materiæ non est actualis formæ receptio; sed solum aptitudinalis, ergò neque accidens ab omni subiecto Responderur concedendo Antecedens, & negando consequentiam, magis namque dependet materia à forma, quàm accidens à subiecto, nam materia est pura potentia sine omni actu existentia, & substantia, imo etiam sine omni actu existitatio: ideoque in nulla ponitur specie; at vero accidens in specie ponitur; propriam habet substantiam, & existentiam, vt ex dictis liquet

Sed



Sed hic quæret aliquis, an peracta consecratione Deus se solo separata accidentia conseruet, eadem efficientia, & conuersu, quo illa ante consecrationem conseruabat. Qui dam cum Suarez disput. 18. metaphis. sect. 1. num. 9. quos citat N. Cornexus hac quæst. & art. dub. 1. dicunt, maiore requiri concursum, & efficietiam, quia, inquit, prius Deus conseruabat illa accidentia concursu partiali, modo totali, prius namque accidentium conseruatio à duplici erat causa, nempe à Deo, & à substantia. post consecrationem cessat substantiæ influxus; ergò augeri debet influxus Dei.

Sed hanc P. Suarez sententiam, bene impugnat M. Cornexus, quia facit Deum causam partialem partialitate causæ, facit Deum concurrere ad conseruationem accidentium, concursu insufficienti, Imo ex illa sententia vnū grande sequeretur absurdum, quod nimirum posset dari casus, quo creatura in natura rerum conseruaretur, sine influxu primæ causæ, quod

discurrendo ostenditur. Si semel concursus Dei est partialis, & insufficientis potest paulatim taliter diminui; & ex alia parte, causæ secundæ influxus adeo augeri, quod illo deficiente, iste sufficiet; quoties enim duæ causæ concurrunt ad aliquem effectum, vt partiales, alterutris aucta virtute, vsque ad gradum vtriusque simul; ab illa sola effectus causari poterit, vt patet de j. duobus portantibus lignum.

Hac ergò relicta sententia, dico cum eodem Cornexo, Deum eodem concursu, quo simul cum substantia, accidentia, ante consecrationem conseruabat, conseruare illa se solo, consecratione peracta, solum est differentia, quod ante consecrationem admittebat influxum causæ secundæ, non ex necessitate, sed ex benignitate, vnde concursus Dei ante consecrationem erat totalis totalitate sufficientiæ, quia erat sufficientissimus ad se solo, illa accidentia conseruanda, non tamen totalitate causæ, quia non ex necessitate, sed ex benignitate alterius



causæ concursus admittebat. Post consecrationem vero, est totalis, & totalitate sufficientiæ, & totalitate causæ, cum nullam sibi associet causam, ad talem conseruationem ponendam.

Sed dices primo, accidens extra, vel sine proprio subiecto existere, est supernaturaliter; atqui hoc esset falsum, si ad hoc ei sufficeret idem omnino concursus Diuinus, qui sufficit, vt in subiecto existat; ergò hic non sufficit. Maior per se patet; nullo enim modo dici potest accidens naturaliter existere posse, sine subiecto. Minor probatur; nam si semel Deus conseruaret accidens extra subiectum, eodem prorsus concursu, ac prius, accidens conseruaretur naturaliter, cum prior concursus naturalis esset; ergò &c.

Respondetur pro modo, nã plena huius argumenti solutio ex dicendis infra quæst. 3. dependet: pro ergò nunc concedo maiorem, & nego minorem; nam non dicitur accidens supernaturaliter existere extra subiectum, quia concursus quo à Deo conserua-

tur sit maior, quam prius, hoc enim falsum est, vt patet ex dictis, imo hoc idem dicere tenentur illi, contra quos disputamus; nam concursus maioritas, non facit ipsum esse supernaturalem. Neque dicitur accidens conseruari supernaturaliter extra subiectum ex eo quod aliquid de nouo recipiat, hoc enim falsum est, vt quæstione citata, cum D. Thoma, Cornexo, Nugno, & Thomis. dicemus; sed quia de lege ordinata perebat concursus proprii subiecti, quod sibi Deus non ex necessitate, sed ex dignatione sibi associauit; vnde licet concursus, prius esset totalis absolutè, & simpliciter, non tamen totalitate causæ; quia illius societatem admittebat, qua societate connaturali, priuatur accidens, per separationem à proprio subiecto. Dicitur etiam Deus conseruare accidens extra subiectum supernaturaliter, quia propria attenda naturali lege, qua admittit subiectum ad conseruandam accidens, cessante hac causa secunda, conseruante connaturaliter, & prima à propria cessare



fare deberet influxu, & sic accidentis destructio, sequi deberet.

Dices secundo. Accidens in suo conseruari à proprio pendet subiecto, alias esset forma per se subsistens, vt anima rationalis; ergò concursus Diuinus, qui præcisè sufficit, vt in eo conseruetur, non sufficit vt conseruetur extra. Probatur consequentia, quia ex eo quod res aliqua in suo produci, à causa secunda dependet, colligunt omnes, concursus Dei vniuersalem, per se solum non sufficere, ad eius productionem; alioqui Deus cum solo concursu vniuersali omnes effectus causarum, secundarum, se solo producere posset; ergò ex eo quod accidens à proprio pendet subiecto in conseruari, benè colligetur, non sufficere eundem concursus ad conseruandum illud extra subiectum, qui sufficiebat ad conseruandum illud simul cum subiecto.

Respondetur concedendo antecedens, loquendo connaturaliter, imo etiam absolute loquendo de dependentia aptitudinali. Deinde negatur consequentia. Ad probationem dico eundem Dei concursus, qui est sufficiens ad producendos effectus causarum secundarum simul cum illis, esse etiam sufficientem ad producendos illos se solo, quod tenere debent omnes illi, qui contra auctores scientiæ mediæ, tuenter Deum non concurrere partiali concursu, sed totali, in ordine ad actus supernaturales, cum erim sit eadem in omnibus ratio, idè est semper asserendum: & sic Deus nec in ordine naturali, nec in ordine supernaturali potest esse causa partialis, sed semper totalis, licet sibi associet in exercitio alterius causæ exercitium. Videantur ea quæ diximus de gratia disput. 8. quæst. 6. vbi plura ad hoc propositum.



## QVAESTIO II.

*An in hoc Sacramento omnia accidentia maneant sine subiecto, an sola  
quantitas.*

**H**anc difficultatem pertractat Angelicus Doctor art. 1. huius quæst. 77. ubi resoluit solam quantitatem, absolutè manere sine subiecto, reliqua vera accidentia panis, & vini, ipsi quantitati inhærere. Procedit Angelica resolutio de facto, quia de absoluta Dei potentia admittunt omnes, omnia accidentia panis, & vini sine vilo subiecto esse posse, sed vt magis resolutio posita elucescat, ponemus, vt moris est, aliorum sententiam, vt nostram postea stabiliamus.

Prima ergò sententia circa hanc rem. est ochami lib. de Sacramento alteris cap. 62. & 63. Gab. lect. 44. Maioris in 4. dist. 12. quæst. 2. Aliacen. quæst. 6. art. 3. dicentium omnia accidentia panis, & vini, post consecrationem existere,

absquẽ subiecto; quia existunt, in rerum natura non esse aliquam vnã, & peculiarem quantitatem, sed tam substantiam materialem, quã qualitates, quam reliqua accidentia materialia, propriam habere quantitatem, & extensionem ab ipsis indistinctam; ad hanc sententiam reuocatur sententia Marsilii 4. q. 9. art. 2. & aliorum qui licet admittant quantitatem ab aliis accidentibus realiter distingui volunt tamen, omnia sine subiecto manere,

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione sola quantitas, consecratione peracta, sine subiecto manet, cetera vero ipsi quantitati adhærescunt. Hanc concl. docent omnes scholastici in 4. dist. 11 & Theologi cum D. Thoma hac quæst. 77. art. 2. Et quia  
Conin-



Coninchus hic, art. 2. licet D. Thomæ sententiam sequatur, dicit rationes D. Thomæ procedere ex valde dubiis principiis, & quod communiter ab omnibus negentur, placet D. Thomæ rationes in medium afferre.

Prima D. Thomæ ratio est. *Post consecrationem apparet aliquid quantum, esse ibi coloratum, & aliis accidentibus affectum, nec in talibus sensus decipitur: quæ ratio sic potest extendi. sensus visus post consecrationem cognoscit coloratum esse quantum; (& idem de aliis sensibus respectu suorum obiectorum, est dicendum) ergo color debet in quantitate subiectari. Antecedens à nullo negabitur. Consequentiâ probatur; non potest sensus percipere quantitatem esse colore affectam, vel colorem quantitatem afficere, nisi sit aliqua unio inter illa; sed de facto visus percipit quantitatem, quæ est sensibile commune, esse colore affectam, vel colorem quantitatem afficere; ergo inter illa debet aliqua unio intercedere. Maior nota videtur, nam si semel nulla*

esset unio inter illa dum sacerdos, quantitatem moueret color ad motum illius non moueretur, cum essent sicut arena sine calce, vel sicut plures virgæ sine vinculo; unde saluari non possent, quæ de hoc Sacramento docet Tridentinum sess. 13. can. 6. 7. & 8. quod circumferatur, quod manducetur, nisi enim accidentia in quantitate essent colligata, non possent circumferri, deferrî, deglutiri ad motum quantitatis. Minor nota est sensibus, ubi autem est sensuum notitia, & aliunde nulla intercedit deceptio, notitia maior non est inquirenda,

Sed dices primò sensum percipere quantitatem colore affectum, quia vnaquæque res, suam habet quantitatem, & extensionem. Sed contra, quia imprimis non soluitur argumentum factum; si enim omnia illa accidentia, in vna non colligantur quantitate; non possent ad vnus delationem, alia deferrî; sed essent sicut virgæ solutæ, contra Tridentini definitiones. Secundo, quia accidentia specia diuersa vniri non possunt, nisi in  
sub-



subiecto communi; si autem tot darentur quãtitates, quot accidentia, nullum daretur subiectum commune; ergò vni ri non possent. Videmus enim hostiam consecratam, ex calida, fieri frigidam, & e contra, quod sine subiecto communi fieri non potest. Tertio quia sequeretur calorẽ de nouo positum in hostia, vel frigus, de nouo creari, vbi enim nullum est commune subiectum, à quo accidentia educantur, necesse est, quod creentur.

Dices secundo dari quidẽ vnã quantitatem; vnumque commune subiectum, omnium accidentium, sed hoc esse substantiam, ita quod, & quãtitas, & omnia alia accidentia in substantia immediate subiectentur, at vero substantia destructa omnia sine subiecto manere, dum vero Sacerdos hostiam mouet, alia accidentia, vel à Deo mouentur, vel certè per consecrationem aliqua virtus attractiua in quantitate producitur, per quam quantitas, alia rapit, & attrahit accidentia.

Nam contra est, quia si Sacerdos solam moueret quan-

titatem, & alia accidentia à Deo mouerentur, solam quantitatem diceretur Sacerdos deglutire, non totum Sacramentum, contra Concilij determinationem, & comunẽ fidelium sensum. Imo neque quantitatem diceretur Sacerdos deglutire, sed solam grauitatem, cum hæc sit causa descensus in stomachum, non quantitas, cum sine grauitate reperiatur, vt patet in aere. Nec potest quantitas trahere alia accidentia per virtutem superadditam, quia cum quãtitas grauitatem non dicat, non posset magis trahere alia accidentia sursum, quam deorsum, & sic adhuc Sacramenti traectio in stomachum, saluari non posset.

Secunda D. Thomæ ratio est; *Prima dispositio materiæ est quantitas dimensiuæ: vnde & Plato posuit primas differentias materiæ magnum, & paruum: & quia primum subiectũ est materia, consequens est, quod omnia alia accidentia referantur ad subiectum, mediante quantitate.* Et quia subtracto subiecto, remanent accidentia secundum esse quod prius habet.



habebant; consequens est, quod omnia accidentia remaneant fundata super quantitatem dimensionem suam.

Quæ ratio sic potest extendi; Quantitas disponit materiam ad aliorum accidentium receptionem; ergò debet esse subiectum quo, omnium illorum; ergò desinente substantia debent reliqua accidentia remanere secundum esse, quod prius habebant: hæc ultima; consequentia colligitur ex priori; si enim semel verum est quantitatem esse immediatum reliquorum accidentium subiectum, seù esse subiectum quo, omnium illorum, manifestè sequitur, desinente substantia, quæ quantitatem sustentabat; & quantitate aliunde sustentata, remanere debere accidentia, quæ eidem quantitati prius inhærebant. Prima consequentia ex antecedenti sequitur; nam id quo materia prima, reliqua recipit accidentia; seù id per quod materia prima disponitur ad reliqua recipienda accidentia, seù id per quod materia fit subiectum, quod, reliquorum accidentium, non

potest non esse subiectum quo, illorum; sed quantitas est huiusmodi, ut ratio D. Thomæ, & Platonis euincit auctoritas; ergò &c. Cum enim accidentia materialia dimensionem, & extensionem requirant, & hanc habeat materia à quantitate, sequitur materiam primam disponi ad reliqua recipienda accidentia, per quantitatem; per quæ manet probatum antecedens.

Tertia D. Thomæ ratio, quia cum subiectum sit principium indiuiduationis accidentium, oportet id quod ponitur aliquorum accidentium subiectum, esse aliquo modo indiuiduationis principium. Quæ ratio sic potest extendi. Accidentia indiuiduantur à subiecto; ergò id quod habet rationem principij indiuiduationis debet etiam habere rationem subiecti; sed quantitas habet rationem principij indiuiduationis, reliquorum accidentium; ergò etiam habebit rationem subiecti respectu illorum. Argumentum clarum est, & qui de eo plura voluerit consulat nostros Salm. de principio indiuiduationis, vbi Ari-



stotelis, & D. Thomæ mentem profundè, & dilucidè, vt solent; explicant; ex quibus patet, has D. Thomæ rationes non negari communiter, sed ab omnibus ferè amplecti vt ex se liquet.

Addo quarto, rationem, ex huius articuli doctrina, desumptam; Nam peracta consecratione debet dari aliquod commune subiectum ceterorum accidentium; hoc aliud esse nequit nisi quantitas; ergò quantitas post consecrationem est aliorum accidentium subiectum. Minor est D. Thomæ ad secundum vbi dicit: *Alia accidentia etiam secundum quod erant in substantia panis, indiuiduabantur media quantitate dimensua; sicut dictum est. Et ideo potius quantitas dimensua est subiectum aliorum accidentium, quam e contra.* Maior probatur; Primò, quia si non daretur peracta cōsecratione aliquod commune subiectum, nullum agens naturale posset in speciebus Sacramentalibus qualitatem aliquam producere, vt bigratia calorem, vel frigus; hoc est contra experien-

tiam; ergò tale commune subiectum dari debet. Minor probatur, quia nullum agens naturale potest producere accidens, per se existens, extra subiectum; ergò &c. Secundo sequeretur, quod in hostia consecrata intendi posset ab agente naturali calor, absque eo quod frigus remitteretur, hoc dici nequit, alioqui posset contraria esse in hostia, naturaliter in gradibus intensis; ergò dari debet commune subiectum. Maior probatur, nam in tantum intenso calore remittitur frigus, in quantum vtrunque habet commune subiectum, à quo alterum expellatur, per alterius intensiorem; nam si caloris intensio, in solo calore reciperetur, & frigoris, in frigore; non posset nec esse, nec intelligi vnus decrementum, ex incremento alterius; ergò &c. Soluuntur argumenta.

Primum argumentum; sola substantia est proprium accidentium subiectum; ergò non potest esse quantitas. Antecedens ostenditur, nam illius est esse aliorum subiectum, cuius esse, est esse per se; sed  
 solius



lius substantiæ est, esse per se, & accidentis est in esse; ergò solius substantiæ est esse aliorum subiectum. Nec valet dicere solius substantiæ esse, esse subiectum *quod*, & remotum accidentium, non *quo*, & proximum. Nam hinc saltem sequeretur, quantitatem per acta consecratione, posse quidem esse subiectum *quo*, non *quod*; quod enim est substantiæ proprium, accidenti conuenire non potest.

Respondetur distinguendo antecedens, sola substantia est subiectum primum accidentium, & conceditur; hoc enim nec quantitati, nec ulli accidentium cōuenire potest: sola substantia est subiectum absolutè accidentium, & negatur: quantitas ergo licet naturaliter sit solum subiectum *quo* accidentium, potest tamē Diuina virtute esse subiectum etiam *quod*, non tamen primum, cum hoc sit substantiæ proprium, sed, vt ita dicam, secundum.

Secundum argumentum, accidentis, vt loquitur Philosophus 4. metaph. tex. 14. non est accidens, idest accidens,

non accidit alteri, seù non inhaeret alteri; ergo quantitas non potest esse aliorum subiectum accidentium.

Respondetur accidentis nō esse accidens vt subiectū *quod* primo, & conceditur, vt subiectum *quo*, & negatur, imo etiam vt subiectū *quod*; quod non cognouit Aristoteles.

Tertium Argumentum, illud est accidentium subiectū, à quo ipsa accidentia educuntur; sed accidentia panis, & vini non educuntur ex quantitate panis, & vini, sed ex substantia; ergo non quantitas, sed substantia, potest esse accidentium subiectum; & si substantia non adsit, quantitas esse non poterit; cum non possint accidentia de subiecto in subiectum transire: Respondetur accidentia materialia non ex nuda substantia educi, sed ex substantia media quantitate; propterea supra, cum D. Thoma, dicebamus, quantitatem, materiam disponere, ad reliquorum accidentium receptionem.

Sed quæres primo, an sit nouum miraculum, quod alia accidentia maneant in quan-



titate, ipsa quantitate à sub-  
 stantia separata, ita quod  
 quantitas separata sine nouo  
 miraculo, alia sustentet ac-  
 cidentia. Respondeo cum  
 Angelico Magistro 4. dist. 12.  
 quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 3.  
 Scoto quæst. 6. Bonau. quæst.  
 3. art. 2. Cornexo, Nugno,  
 & alijs affirmatiuè, ita quod  
 solum miraculum fiat in sepa-  
 ratione quantitatis, & in con-  
 seruatione illius, sic separata;  
 ceterum alia accidentia natu-  
 raliter manent ipsi quantitati  
 inhærentia, & realiter ab ipsa  
 substantia separata. Ratio est,  
 quia accidentia ante separa-  
 tionem quantitati inhærebāt,  
 vt dictum est; ergò vt su-  
 stentarentur ab ea, solum in-  
 digebant quod per se subsi-  
 steret; atqui hoc habet quan-  
 titas per consecrationem; er-  
 go sine nouo miraculo susten-  
 tantur, posito namque prima-  
 rio effectu, secundarij per se  
 sequuntur, vt claret in Chri-  
 sti Domini humanitate, à qua  
 supposita supernaturali subsi-

stentia, secundarij eiusdem  
 humanitatis effectus suapte  
 pullulant natura. Similiter  
 potentia visiva, vel sanitate  
 miraculosè restituta, alii natu-  
 rales consequuntur effec-  
 tus.

Quæres secundo, an in alijs  
 accidentibus à quantitate, per  
 consecrationem, aliqua fiat  
 mutatio. Et respondeo cum  
 N: Cornexo negatiuè: non  
 enim modum aliquem inhæ-  
 rentiæ acquirunt, sed antiquū  
 conseruant; licet enim prius  
 inhærent substantiæ, & mo-  
 do non inhæreant; illa tamen  
 inhærentia non erat immedia-  
 ta, sed mediata dumtaxat, quæ  
 nullam habet inducere in ac-  
 cidentibus mutationem, sed  
 in sola quantitate, quæ im-  
 mediatè ipsi inhærebat sub-  
 stantiæ. Sicut, si Christi Do-  
 mini humanitas, Verbi unio-  
 nem amitteret, propria pullu-  
 lata subsistentia, eius acciden-  
 tia intrinsecè non mutarentur  
 sed solum extrinsecè, ita &  
 nostro in casu.



QVAESTIO III.

*Per quid quantitas in Eucharistia  
existat.*

**S**uppono non posse Eucharisticam quantitatem existere, per modum aliquem substantialiæ, similem illi, per quem substantia ipsa existit, & subsistit; modus namque rei, ad speciem eiusdem rei reuocari debet; præsertim cum substantia, & modus illius; accidens, & eius modus, per modum actus, & potentiæ comparentur, quæ in eodem genere esse debent. Tum quia implicat dari modum, sine re cuius est modus, cum modus à re cuius est modus, solum modaliter discriminetur. Difficultas ergò præsens non procedit de modo substantiali, sed de accidentali; & quaeritur, an quantitas, consecratione per acta, existat per aliquem modum accidentalem superadditum, quem vocant modum per se subsistendi; an vero Deus conseruet illam per specialem quandam actio-

nem, & manutenentiam extrinsecam, nihil intrinsecè ponendo in ea.

Prima sententia est, quantitatem consecratione peracta existere per modum perfecti accidentalem superadditum. Ita Vasquez. disp. 194. cap. 2. Suarez disp. 56. sect. 2. Valentia disput. 6. quæst. 5. Coninchus art. 1. huius quæst. 77. dub. 2. Lugo disput. 10. num. 19. & alii scribentes ex eadem societate, quorum fundamenta postea adducentur, & soluentur.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Quantitas panis, & vini peracta consecratione, existit per specialem Dei actionem, & mutationem extrinsecam, quæ miraculosè à subiecto separata conseruatur, nihil intrinsecum in ea positum.

Pro quo nota, quod sicut substantia habet propriam existen-



existentiam, per quam extra causas ponitur; ita & accidēs, aliter tamen, & aliter; nam substantiæ existētia facit substantiam extra causas existere, sine ordine, vel dependentia ab aliquo, non solum actu ali, verum etiam aptitudinali. At vero existentia accidentis, facit illud extra causas existere, sed cum dependentia à substantia; quæ dependentia alia est aptitudinalis; & hæc est accidenti essentialis, & in supplebilis, etiam per diuinam potentiam: alia est actualis, accidentalis, & supplebilis diuina virtute; & sic, quod accidens actu à subiecto dependeat imperfectio est illius; dū ergò Deus facit quantitatem per se existere, non producit in illa modum aliquem perfecti utis, sed tollit illam imperfectiōnem, quam eius habet existentia; & facit, quod per eandem existentiam imperfectam per quam prius existerat substantiæ vnica, sine tali existat vnione, à qua solum connaturaliter dependebat, non in ordine ad diuinam omnipotentiam: cum enim accidentis existentia, sit vera, & realis, li-

cet imperfecta, potest propriā actuare essentiam, & facere quod sit extra causas per solam manutentionem diuinam, absque alterius entitatis additione. Hęc conclusio sic explicata est D. Thomæ art. 1. huius quæst. in corpore, & in solutione ad secundum vbi sic loquitur: *In hoc Sacramento non datur accidentibus quod ex vi sua essentia non sint in subiecto, sed ex diuina virtute sustentante.* Vnde D. Thomam sequuntur eius discipuli Sotus quem refert, & sequitur Nugnus hic art. 1. Ledesma 1. p. 4. quæst. 18. art. 2. N. Cornexius dub. 5. idem tenet Doctor subtilis 4. dist. 12. quæst. 1: ad secundum; & quæst. 6. S. ad argumentum Belarm. lib. 3. de Euchar. cap. 24. Hurtado disput. 7. diffic. 2. & alii plures.

Probatum primò; Quantitas panis, & vini, consecratione peracta; sufficienter existere potest per propriam existentiam, diuina virtute, absque superadditione modi perfectitatis; ergò talis modus frustra superadditur; Consequentia constat, non enim sunt multiplicanda entia, nec  
mira-



miracula; sine necessitate, & per consequens, si semel quantitas, sine alicuius modi super additione, potest a suo separata subiecto existere, frustra talis modus superadditur. Antecedens ostenditur, nam per absolutam Dei virtutem, potest quantitas, sicut, & quod libet alium accidens, in rerum natura existere absque modo inhesionis; quo proprio inhaereat subiecto, & absque modo perfectatis superaddito, cum in hoc nulla inuoluatur repugnantia, nec contradictio; ergo &c. Nam quantitas, prior est modo inhesionis, & perfectatis ex vna parte, & ex altera isti modi non opponuntur contradictorie, cum ambo sint positivi, & subinde inter illos medium dari possit, vtriusque nimirum negatio. Vnde quantitas Eucharistica per consecrationem non acquirit aliquid intrinsecum, per quod existat, vel subsistat; nec nouam acquirit erga alia accidentia causalitatem, sed inhaerentiam amittit, quæ est modus positivus illius, & sic mutatur realiter, & aliter se habet quam prius, non mutatione positiva

sed privatiua.

Probatur secundo, iste modus perfectatis est impossibilis; ergo quantitas Eucharistica per illum existere nequit. Antecedens ostenditur, nam si talis modus perfectatis daretur tribueret esse per se, & non tribueret; hoc est impossibile; ergo. Quod tribueret esse per se, volunt aduersarii; quod non tribueret ostenditur. Nam iste modus, ut volunt eius auctores non est substantialis, sed accidentalis, ergo non potest tribuere esse per se. Hæc consequentia ostenditur; nam id de cuius essentia est esse in alio, non potest alteri tribuere esse per se, sed de essentia istius modi, cum sit accidens, est esse in alio; ergo non potest tribuere esse per se, quæ ratio est adeo efficax, quod si rectè penetratur, facili negotio, solutionibus quæ adhiberi possunt satisfieri poterit. ad argumenta.

Primum argumentum desumitur ex auctoritate Sancti Doctoris ad 4. articuli primi, ubi dicit: *Post consecrationem ipsa accidentia quæ remanent, habent esse; unde sunt composita*



ra ex esse, & quod est; Sed hæc compositio non est ex esse, & essentia; quia hanc habebant etiam ante consecrationem; ergò debet esse compositio ex essentia, & substantia nouiter superaddita.

Respondetur D. Thomam esse perpetuum in hoc, quod omne ens creatum componatur ex essentia, & esse, & sic etiam accidentia talem habent compositionem, siue sint unita substantiæ, siue ab ipsa separata, solum est differentia, quod quandò accidentia sunt à substantia separata, habent illam compositionem per modum eius quod est, seu quodammodo ad modum substantiæ, secus quando cum illa copulantur.

Secundum argumentum. Posito isto modo, quantitas sine miraculi continuatione conseruatur; illo non posito miraculum continuatur; semper namque Dei manutenentia continuatur, quandiu quantitas conseruatur; ergò debet modus iste poni.

Respondetur falsum esse, quantitatem sine miraculi continuatione conseruari, illo mo-

do posito; nam cum ille modus non possit non esse supernaturalis quoad substantiam, & quantitati omnino indebitus sequitur, contineri miraculū, quo primò, modus ille positus fuit.

Tertium argumentum. Quantitas ante consecrationem erat solum subiectum quo, ceterorum accidentium, & consecratione peracta, fit subiectum quod; ergo per aliquid superadditum; implicat namque, aliquid transire à ratione subiecti quo, ad rationem subiecti quod, sine mutatione intrinseca. Antecedens patet. Consequentia ostenditur, quia quantitas aliter se habet post consecrationem, ac antea, perfectiori namque modo se habet, ac prius, cum post, magis accedat ad substantiam, quam antea.

Respondetur concedendo Antecedens, & negando consequentiam: quoniam quantitas ut ex dictis liquet non fit subiectum quo per additionem nouæ entitatis, vel modi, sed per subtractionē antiquæ imperfectionis; per quæ patet ad probationem, quomodo



do aliter se habeat post consecrationem, & aëta, & quod modo nobiliori modo conseruetur post, ac antea conseruabatur; cum enim antiqua priuetur imperfectione, non potest non mutari, priuatiuè; nec non nobiliori modo se habere.

Sed quæret aliquis, an accidentia separata verbigratia quantitas, quæ in Sacramento ab omni subiecto est separata, appetat naturaliter suo inhærere subiecto. In primis certum est, quantitatem Eucharisticam in statu separationis, nullam pati violentiam, quidquid Vasquez disp. 144. cap. 28, Hurtado disput. 7. diffic. 2. dicant, vt enim docet D. Thomas communiter receptus. 3. contra Gent. cap. 100. & p. p. quæst. 105. art. 6. ad 1. & alibi frequenter, & fusè ostendunt N. Sa. m. tract. 10. de Volunt. disput. 5. dub. 2. Deus nulli creaturæ violentiam infert. Cum omnis creatura maximam habeat inclinationem ad faciendum quidquid Deus voluerit. Et sic de solo innato appeti-

tu, præsens procedit, interrogatio. Ad quam videtur probabiliter respondendum, quantitatem separatam nullum conseruare actualem appetitum ad antiquam inhærentiam, & ratio videtur esse, quia vnumquodque inclinatur ad statum nobiliorem, & declinat ab statu ignobiliori; atqui quantitas separata statum habet nobiliorem, se ipsa inhærente; ideo que diximus Deum auferendo inhærentiam à quantitate auferre illius imperfectionem ergò dum est in statu nobiliori; ignobiliorem non appetit. Confirmari hoc potest exemplo Christi Domini humanitatis, quæ cum per Verbi Diuini subsistentiam, ad altiorum rapiatur ordinem, antiquam non appetit subsistentiam; cum maneat sufficienter eius appetitus expletus, & satisfiat per illam superiorem, & nobiliorem. Et licet quantitas in se nihil recipiat, seù non recipiat intrinsecam aliquam, & positiuam perfectionem, perficitur tamen priuatiuè, sum eius auferitur intrinseca imperfectio.



## QVAESTIO I V.

*Quas actiones exercere valeant species consecrata.*

**A**ctiones aliæ sunt naturales, aliæ intentionales; actiones intentionales ille sunt, quæ mediis speciebus intentionalibus sunt sensuum immutatiuæ; naturales, quæ & physicæ vocantur, sunt in duplici differentia, aliæ nãque sunt principales, & aliæ instrumentales; principales, & ipsorum accidentium propriæ, sunt calefacere, frigefacere, humectare &c. instrumentales, & quæ ab ipsis accidentibus attinguntur, vt sunt substantiæ virtutes, sunt aliam substantiam producere, vel in se convertere, seu generare, & corrumpere &c. Et de his omnibus propriæ erunt conclusiones.

Prima conclusio. Species Sacramentales possunt eas omnes actiones intentionales producere quas antea. Vnde eodem modo possunt immutare sensus, sicut antea

immutare poterant. Et sic nisi sensus corrigatur, & subinde intellectus, iudicabit res ita se habere post consecrationem, ac antea. De hoc nulla est difficultas inter Scribentes.

Secunda conclusio. Species Sacramentales easdem possunt actiones principales, & sibi proprias exercere, ac antea. In hac etiam conclusione conueniunt omnes; & ratio est, quia accidentia, peracta consecratione, manent sicut antea; in qualitatibus nãque adiuuis nulla fit mutatio, vt patet ex dictis duabus præcedentibus quæstionibus, sed in sola quantitate, quæ de se non est operatiua.

Contra hanc conclusionem est vnica instantia, quia actiones, vt est commune Philosophorum pronunciatum, sunt suppositorum; sed accidentia, consecratione peracta, non sunt suppositum; ergo consecra-



cratione peracta agere non possunt. Minor patet, nam ubi primum non est agendi principium, ibi non est suppositum; suppositum namque dicit naturam integram subsistentem: quod in accidentibus separatis non reperitur. Vnde communiter dicitur, nomen suppositi esse nomen substantiæ completæ subsistentis.

Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem, nam licet accidentia separata non sint suppositum absolutè, & simpliciter tale, hoc enim est solum substantia completa subsistens; tamen sunt suppositum accidentale, ubi differt quod est, & quo est; ut enim pluries inuimus; accidentia separata, & propriam habent existentiam, & subsistentiam, & etiam inhaerentiam, quantitate excepta, ut cum D. Thoma quæstione præcedenti docuimus. Adde quod quantitas vi transubstantiationis, aliquo modo substantiæ vicem gerit.

Tertia conclusio. Species Sacramentales possunt easdè actiones instrumentales exercere, quas poterant antea, un-

de species vini possunt aquam corrumpere, & in vinum conuertere in virtute substantiæ, ac antea. Hanc conclusionem docent omnes Thomistæ, & illam probat elegantissimè D. Thomas art. 3. præsentis quæstionis; & quia hæc ratio confirmat etiam duas præcedentes conclusiones, placet illam per extensum hic apponere, inquit ergò D. Thomas: *Quia unumquodque agit in quantum est ens actu, consequens est, quod unumquodque sicut se habet ad esse, ita se habeat ad agere. Quia igitur secundum prædicta, speciebus Sacramentalibus datum est Diuina virtute, ut remaneant in suo esse quod habebant, substantia panis, & vini existente, consequens est, quod etiam remaneant in suo agere: & ideo omnem actionem quam poterant agere substantia panis, & vini existente, possunt etiam agere substantia panis, vini transeunte in Corpus & Sanguinem Christi. Cum ergò qualitates vini ante consecrationem possent vinum ex aqua generare ut instrumenta substantiæ vini; id ipsum poterunt facere,*



consecratione peracta ; nam semen etiam à propria decum substantia, in eiusdem substantiæ virtute habet generare . Nec argumenta partis oppositæ quam defendit Sco-

tus in 4. dist. 12. quæst. 3. S Dico ergò. Durandus ibidem quæst. 2. num. 7. & alii, videtur aliquid euincere, ideo sisto .

## QVAESTIO V.

*Quas actiones recipere possint species consecrata*

**A**lij solent hanc quæstionem sub aliis proponere terminis, nimirum quid possint pati species consecratæ, sed in idem reddit. Et licet præsentis reolutio quæstionis, ex dictis pro præcedenti, videatur haberi, nam si semel accidentia per acta consecratione possunt totum id agere quod prius, poterunt etiam pati illud ipsum; & sic poterunt intendi, & remitti ut prius, quantitas cõiidi poterit, ut prius; localiter moueri, ut prius; poterunt qualitates, ut prius corrumpi; aliquid ex ipsis generari poterit ut prius; poterit aliquid cum illis misce-

ri ut prius &c. tamen quia, aliqua ex hiis difficile explicantur, ad examen reuocantur.

Et à quantitate incipiendo est prima difficultas. Vtrum quantitas virtute agentis naturalis corrumpi possit; Prima sententia est negatiua, quã defēdūt Scotus, & Durandus locis ad finē præcedētis quæstionis citatis Bernar. 4. contra Gent. cap. 66. Suarez hoc art. 3. & alii, ex diuersis tamen principiis; nam Durandus, & Scotus ex eo, quia cum esse habeat supernaturale à solo Deo cõrumpi potest; & sic quando corrumpitur, à Deo corrumpitur.



tur. Ferrara, quia putat in his, quæ de nouo generantur ex speciebus consecratis; quantitatem rationem habere materiæ, vult remanere cum re ipsa, de nouo genita. Suarez vero vult quantitatem non corrumpi quia putat quantitatem esse in generabilem, & incorruptibilem. Sicut materia prima, cuius quantitatis est coeua.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Quantitas Eucharistica, virtute agentis naturalis corrumpi potest. Hæc est expressa D. Thomæ sententia art. 4. vbi habet corruptio est motus ex esse in non esse. Dicitur est autem supra, quod species Sacramentales retinent idem esse, quod prius habebant, substantia panis & vini existente, & ideo sicut esse horum accidentium poterat corrumpi substantia panis, & vini existente: ita etiam potest corrumpi illa substantia abeunte, & hoc dupliciter vno modo per se, alio modo per accidens. Per se quidem, sicut per alterationem qualitatum, & augmentum, vel diminutionem quantitatis. Per accidens per

corruptionem subiecti, & hoc modo possunt corrumpi etiam post consecrationem. Quamuis enim subiectum non remaneat, tamen esse, quod habebant huiusmodi accidentia in subiecto, & huiusmodi esse, potest corrumpi contrario agente &c. Vnde D. Thomam sequuntur omnes eius discipuli Ferrara excepto, vt testatur N. Cornexus hic dubio 1. Videatur Soto dist. 10. quæst. 2. ar. 4. Nugnus hic. Valentia, & alii.

Probatum primo conclusio ratione desumpta ex citato D. Thomæ testimonio. Nam accidentia post consecrationem retinent antiquum esse, & suis relinquuntur naturis, ac si propriis vnita essent subiectis; sed si propriis essent vnita subiectis, corrumpi possent ab agentibus naturalibus; ergo etiam separata; vnde videmus quod eodem modo comburitur species post consecrationem, ac ante.

Probatum secundo alia eiusdem Sancti doctoris ratione in hoc eodem articulo in corporis medio, quantitas corrumpi potest per additionem, vel diuisionem, sed quantitas



Eucharistica potest additionem, & diuisionem recipere ergò corrumpi; Maiorem probat Angelicus ex Philosopho 3. Metaph. vbi dicitur, quod per diuisionem vna dimensio corrumpitur, & fiunt duæ; & per additionem ex duabus fiat vna. Minor nota est ex Tridentino, definiente Sacramentum posse diuidi, & quod sub qualibet diuisionis particula, totum Christi Domini Corpus, & Sanguis perseueret.

Dices cum Scoto, & Durando, quantitatem consecratam re vera diuidi, sicut, & corrumpi, non tamen sicut ante consecrationem. Nam ante consecrationem naturaliter corrumpi poterat; post consecrationem vero à Solo Deo corrumpitur, per sui concursus subtractionem, non ab agente naturali, cum huius actio non tendat per se, ad quantitatis, sed ad substantiæ corruptionem.

Nam contra est. Primo quia sine necessitate ad miraculū recurritur. Secundò quia, vt infra dicetur, quando species corrumpuntur virtute

agentis naturalis, noua forma generatur, ergò quantitas, eiusdem agentis naturalis virtute, corrumpi debet. Consequentia probatur; nam vbi generatio est naturalis, etiam corruptio naturalis esse debet.

dices cum Suarez disp. 57. sect. 2. quantitatem esse ingenerabilem, & incorruptibilem cum sit materiæ cœua; vnde cum sola materia concreari potest, & coannihilari; vnde etiam si alteratio fiat vsque ad corruptionem panis; quantitas per alterationem non corrumpetur, sicuti neque materia prima si adesset.

Nam contra est, quia nulum accidens subiectatur immediatè in materia prima actus namque secundum quid, nimirum accidens, supponit actum simpliciter, nempe formam substantialem. Nam cum materia sit pura, & simpliciter potentia substantialis, debet prius, & respicere, recipere actum simpliciter, & substantialem. Sed de hoc re videantur N. Complut. de Generat. disput. 2, quæst. 6. & 7.



Primum argumentum contra stabilitam conclusionem est, quia si quantitas virtute agentis naturalis corrumpi posset consecratione peracta, vel hoc esset per se, vel per accidens, nullo ex istis modis corrumpi potest; ergo &c. Probat minor, quoad utramque partem. Nam per se corrumpi non potest quod contrarium non habet; Atqui quantitas, ut Philosophus in quantitatibus prædicamento docet; contrarium non habet ergo corrumpi per se non potest. Neque corrumpi potest per accidens ad subiecti corruptionem, quia ut per se liquet, consecratione peracta, quantitates nullum habet subiectum; ergo &c.

Respondetur concedendo Maiorem, & negando Minorem. Ad primam probationem dico cum D. Thoma supra rem corrumpi per se, non est solum corrumpi à contrario, sed est corrumpi per actionem ad se directè terminatam & corrumpi per accidens, est corrumpi per actionem per se terminatam ad aliud, sicut cuius corruptione, ratione con-

nexionis, corrumpitur; cum ergo quantitas corrumpi possit, ut dicit D. Thomas per diuisionem, præsertim si fiat in minutissimas partes, & hæc terminetur immediatè ad ipsam quantitatem; sequitur quantitatem, posse immediate ab agente naturali corrumpi. Tum quia, negari non potest, ut notat idem D. Thomas quin quantitas, post consecrationem, non sit subiectum actionis alteratiuæ, sicut est subiectum coloris, & frigoris; ergo debet per talem actionem corrumpi posse, sicut & ipsæ qualitates, quarum quantitas est subiectum. Probat consequentia, quia ideo substantia per se corrumpitur, & generatur, quia est subiectum generationis, & corruptionis, licet ipsi substantiæ nihil sit contrarium; ergo cum quantitas sit subiectum alteratiuæ, per illam corrumpi poterit, etiamsi non habeat contrarium. quis enim dicere audebit, per combustionem quantitatem per se non corrumpi; secundam probationem, dico quod licet quantitas consecratione peracta



acta, non habeat subiectum, dicitur tamen corrumpi ad subiecti corruptionem, quia ita corrumpitur, ac si subiectum ibi adesset, & talis actio tendit ad quantitatis corruptionem, secundum quod subiectum habet respicere.

Secundum argumentum; id quod à solo Deo conseruatur, non potest agentis naturalis virtute corrumpi; sed quartas peracta consecratione, à solo Deo conseruatur; ergò virtute agentis naturalis corrumpi non poterit. Maior patet, virtus namque inferior contra superiorem præualere non potest.

Respondetur distinguendo maiorem, id quod à solo Deo conseruatur absolutè, & simpliciter; & sine respectu ad aliud non potest virtute agentis naturalis corrumpi, & conceditur: quod taliter à Deo solo conseruatur, sed per correspondentiam ad aliud, à quo prius tanquam à causa secunda dependebat, & negatur. Licet ergò quantitas post consecrationem à solo Deo immediatè conseruetur, illè tamen influxus adequatè cor-

respondet influxui, quo prius conseruabat illam, media substantia panis, & vini, & sic, sicut si illa substantia adesset, non obstante Dei concursu quantitas ab agente naturali destrui posset: ita & illa absente.

Secunda difficultas, an ex corruptione specierum consecratarum, possit virtute agentis naturalis, aliqua substantia generari.

Doct̃or Subtilis dist. 12. q. 6. §. Dico, ergò tenet partem negatiuam, quam defendendam suscepit Vasquez in præsenti disput. 195. cap. 3. vbi Durandum, & Gabrielem pro eadem sententia refert.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Ex specierum consecratarum corruptione potest virtute agentis naturalis aliquid generari. Hæc est expressa D. Thomæ sententia, & Discipulorum eius. Videatur Caietanus, Nugnus, Cornexus, & alii expositoris hic art. 4.

Probat illam D. Thomas ratione sequenti: *Cum corruptio vnius sit generatio alterius, ut dicitur in primò de gene-*



generatione, necesse est, quod ex speciebus Sacramentalibus aliquid generetur cum corrumpantur, ut dictum est. Non enim sic corrumpuntur, ut omnino dispereant, quasi in nihilum redigantur, sed manifestè aliquid sensibile eis succedit.

Dices cum oppositum defendentibus, ex Specierum consecratorum corruptione re vera aliquid de nouo produci, cum constet produci vermes, quando corrumpuntur; vel ignem quando comburuntur, vel puluerem quando atteruntur; non tamen hæc noua productio fit virtute agentis naturalis, sed à solo Deo per creationem.

Nam contra est, quia si vermes, verbigratia, qui ex corruptis producuntur, speciebus à solo Deo producerentur, vel producerentur per creationem, vel per educationem, non per creationem neque per educationem; ergò non à solo Deo producuntur. Quod non producantur per creationem patet, quia producuntur ex vi defitionis specierum, quæ non annihilantur, & per consequens quod ex illis fit nõ creabitur. Quod

neque per educationem, patet, quia hæc virtutem naturalis agentis non excedit, & sic si vermium educio fieri potest à Solo Deo, etiam ab agente naturali, fieri poterit.

Sed dices cum Vasquez, educationem formæ fieri ex materia disposita; Atqui in instanti in quo forma vermis producitur, materia prima disposita non supponitur, ergò ab illa vermis forma educi nõ potest. Nam contra est, nam ad hoc vt forma educi dicatur à materia, nõ est necesse, quod ipsa materia prius, vt subiectum dispositionum, præsupponatur, sed sufficit quod dispositiones supponantur in ipsa quantitate, in eodem instanti, in materiam primam, conuertenda. Imo addo quod cum materia sit pura potentia & essentialiter formam respiciat, quantum est de se immediate vniri potest formæ cui libet, nisi ab alia forma impediatur, & si dispositionibus indiget, non est vt illis mediis vnirur formæ, sed vt liberetur, & expediatur à forma præexistenti, & sic cum in nostro casu materia non supponatur



sub alia forma existens, sed in instanti generationis vermibus, verbigratia, per quantitatis conuersionem, ibi ponatur, nullis indigebit dispositionibus ad hoc ut cum forma vermibus uniat. Quod autem magis verbis forma producat, per educationem à tali materia, à disputationibus in quantitate receptis procedit.

Sed dices iterum, non posse esse generationem substantialem, seu educationem sine substantiali definitione, generatio namque unius, est alterius corruptio, & per consequens, ubi non est corruptio substantialis, nec generatio esse poterit: Atqui in presenti non est corruptio substantialis; ergo neque generatio esse poterit. Nam contra est, quia in specierum corruptione, licet materialiter substantialis corruptio non intercedat, formalissimè tamen reperitur; ergo & Antecedens probatur. Nam ibi formalissima corruptio substantialis intercedit, ubi si substantia adesset formalissimè corrumperetur. Atqui hoc intercedit in presenti; ergo &c. licet ergo in acciden-

tium corruptione, substantiae corruptio non intercedat, ut ita dicam, materialiter, intercedit tamen virtualiter; quod est sufficiens ad hoc ut dicatur adesse corruptionem substantialem, quantum est ex parte virtutis corruptivae naturalium agentium.

Tertia difficultas, an instanti quo species consecratae corrumpuntur, quantitas in materiam primam conuertatur, ex qua, noua forma, educatur.

Prima est aliquorum sententia, qui dicunt quantitatem in nouae substantiae generationem habere rationem materiae, ex qua forma substantialis educatur, & eidem uniat, & vermibus compositum fiat. Ita Henricus quodlibet. 4. quaest. 36. & quodlibet. 3. quaest. item 36. Ferrar: 4. contra gent. cap. 66. & alii apud N. Cornexum hic dub. 3.

Sed hæc sententia ut minus philosophica reicitur, cum non possit quantitas esse capax recipiendi formam substantialem, & cum ea faciendi unum per se.

Secun-



Secunda est aliorum sententia, quod in instanti corruptionis specierum, materia prima de nouo creetur, & ab illa agentis naturalis virtute forma vermis, verbigratia educatur. Ita Durandus in 4. dist. 12. quæst. 2. Scotus quæst. 6. Belarm. 3. de Euch. cap. 24. Suarez, & Vasquez in præsentī. Sed hæc etiam sententia reicienda est: tum quia est contra D. Thomam, vt mox videbimus; tum quia miracula sine necessitate multiplicat.

Tertia sententia est Card. de Lugo quod eadem materia, quæ per consecrationem desierat reproducatur. Sed hæc etiam sententia reici debet. Nam illa materia, per actionem conuersiuam in Corpus Christi, simul cum panis substantia, fuerat conuersa; ergo si iterum reproducetur Corpus Christi, non desideret esse sub speciebus, sed iterum reconuerteretur, saltem quoad materiam, in panis naturam; quod non videtur dicendum. His, & aliis sententiis relictis.

Nostra sententia sequenti

explicatur conclusione. In instanti desitionis Eucharistiæ, quantitas in materiam primã à Deo conuertitur, ex qua forma, quæ de nouo generatur, educitur. Hæc est manifesta D. Thomæ sententia in hoc art. 5. ad 3. & art. 6. ad secundum; quem sequuntur eius discipuli Capreolus in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 3. Caietanus hic art. 5. Nugnus eodem loco N. Cornexus dub. 3. & alii magis communiter. Et huius ratio est, quia vt benè dicit Nugnus, hoc modo, multo melius explicantur omnia ea, quæ in noua, verbigratia vermis ex speciebus, generatione, fiunt, sine nouo miraculo; cum omnia ista naturaliter ex priori miraculo consequantur. Hoc tamen non est ita intelligendum, quod in virtute prioris miraculi, detur virtus naturali agenti, ad conuertendam quantitatem in materiã primam, hoc enim dici non potest, cum talis conuersio non nisi virtute diuina fieri possit; sed quod hoc licet miraculum sit, non tamen nouum miraculum, cum in virtute præcedentis miraculi fiat.



Quod eleganter explicuit D. Thomas in 4. dist. 12, quæst. 1. art. 2. quæst. 4. ad 4: dicens *Secundum quamlibet positionem oportet ponere aliquid in hac generatione esse miraculosum, & aliquid naturale: nam conuersio dimensionum in materiam est miraculosum: sed quod materia iam existens recipiat talem formam, cuius dispositiones præcesserunt in dimensionibus, hoc est naturale.* elegantissimè.

Quarta difficultas, an species Sacramentales nutrire possint. Huius difficultatis resolutio ex præcedenti colli-

gitur, cum enim nutritio sit specialis quædam generatio, sequitur, quod cum ex speciebus Sacramentalibus possit aliquid generari, ita & nutriri Videatur D. Thomas artic. 6. & alectæ eius. Vnde applicando doctrinam traditâ præcedenti difficultate, nutritio fit modo sequenti. In instanti desitionis specierum, virtute coloris stomachi, quantitas in materiam primam conuertitur, quæ cum præcedenti unita, anima rationalis ad illam informandam naturaliter extenditur.

## QVAESTIO VI.

*Vtrum Vino consecrato, possit alius liquor permisceri.*

**H**Anc quæstionem pertractat D. Thomas art. 8. presentis quæstionis, ubi tria docet, primum quod liquores, consecratis infusi speciebus cum illis misceantur, quod & ipsa docet experien-

tia. Secundum, nullum liquorem calici consecrato infusum cum Sanguine præmisceri, quod & habetur capit. *cum Martha* - de celebratione Missarum. Tertium, quod quando liquor calici consecra-



to miscetur siue sit eiusdem speciei, siue diuersæ, semper species, vel omnes, vel saltem ex parte corrumpantur; nam si liquor in ea quantitate infundatur, quod cum omnibus speciebus misceatur, omnes corrumpentur: si vero adeo sit exiguus, vt solum vni, vel alteri parti misceatur, vna, vel altera tantum pars, corrumpatur: de primo, & de secundo D. Thomæ dicto nulla est inter Scribentes disceptatio, sed solum de tertio; sed vt ad potissimam difficultatem, quæstio reuocetur, supponenda sunt ea in quibus omnes ferè conueniunt.

Suppono primò, tripliciter posse aliqua inter se se misceri. Primò, ita quod res quæ miscentur, suam retineant naturam; vt grana, arenæ, cineres, &c. & de hoc nulla est difficultas. Secundò, quando vna res aliam in se conuertit; vt si gutta aquæ in vino ponatur, & in vinum conuertatur, & ista non est propriè mixtio, sed alterius rei in se conuersio; & tunc semper contingit, quando liquores qui miscentur, ita se habent, quod

vnus alium vincat, & superet viribus, & in se conuertit. Tertio quando miscibilia sunt in æquali quantitate, ita vt pè fata actiuitatis proportionè, neuter liquor valeat alterum corrumpere, ipso incorrupto manente, sed vterque corrumpitur, & ex vtriusque corruptione, tertius liquor generatur; & hæc est propria mixtio, quam definit Philosophus, *est miscibilem alteratorum, vni*.

Suppono secundo, quoties fit liquorum mixtio siue secundo, siue tertio modo, taliter, quod species consecrata, vel corrumpantur, ab alio liquore vincente, vel taliter agant, & reagant species cum alio miscibili, quod vtrumque esse designat, & tertium quid generetur, non maneat Sanguis Christi sub illis.

Suppono tertio, quod quando liquores, qui cum speciebus consecratis permiscentur, habent qualitates indiuiduales valde diffimiles, præsertim si sint diuersæ speciei, diuersæ virtutis, & vigoris, vt si vinum fortemisceatur cum speciebus vini debilis, tunc fiet specierū



corruptio, & Sanguis Christi esse desinet, quia tunc fiet mixtio secundo modo. Quod si attentis vtriusque vini viribus, taliter fiat actio, & reactio, quod vtrumque desinat, fiet mixtio tertio modo, & Sanguis desinet, cum tertium quid producat: his suppositis.

Difficultas præsens ad hoc reuocatur, an quando vina nõ solum sunt eiusdem speciei, verum etiam eiusdem virtutis, & vigoris, & non habent qualitates diuersas, quibus agant & reagant, sed habent qualitates prorsus eiusdem rationis, taliter quod inter eas non est actio, & passio, sed solum intersecatio, & partium diuisio, vt si ex eodem dolio, ex quo fuit extractum vinum consecratum, aliud in eadem quantitate extrahatur, & infundatur in calice consecrato, antequam fieret mixtio, & tertij productio, & subinde Sanguinis Christi Domini desitio.

Prima sententia est, quod in tali casu nulla fiat mixtio, nec specierum desitio, nec subinde Sanguinis Domini desitio. Ita Durandus in 4: dist.

12. quæst. 3. Suarez, Vasquez Coninchus & alii, hoc loco. Vnde Lugo disput. 10. sect. 3. num. 41. dicit hanc sententiam esse adeo certam, quod contraria D. Thomæ non solum sit difficilis; sed minus probabilis reputetur.

Nostri sententia sequenti explicatur conclusione. Si speciebus consecratis vinum infundatur, vel in maiori, vel etiam in æquali quantitate eiusdem speciei, & eiusdem virtutis, ita quod vinum infusum per omnes partes vini consecrati diffundatur, fiet vera mixtio per vtriusque desitionem, & per tertij productionem, & per consequens fiet vera Sanguinis Christi Domini desitio sub speciebus. Hæc est expressa D. Tho. sententia hic art. 8. & Discipulorum eius vt Capreoli dist. 13. quæst. 1. concl. 3. Soti, & aliorum quos refert, & sequitur N. Cornexus hic dub. vltimo.

Probatur primo eleganti D. Thomæ testimonio in hoc artic. 8. vbi postquam dixit quod si fiat liquorum diuersæ speciei permixtio, resultat tertium speciei, & si fiet permixtio

tio



tio liquorum eiusdem speciei, remanebit quidem eadem species, sed non remanebit idem numero vinum. Dicit. *Vnde si fiat tanta permixtio liquoris cuiuscunque, quod pertingat ad totum vinum consecratum, & fiat permixtum erit aliud numero, & non remanebit ibi Sanguis Christi. Si vero fiat tam parua alicuius liquoris adiunctio, quod non possit diffundi per totum sed vsque ad aliquam partem specierum, desinit esse Sanguis Christi sub illa parte vini consecrati, remanebit tamen sub alia.* Videatur Capreolus loco citato vbi alia eiusdem Sancti Doctoris adducit testimonia.

Probatum secundo ratione, supponendo tamē prius, quod in vino, sicut & in aliis liquoribus, sunt quædam partes magis subtiles aliis, quæ subintrantes per alterius poros, illius partes minutissimè diuidunt, & intersecant, ita quod diuisio fiat vsque ad partes minores minimis, sub quibus forma vini, verbigratia, conseruari non potest, & tunc naturaliter ex defectu quantitatis requisitæ, ad formæ

substantialis conseruationem, corrumpuntur; & si miscibilia sint diuersæ speciei, tertium resultabit à miscibilibus specie distinctum; si vero sint eiusdem speciei, cum non possint se in diuersam speciem transmutare, resultabit tertium, eiusdem quidem speciei, sed non eiusdem numeri. Hoc supposito, sic formatur ratio ex D. Thomæ doctrina, desumpta. Quia quoties duo quanta vsque ad partes minores minimis se diuidunt, & intersecant, toties se mutuo corrumpunt; Atqui in nostro casu, duo vina eiusdem speciei, & virtutis ad inuicem, si permisceantur, se mutuo diuidunt, & intersecant, vsque ad partes minores minimis; ergo se mutuo corrumpunt, & per consequens tertium generabitur sub quo in casu conclusionis Sanguis Christi non permanebit. Maior patet ex notabili posito, nam forma substantialis conseruari nequit in partibus minoribus minimis. Minor etiam constat, nam cum vinum partes habeat, & subtiles, & perosas, possunt ad inuicem, si semel permisceantur se  
diui-



diuidere, & interfecare.

Respondet Coninchus, & alii, quod licet vinum in minutissimas partes diuisum corrumpatur, quando ille partes cum alio vino non continuantur, sed solitariè manent distincti; secus tamen, quando cum alio vino continuantur; & sic, cum in casu præfenti, partes vini A. etiam in minutissimas partes diuise, continentur cum partibus vini B. sequitur, quod non corrumpantur.

Nam contra est quia implicat partes vini A. interfecare in minutissimas partes, partes vini B. & e contra, & quod sint continuæ: cum luce clarius sit interfecans non continuari cū re interfecata, ergò, si semel vinum A. interfecat in minutissimas partes, vinum B. & e contra, non possunt ad inuicem continuari: & sic vel cōcedendum est, formam vini conseruari posse naturaliter sub partibus minoribus minimis, contra Philosophos omnes, vel dicendum est ad inuicem corrumpi, per talem mixtionem, & tertium generari. Tamen, quia constare non

potest, quando nam facta sit, hec omnium partium totalis interfecatio, propterea siue mixtio sit ex vinis specie diuersis, siue eiusdem speciei, semper putandum est sanguinem Christi Domini sub speciebus adesse, quandiu sensibilibiter conseruari censentur. Quo sensu dicit Soto apud Nugnum, hic D. Thomæ sententiam esse veram Philosophicè, non Theologicè. Soluuntur argumenta in contrariū.

Primum argumentum est, quia simile non agit in sibi simile; ergò neque illud corrumpit; & per consequens vinum eiusdem speciei; & virtutis, non poterit aliud, si cum eo misceatur, corrumpere. Respondetur concedendo Antecedens; & negando consequentiam; nam licet simile non agat in aliud simile & per consequens actione corruptiua nequeat illud corrumpere, potest tamen corrumpere illud ratione interfecationis, & diuisionis partium in minores minimis.

Secundum argumentum est, quia ex nostra scētia plura sequerentur absurda. Primum est,



est, quia sequeretur; quod si duæ aquæ eiusdem prorsus rationis misceantur, ambæ corrumpantur, & tertia generetur, quod non videtur eundem, cum non appareat à quo agente producat. Secundum, quia sequeretur quod, quoties aqua in vas infunditur, aut vehementer in eodem vase agitur, naturaliter corrumpetur, & alia generetur; quod absurdum applicari potest venerabili Sacramento quod nimirum si quis ponat vini species consecratas, in vase clauso, & vehementer in eodem vase agitentur, quod tunc corrumpentur cum ratione talis agitationis partes separentur, & ab inuicem diuidantur.

Tertium, quia sequeretur quod si duo vina consecrata, secundum se tota permisceantur, nullum eorum maneat consecratum. Similiter si species vini consecrati diuidantur, & iterum permisceantur, corrumpentur, & Sanguis Christi Domini sub illis esse desinat.

Respondetur, quod ex D. Thomæ, & nostra sententia

nullum sequitur absurdum. Ad primum respondeo, cum nostro Cornexo, post Sotum, & Victoriam, quos illæ citat, quod si ille duæ aquæ, & idem est de duobus vinis similibus, totaliter permisceantur, ita ut fiat diuisio vsque ad partes minores minimis, tunc corrumpentur, & aliud vinum generaretur, vel alia aqua, numero distincta. Ad secundum absurdum dico, quod per talem aquæ, vel vini, in vase agitationem; partes non diuiduntur; non intersecantur, vsque ad partes minores minimis; cum semper maneat eadem continuata entitas. Ad 3. patet ex dictis, quod nimirum si semel omnes se mutuo intersecarentur, & in partes minores minimis diuiderentur, corrumpentur, & Sanguis Christi sub illis esse desineret; quia tamen, ut iam præmonuimus, rarissimè, & difficillimè contingere potest, illa summa omnium partium diuisio, & penetratio; præsertim in liquoribus non adeo subtilibus, quale est vinum; ideo semper iudicare debemus Sanguinem Christi ma-



nere, quamdiu ad sensum, species vini manere censentur.

Quærit hic Lugo quanto tempore durent species Sacramentales in stomacho, & dicit ex Ioanne Manelpho Medico peritissimo, particulam, quæ laicis dari solet minuto vno consumari, hoc est in sexagesima horæ parte, quod experimento aquæ bullientis probant, quæ eo tempore particulam alterat, & consumit. Et loquendo de Sacerdote, qui maiorem hostiam sumit, & vini species, dicunt extendi ad dimidium

quadrantis: quod si hoc extendatur ad quadrantem, extra omne dubium erit. Sed hæc doctrina præsertim quoad vini species non placet, experientia namque didici, vini species, & idem videbatur de speciebus panis, quas vnus Sacerdos post dimidiam circiter horum euomerat, non fuisse corruptas. Vnde puto debere attendi ad specierum qualitates, an retineant essentiam nec re, & quando de hoc dubitaretur tota illa materia in sacrarium esset reponenda.

# DISPV TATIO

## DVODECIMA

### *De forma Sacramenti Eucharistia.*

**D** Thomas art. 1. q. 78. docet legitimam Eucharisticæ confectionis formam esse: *Hoc est Corpus Meum.*

*Hic est Calix Sanguinis Mei,* subinde elegãtem assignat differentiam inter formam huius Sacramenti, & aliorum. Primò, quod hæc forma im-

me-



mediatè ad materiam dirigatur; aliæ ad suscipientem, per huius namque Sacramenti formam, materia ipsa sanctificatur; per alias, Sacramentorum susceptores. Secundò, quod Sacerdos hanc formam pronunciet, non tantum ut minister Christi, sicut in alijs Sacramentis; sed etiam ut immediatè Christum Dominum representans, & quasi esset ipse Christus dicens: *Hoc est Corpus Meum*: cum sit Corpus Christi. Audiatur Lector Sanctissimi verba Magistri: *Ferme aliorum Sacramentorū proferuntur ex persona ministri, siue per modum exercentis actum, sicut cum dicitur, ego te baptizo, vel ego te confirmo: siue per modum imperantis, sicut in Sacramento Ordinis di-*

*citur, accipe potestatem &c. siue per modum depræcantis, sicut in Sacramento Extreme unctionis dicitur, per istam unctionem, & per nostram intercessionem &c. Sed forma huius Sacramenti proferitur quasi ex persona ipsius Christi loquentis: ut detur intelligi, quod minister in perfectione huius Sacramenti nihil agit, nisi quod profert verba Christi. Quæ doctrina semper esse debet altamente reposita, quia summè commendat altissimam Sacerdotis dignitatem, quæ in huius Sacramenti forma exprimitur. Sed quia de forma præsens procedit disputatio ad potissimas, quæ de illa sunt quæstiones, vocamur. Sic ergò.*

## QVAESTIO I.

*Vtrum hæc sola verba, Hoc est Corpus Meum; sint forma panis consecrandi.*

**P**RO huius quæstionis intelligentia, suppono pri-

mò, omnia nouæ legis Sacramenta, propriam habere formam,



mam; seù verba quibus conficiantur, vt contra nostri temporis hæreticos, dicentes nulla certa verba requiri, in Sacramentis conficiendis, sed ea omnia sufficere quæ ad excitandam in audientibus fidem idonea sunt, supra quæst. 60. fusè docuimus.

Suppono secundo contra aliquos Græcos quos refert hic Lugo disput. 11. sect. 1. dicentes consecrationem fieri per quosdam præces, quibus Spiritus Sanctus inuocatur, vt panem, & vinum in Christi Domini Corpus, & Sanguinem vertat; quod probant ex liturgijs D. Iacobi, Marci, & Basilij, in quibus post pronunciationem formæ *Hoc est Corpus Meum*. Subiunguntur prædictæ præces. Sed vt aduertunt Catholici, non est illorum præcum sensus, quod adhuc post formam prolatam maneat panis substantia, & Spiritus Sanctus præcetur, vt illam in Christi Domini Corpus conuertat, cū iam per formam fuerit conuersa; sed sēsus est, illum panē spiritualē, hoc est, Corpus Christi, & illum Calicem, hoc est, Sanguinem

Domini, fieri nobis in salutem, & peccatorum remissionem, ex Spiritus Sancti gratia.

Suppono tertio. Sacramentum Eucharistiæ non confici oratione Dominica, septies supra materiam consecrandam prolata, vt tenuere Vualdenses, teste Guidone Carmelita nostro; & Castro de hæresibus V. Euchar. hære. 3.

Suppono quarto ista verba *Hoc est Corpus Meum* esse necessaria, ita vt sine illis Eucharistiæ Sacramentum non conficiatur. Ita ex omnibus Euāgelistis colligitur. Ita docet Apostolus 1. Cor. 11. ita tradunt Concilia, & Patres, & ita tenet omnis Scholasticorum, & Theologorum Schola; nec est necesse in re tam clara immorari.

Suppono vltimo Christum Dominum vt docet D. Thomas in hoc articulo iisdem verbis consecrasse ac nos, vt docent Sancti Patres, colligitur ex Euangeliis, insinuant Concilia, & docent Sancti Patres, & Theologi vt testatur Nugnus hic art. 1.

His breuiter suppositis, diffi-



difficultas huius quæstionis est, an sola ista verba *Hoc est Corpus Meum*, ad hoc pertineant Sacramentum, an vero etiam præcedentia, quæ habentur in Canone, nimirum: *Qui pridie quam pateretur, &c.*

Prima sententia est, quod licet hæc verba: *Qui pridie quam peteretur &c.* non sint essentialia, sint tamen necessaria ad valorem formæ, quia illis non præmissis non significaretur sufficienter per verba subsequenta id quod intenditur. Hanc sententiam tribuit Lugo Doctori subtili in 4. dist. 8. quæ. 2. S. de secundo dico. Sed quantum capio Scotus non tener hanc sententiam nimirum quod verba præcedentia, sint necessaria ad valorem formæ. Audiat lector Subtilis verba Doctoris. *Sed hic est dubium inquit, utrum prætermisissis verbis præcedentibus per ista sola quatuor verba: nempe, Hoc est Corpus meum: conficeret Sacerdos: dicitur quod sic, quia ista sunt præcisa forma, alia sunt propter reuerentiam, vel propter orationem præmittenda.* Et postea

subdit esse necessaria non solum illa, sed alia plura præcedentia in canone ad hoc vt cognoscatur quod ista verba: *Hoc est corpus meum*, in persona Christi dicantur. Citat etiam Lugo Angelum v. *Eucharistia* num. 24. sed etiam ille ad Scoti mentem loqui videtur. Sed quidquid de hoc sit.

Nostra, & communis catholicorum sententia est, quod hæc solo verba *Hoc est corpus meum*; sint forma panis consecrandi. Hæc conclusio clare deducitur ex Evangelistis, Luc. 22. Matt. 26. Marc. 14. Io. 10. 1; Cor: 11. ex cap. *cum Martha*. de celebrat. Missarum ex cap. *panis* ex cap. *quia corpus* ex cap. *reuera* & ex cap. *ascesserunt*. de consecrat dist. 2. Illam docent Sancti Patres, scholastici, & Theologi omnes, cum D. Thom. hic art. 1. & 2. vbi sequenti ratione eam probat Angelicus. Illa sola verba sunt huius Sacramenti forma, quoad panis consecrationem, quæ panis in Christi Domini corpus conuersionem significant; Atqui sola illa verba hoc significant; ergo sola



la illa verba sunt sufficiens panis consecrandi forma. Maior patet, ex dictis de formis Sacramentorum in genere; forma namque cuiusque Sacramenti illa sola est, quæ proprium cuiusque Sacramenti effectum significat. Minorem fusè probat Angelicus, quia cum hoc Sacramentum, non solum fieri dicat, sed & maxime factum esse, non debet eius forma solum fieri, nempe ipsam conuersionem significare; sed & factum esse, nempe Corpus Christi, quod est illius conuersionis terminus; Atque qui hoc significant illa verba, & id ipsum efficiunt; ergò illa sola sufficiunt.

Cõfirmatur hæc ratio, quoniam Christus Dominus solis illis verbis consecrauit, vt ex Euangelistis colligitur; ergò illa sola sunt sufficientissima;

alioqui si alia verba necessario requirerentur ad consecrationem faciendam, dicta verba in Sacerdotis proferentis ore, vera non essent, nec illa in Christi Domini persona à Sacerdote proferentur, nisi alia adderantur verba à Christo Domino non prolata. Tum quia, sufficienter Sacerdos Christipersonam exprimit, per illud pronomen *meum*, absque illis verbis, *qui pridie* &c. si sua intentione, illa in Christi nomine proferat.

Ex quibus infertur illam particulam *enim*, quæ solum ponitur ad denotandam sermonis Christi cõtinationem non esse necessariam, & si relinquatur non erit mortale, sed veniale tantum peccatum, vt communiter tradunt Theologi.



## QVAESTIO II.

*Quanam sint verba essentialia consecrandi  
Calicis.*

**I**N forma consecrandi Calicis, tum in Missali, tum in tabella, quæ in Altari ponitur, sequentia verba, rubris characteribus ponuntur. *Hic est calix sanguinis mei, noui, & aeterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro nobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Conueniunt omnes particulæ, enim, ad essentiam formæ Sanguinis non pertinere, sicut nõ pertinet ad essentiam formæ, neque ad substantiam, & integritatem illius, vnde qui, & hanc relinqueret solius venialis reatum contraheret.

Item conueniunt verba illa *Hic est calix, sanguinis mei*: vel *Hic est Sanguis meus*. esse essentialia formæ, & per consequens omnino necessaria ad Sanguinis consecrationem. difficultas ergò solum procedit de posterioribus verbis, an nimirum sint essentialia, vt

priora, & cum illis vnã integrent formam, an vero sint purè accidentalia, vel certè sint pars integralis, de qua re sunt tres sententiæ.

Prima sententia est, quod sint pars essentiæ, & sic, quod sine illis nullum conficiatur Sacramentum. Ita Ricardus 4. dist. 8: art. 3. quæst. 2. Syl. verbo Euchar. 1. quæst. 6. Armilla numer. 14. & alii plures.

Secunda sententia per oppositum est, prædicta verba esse purè accidentalia. Ita Suarez Haradus, & plerique alii.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Alia verba præter *Hic est calix sanguinis mei*. non sunt de essentia formæ consecrandi Calicis sed solum pertinet ad integritatem illius Hæc est D. Thomæ sententia, & communis inter Thomistas vt testatur Na-

gnus



gnus hic art. 2 :

Probatur conclusio quoad utramque partem, elegantissimis D. Tho. verbis hic artic. 3 ubi sic fatur. *dicendum est ergo quod omnia praedicta verba, sunt de substantia formae. Sed per prima verba, cum dicitur hic est calix sanguinis mei significatur ipsa conuersio vini in Sanguinem, eo modo quo dictum est in forma consecrationis panis: per verba autem sequentia designatur Sanguinis effusio in passione, qua operatur in hoc Sacramento, Vbi ut vides vult Doctor Angelicus prima verba esse essentialia, quia per illa fit conuersio vini in Sanguinem ( Sacramenta idem efficiunt quod significant ) reliqua vera esse substantialia, cum per illa Sanguinis Domini virtus designetur, & pertineant ad integritatem eiusdem loquutionis, ut loquitur idem Angelicus. Ex quibus patet, modernum quendam male dicere hanc nostram sententiam, esse contra Sanctum Thomam, & Thomistas. Cum & D. Thomas, & Thomistae illam sequantur audiat istae quid dicat Nugnus*

in signis Thomista ; *Secunda sententia est in alio extremo, scilicet quod tantum illa verba Hic est calix Sanguinis mei pertinent ad essentiam, & necessitatem huius Sacramenti, cetera vero sunt tantum de substantia, & integritate illius, ita ut sine illis verum conficiatur Sacramentum. Quae est communis inter Thomistas, & ita explicant ipsum D. Thomam.*

Probat hanc conclusionem Nugnus ex diuersis liturgiis in quibus ; non omnia illa verba ponuntur : Probat ex Sanctis Patribus . Probat ratione . Nos his omnibus relictis, aliquas afferemus rationes, efficaciter, positam conclusionem, probantes .

Prima ratio . Hae sola verba : *Hic est Calix Sanguinis mei*, conuertunt substantiam vini in Sanguinem ; ergo haec sola essentialia, & necessaria sunt . Consequentia ex Antecedenti est nota . Antecedens in quo est difficultas, probatur primò ex D. Thoma in allegato testimonio, nam sola illa verba significant conuersionem vini in Sanguinem ;  
ergo



ergò sola illa talem causant conuersionem; Sacramenta, namque, id causant, quod significant. Tum quia, vt idem docet Angelicus, alia solum ponuntur ad explicandum Sacramenti Sanguinis effectum, sed significare effectum Sacramenti, non est de essentia Sacramenti; ergò &c. Secundo, quia non sunt minoris efficaciam ista verba. *Hic est Calix Sanguinis Mei*, quam ista. *Hoc est Corpus Meum*. Tertio, & potissimè, quia ita videtur clare deduci ex Tridentino sess. 13. capit. 4. vbi dicitur: *Quoniam autem Christus Redemptor noster Corpus suum id quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit; ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, post consecrationem panis, & vini, conuersionem fieri totius substantiæ panis in substantiam Corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini, in substantiam Sanguinis eius. Vbi vt vides vult Concilium sub speciebus panis verè poni Corpus Christi, quia ipse Dominus verè dixit: Hoc est Corpus Meum. Cum enim eius verba debe-*

ant esse infallibilis veritatis, eo ipso, quod illa verba protulit, ita, vt dixit, esse debuit; sed sic est, quod etiam in consecratione Calicis verè dixit. *Hic est Sanguis Meus*, vel *Hic est Calix Sanguinis Mei*; ergò & hæc verba infallibilem habere debuerunt veritatem; alioqui Concilii illatio non esset efficax.

Sed dices, etiam in forma Baptismi, prima verba, *Ego te baptizo*, significant spiritua- lem animæ abluionem, quæ est primarius huius Sacramenti effectus, & tamen Deus ob speciales rationes, noluit illa verba sufficere, sed voluit debere exprimi distinctè omnes Trinitatis personas; ergò etiam si per hæc verba. *Hic est Calix Sanguinis mei*, totus huius Sacramenti effectus, significetur, voluit tamen, ob speciales rationes, debere addi etiam verba sequentia: quænam autem sint hæc speciales rationes, tradit D. Tho. in art.

Nam contra est; quia illa verba, *Ego te baptizo*, seu *te abluo*, non habent perfectam gratiæ baptismalis significationem, ante illa alia, *Inno-*



mine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, secus illa, *Hic est Calix Sanguinis mei*: ergò &c. Antecedens probatur, primò ex differentia quam ponit D. Thomas art. 1. huius quæstionis; *Quia* (verba sunt Angelici) *forma aliorum Sacramentorum proferuntur ex persona ministri, siue per modum exercentis actum, sicut cum dicitur ego te baptizo: & post pauca: Sed forma huius Sacramenti profertur quasi ex persona ipsius Christi loquentis. & sic cum minister dicit: Ego te baptizo, vel Ego te abluo: adhuc non exprimitur, se id facere, ut minister Christi; cum ablutionis nomen, sit indifferens, ad ablutionem spiritualem, & corporalem. At vero, cum Sacerdos in persona Christi loquatur, sicuti sufficienter eiusdem Christi personam expræsserat, per prima verba *Hoc est Corpus meum*; ita et per secunda. *Hic est Calix Sanguinis mei*. Secundò, quia verbum *abluo*, quod est idem ac *baptizo*, ex sui institutione habet significare ablutionem corporalem & externam, non internam; ergò ad hoc ut interna, & spi-*

ritualis significetur; alia verba addenda erant. Tertiò, quia verba formæ baptismi, debent gratiam significare baptismalem, nempe primam gratiam regenerantem, per quam primò homo in Ecclesiæ gremium iacit; primò fidei mysteria proficitur, &c. Atqui adhuc omnia gratiæ munia significanda; prima illa, *Ego te baptizo*, non sufficiunt verba; ergò &c.

Secunda ratio, quia illa verba, quæ post panis consecrationem dicuntur, nimirum *quod pro vobis tradetur*, non sunt de essentia formæ consecrationis panis; ergò neque illa: *noui, & æterni testamenti &c.* Antecedens admittunt omnes: consequentia probatur; quia ita est memoriale passionis Christi Domini ipsius Corpus, quam Sanguis; ergò si semel esse memoriale passionis Christi non pertinet ad formam consecrandi Corporis, neque pertinebit ad formam consecrandi Calicis. Unde ob hoc Apostolus 1. Cor. II. eodem modo de hoc loquitur memoriali dicens: *Quotiescunque enim manducab-*



*is panem hunc , & Calicem bibetis , mortem Domini annuntiabitis .*

Aduerte tamen cum Nugno conclusione 6. non debere Sacerdotem mentem suam, seu intentionem alligare, vt fiat consecratio per illa, dumtaxat verba, *Hic est Calix Sanguinis mei.* Sed debet omnia illa verba proferre cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, cum in his quæ ad essentiam pertinet Sacramentorum, partem tutiorem sequi debeamus; tum quia ad minus est præceptum Ecclesiasticum, omnia illa verba proferre; tum etiam quia, vti diximus licet non sint omnia essentialia, sed solum priora, tamen alia sunt substantialia, & potissimam explicat Sanguinis Christi Domini excellentiam.

Primum argumentum desumunt ex auctoritate; nam omnia illa verba esse essentialia indicatur in Concilio Coloniensi parte 7. cap. 14. ab Innoc. III. cap. *cum Martha*, de celebratione Missarum, & à Pio V. dum partem Comentariorum Caietani super hanc arti-

culum, vbi oppositam sequebatur sententiam, expungi fecit in impressione Romana. Et in suo Catechismo partem affirmatiuam excudi iussit.

Respondetur, quod posteriora verba in forma Calicis recitantur à Concilio Coloniensi, & ab Innoc. III. non quia omnia sint essentialia, quia de hoc nihil determinatur, sed quia etiam posteriora verba ad formam pertinet, tanquam pars, vt diximus, integralis. Ad expunctionem Caietani, respondent communiter, ideo factam fuisse, quia parum honorificè de S. Doctore loqueretur Angelico. Nec Catechismus eiusdem Sanctissimi Pontificis, vult omnia verba esse absolutè essentialia, sed solum priora, posteriora vero substantialia.

Secundum argumentum, quia dicta posteriora verba, eodem tenere, quo priora à Sacerdote super calicem proferuntur, & etiam maiusculis litteris in Missali, & in tabella designantur. Tum quia omnia à Christo Domino prolata fuerunt, vt priora. Tum



etiam quia ; posteriora , sunt priorum determinatiua ; ergò sicut illa priora sunt essentialia , & posteriora erunt .

Respondetur verum esse , Sacerdotem eodem tenore illa verba proferre , & litteris maiusculis notari , non tamen ob id euincitur omnia essentialia esse , sed priora essentialia , posteriora substantialia ; alioqui particula , *enim* , non debuisset , nec eodem tenore proferri , nec litteris maiusculis , & rubris scribi . Ad secundam probationem dico , omnia fuisse quidem illa verba à Christo Domino prolata , non tamen ob id sequitur omnia essentialia esse , nam etiam illa verba : *Quod pro vobis tradetur* ; fue-

runt à Christo Domino prolata , & tamen in omnium sententia , non sunt essentialia formæ consecrandi panem . Ad tertiam probationem etiam dico , posteriora verba determinare priora , & explicare , sicut faciunt illa : *Quod pro vobis tradetur* , non propterea sequitur , esse essentialia . Fuit autem conueniens dicta posteriora verba addi in forma consecrandi calicis , non illa : *Quod pro vobis tradetur* ; quia illis denotatur noui testamenti excellentia supravetus , quia vetus confirmatum fuit Sanguine hircorum , & vitulorum , nouum vero Sanguine agni immaculati Christi D. pro nobis effuso .

### QVAESTIO III.

*An Sacerdos proferat verba consecrationis recitatiuè , & materialiter , an vero enun-  
ciatiuè , & formaliter .*

**T**Vnc aliquid recitatiuè , seu historicè , & materialiter dicitur , quâdo id quod

narratur , seu refertur , dicitur solum tanquam ab alio dictum , non animo significandi , quæ

ver-



verba ipsa præferunt; tunc vero aliquid significatiuè, seu formaliter dicitur, quando cum intèctione exercendi eius significationem profertur, seu quando profertur animo affirmandi, vel negandi id quod talis enunciatio significat, sensus ergò præsentis quæstionis est, an dum Sacerdos consecrat, verba consecrationis proferat, animo, & intentione referendi verba, quæ Christus Dominus protulit in vltima cæna, quando consecrauit, an vero solum animo, quo vult, & intendit eorum verborum significationem exercere, nempe transubstantiare panem, & vinum, in corpus, & sanguinem Domini, an vero vtrumque intendat, nempe, & referre factum Christi, & in personam ipsius consecrare, seu panem, & vinum transubstantiare. De qua re tres sunt sententiæ.

Prima sententia est, quod consecrationis verba, solum recitatiuè à Sacerdote dicantur; quam sententia tenere videtur Inno. 111. libr. 4. de Mist. Mist. cap. 17. Durand. in 4. dist. 8. quæst. 2. num. 13.

Salmeron. tom. 9. in Euangel. tractat. 23. vbi eam latè probat, & defendit.

Secunda sententia, ex diametro docet, Sacerdotem solum formaliter, & significatiuè consecrationis verba proferre. Hanc sententia sequitur Marsilius in 4. quæst. 6. ar. 10. & alii quos refert, & sequitur Vasquez. hic disput. 200. cap. 2.

Nostra sententia sequenti explicatur concisione. Verba consecrationis proferuntur à Sacerdote vtroque modo, nempe recitatiuè, & significatiuè. Hæc est expressa D. Thomæ sententia ar. 5. huius quæstionis, & omnium discipulorum eius, & adeo certa videtur Didaco Nugno, vt aliæ duæ sint prorsus improbabilis.

Probatum ex decreto Eugenii, & ex Sanctis patribus cõmuniter docentibus Sacerdotem consecrantem, loqui in persona Christi, dum dicit: *Hoc est Corpus Meum*, & *hic est Calix Sanguinis mei* ideoque D; Tho. art. 1. dicit: *Forma huius Sacramenti profertur quasi ex persona ipsius Christi loquen-*



loquentis . & in hoc art. 5. dicit : *Et ideo dicendum est , quod etiam quando proferuntur à Sacerdote , significatiuè , & non tantum materialiter , sumuntur .* Sed non potest Sacerdos loqui in persona Christi, nisi verba proferat , & recitatiuè , & significatiuè ; ergò utroque modo Sacerdos debet consecrationis verba proferre . Probat *Minor* quoad utramque partem ; & primò quod debet at Sacerdos verba proferre recitatiuè ; eo ipso quod in Christi persona loquatur , probatur ; nam Christus Dominus præcepit , quod Sacerdotes in sui memoriam consecrarent , cum dixit ; *Hoc facite in meam commemorationem .* Vnde videmus quod verba canonis , quæ præcedunt , & subsequuntur consecrationem , recitatiuè dicuntur ; ideoque ponuntur ille particulæ *enim* , ad continuandam talem recitationem . Tum quia ; alioqui non possent verificari illa verba , *Quod pro vobis tradetur , qui pro vobis effundetur &c.* cum hæc non proferat Sacerdos in persona propria , sed recitatiuè dumtaxat ; ergò .

Quod autem Sacerdos proferat illa verba significatiuè , de quo est maior controuersia , probatur . Sacerdos dum consecrat ; loquitur in persona Christi ; ergò debet intendere facere , quod fecit Christi , sed Christus Dominus verè significatiuè consecrationis verba protulit ; ergò & Sacerdos debet eadem verba , significatiuè proferre .

Confirmatur , quia Sacramentorum formæ proferuntur à Sacerdote , Sacramenta conficiente , eo modo , quo verba efficiunt id , quod significant , sed hæc verba *Hoc est corpus meum , & Hic est Calix Sanguinis mei ;* non causant , quod significant , prout proferuntur præcisè recitatiuè ; ergò significatiuè proferri debent à celebrante , ut quod significant causent ; imo , ut causent , & significant . *Minor* probatur , nam illa verba solum recitatiuè prolata , non habent practicè significare , & causare ; alioqui quoties quis ea recitaret , cum sola recitandi intentionem ad præsentiam panis , & vini , consecratio poneretur . Soluuntur argumen-



ra in contrarium

Primum argumentum, pro prima sententia est, quia verba antecedentia, & consequentia solum recitatiuè proferruntur, item illa particula *enim*; ergò & ipsa formæ verba recitatiuè proferri debent. Antecedens est certum. Consequentia liquet ex paritate rationis. Respondetur concedendo Antecedens, & negando Consequentiam; non enim incongruit quod inter verba recitatiuè prolata, misceantur aliqua ab eodem recitante, significatiuè prolata, presertim cum, & factum ipsum id exigit, & institutio.

Secundum argumentum in ordine, quod est secundæ sententiæ fundamentum est, quod loqui materialiter, & recitatiuè, pugnat cum hoc quod est loqui formaliter, & significatiuè; ergò non potest Sacerdos consecrationis verba utroque modo proferre. Antecedens probatur. Primum, quia qui alterius verba refert, illorum significatione nõ vitur, alioqui si referes idem vellet significare, & asseuerare, quod alius significauit, &

asseueravit, sequeretur quod ille qui alterius refert mendacium mentiretur; qui refert alterius hæresim, esset hæreticus, &c. ergò si semel Sacerdos consecrationis verba formaliter, seù assertiuè profert, nequit illa proferre recitatiuè. Secundo quia si consecrationis verba recitatiuè proferentur, illud pronomen *Hoc* demonstraret species consecratas, quas Christus in cæna habuit præ manibus; si vero significatiuè dicantur, species cõsecratas significabunt, quas ipse Sacerdos suis habet præ manibus; hoc videtur incongruum; ergò &c.

Respondetur negando antecedens, nam optimè potest quis alterius verba referre, & simul intendere eadem verba significatiuè proferre; nonne potest quis alteri Dominicam referre orationem, & simul intendere orare? nonne potest quis Caluini hæresim referre, & simul etiam tenere? &c. Ad probationem dico, posse quempiam alterius (vt modo dicebatur) hæresim, vel mendacium referre, & etiam intendere ea significare. Ad



secundam probationem dico, quod dum Sacerdos dicit significatiuè, *Hoc est Corpus meum*, Ly, *Hoc* significat contentum sub speciebus, esse Corpus Christi, & simul refert illud ipsum Corpus, fuis-

se contentum sub speciebus, quas Christus Dominus in cæna suis tenebat manibus; & hoc nullam inuoluit repugnantiã. Vnde idem dicendum esset de Christo Domino si modo celebraret.

## QVAESTIO IV.

*Quid demonstrent pronomina Hoc, & Hic, in formis consecrationis.*

**H**uius resolutio questionis valdè deseruiet ad conuincendos nostri temporis hæreticos, qui vt panis defendant permanentiam, in Venerabili Sacramento, dicunt illud pronomen *Hoc* supponere pro pane tunc præsentati. Vt ergò rem hanc radicatus explicemus, prius referamus oportet, quòd alii sentiant Catholici, vt subinde nostram, & communem promamus sententiam. Alensis ergò in 4. quæst. 10. memb. 4. art. 2. §. 3. Bonau. dist. 8. ar. 1. quæst. 1. & alii aliqui ex antiquis, vt errorem vitarent hæ-

reticorum dixerunt, illud pronomen *Hoc*, re vera panis præsentiam notare; tamen ex consecrantis intentione, panem demonstrari vt signum Corporis Christi, futuri ad finem prolationis verborum, sub accidentibus. Sed hæc sententiam communiter reicitur, cū videatur esse contra mentem Tridentini sess. 13. cap. 4. vbi dicitur: *Quoniam autem Christus redemptor noster corpus suum, id quod sub specie panis offererat, vere esse dixit: non obtulit autem Christus panem, sed corpus suum, cum dixit: Hoc est corpus meum.* Pro-



pterea alii volunt demonstrari accidentia panis & vini; sed etiã hoc communiter, & ob eãdem Tridentini rationem, reicitur, non enim Christus dixit accidentia esse corpus suũ, cum accidentia non sint Corpus Christi, non conuertantur in Christi Domini corpus, sed maneant. Ideoque alii dixerunt illud pronomen *Hoc*, demonstrare ipsum Christi Domini Corpus. Sed neque hoc dici potest, non enim ponitur Corpus Christi sub speciebus, antequam forma perficiatur, vt constat ex dictis de Sacramentis in genere, & ex dicendis constabit.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Illud pronomen, *Hoc*, demonstrat quid commune pani, & corpori Christi, non sub ratione cõmuni, sed particulari, & singulari, vagè, vt sit sensus *Hoc est corpus meum*, idest, id quod continetur sub iis speciebus, est Corpus meum. Et idem dicendum est, de forma Calicis. Hanc conclusionem expresse habet Doctor Angelicus hoc art. 5. vbi sic loquitur: *Oportet intelligere predictam*

*loquutionem secundum ultimũ instans prolationis verborum: non tamen ita quod præsupponatur ex parte subiecti, id quod est terminus conuersionis, scilicet quod corpus Christi, sit corpus Christi, nec etiam illud, quod fuit ante conuersionem, scilicet panis: sed id quod communiter se habet ad utrumque, scilicet contentum in generali sub istis speciebus: non enim faciũt verba, quod corpus Christi, sit corpus Christi, neque quod panis sit corpus Christi, sed quod contentum sub his speciebus, quod quod prius erat panis, sit corpus Christi. Vndè merito D. Thomam sequuntur eius discipuli videantur Nugnus, Cornexus & alii.*

Probatur quia illa particula demonstratiua *Hoc*, dum profertur debet aliquid demonstrare, sed non demonstrat panem, seu substantiam panis de terminare, neque accidentia illius, neque corpus Christi; ergò debet demonstrare contentum sub speciebus. Maior videtur euidens; nam in quacunque propositione, tam sub iectum quam prædicatum, aliquid signare debent, ergò



cum illud pronomen, *Hoc*, in propositione, quæ est forma consecrationis panis, sit subiectum, debet dum profertur, suam habere significationem, quæ alia esse nequit, quam actu demonstrare; sicut enim, cum dico, hic est Petrus, illud pronomen, *hic* aliquid demonstrat; ergò etiam cum dicitur *Hoc est Corpus meum*, ly *Hoc* debet aliquid tunc demonstrare. Minor probatur, nam illud, *Hoc*, non demonstrat determinatæ substantiam panis, esset enim tunc sensus; *Panis est Corpus meum*, quod est falsum; licet enim panis fiat corpus Christi, non tamen panis est Corpus Christi. Similiter ob eandem rationem, non demonstrat illud *Hoc* species panis, cum falsum sit species panis esse Corpus Christi. Neque demonstrat Corpus Christi, quia propositio esset identica, esset enim sensus, Corpus Christi, est Corpus Christi: tum quia corpus Christi per consecrationis formam, fieret Corpus Christi. Tum etiam, quia tunc temporis, quando illud pronomen profertur, adhuc Corpus

Christi non est; ergò demonstrari per tale pronomen non potest.

Dices cum Meratio disp. 32 sect. 2. num. 7. & aliis post Vasquez hic, quod illud pronomen *Hoc*, nihil demonstrat quando profertur, sed expectat totam formam prolationem, & tunc significat Corpus Christi, quod dupliciter defenditur. Primo sustinendo, quod pronomen *Hoc* substantiue accipiatur, & tunc illud *Hoc* habet sensum: *Hoc*, idest substantia singularis corporis Christi, quæ erit in fine prolationis formæ, *Est Corpus meum*, ita quod idem sit significatum subiecti, & prædicati; differentia solū sit, quod subiectum eandem rem significat sed cõfusè, prædicatū vero distinctè. Secundo sustinendo pronomen *Hoc* accipi non substantiue, ita vt sub ipso aliquid intelligatur, quod senteat ex parte subiecti, in consecrationis enunciatione, sed adiectiue, ita vt in fine prolationis verberum consecrationis demonstrat ipsum prædicatum, nempe corpus, & ad ipsum prædicatum, im-

me-



mediate, & proximè referatur, & nomini ipsius prædicati proximè coniungatur tanquam adiectiuum substantiuo & cum eo conueniat in genere, in numero, & casu.

Sed contra, quia vterque modus allatus, est insufficiens; ergò non benè adhibetur. Antecedens ostenditur quoad vtranque partem; & quoad primam quidem; quia non videtur posse rationabiliter sustineri, quod pronomen *Hoc*, in præctica propositione, cum sit præctice demonstratiuum, suam suspendat demonstrationem, vsque dum tota propositio finiatur; nam dum intendens digitum in Petrum dico, *Hic est Petrus*, ly hic, aliquid demonstrat antequàm propositio finiatur; quod patet ex eo, quod si solum re aliqua demonstrata, dicatur *Hoc*, vel *Hic*, certè aliquid significatur, cum subiectum propositionis, suam debeat habere significationem, distinctam à significatione sui prædicati, & sic, siue subiectum solitariæ proferatur, siue simul cum prædicato, suam semper retinet significationem;

ergò sicuti quando solitariè profertur, statim suam habet significationem, & per consequens statim demonstrat rem quam significat, ita, & quando copulatiuè cum prædicato pronunciat; alioqui, cum possit in longum pertrahi propositionis prolatio, posset etiam suspendi pariter in longum demonstratiui pronominis significatio, quod non videtur dicendum.

Quod autem etiam secundus dicendi modus sit insufficiens ostenditur. Primo ex Tridentino sess. 13. pluries citata cap. 4. dum dicit: *Quoniam autem Christus corpus suum, id quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit*. Vbi clare colligitur Tridentinum explicasse pronomen *Hoc* substantiuè, non adiectiuè, intelligendo sub eo aliquid ex parte subiecti, nempe id quod sub specie panis offerebat. Secundo quia sequeretur propositionem esse identicam, nam idem est prædicatum, ac subiectum, & ad summum diuertirentur secundum maiorem, vel minorem expressionem; subiectum namque



& prædicatum idem prorsus dicerent; si enim semel in hac propositione, *Hic est Petrus*, illud pronomen *Hic* idem dicit quod *Petrus*, ut illi volunt sequitur, in substantia, idem esse *Hic est Petrus*, ac dicere *Petrus est Petrus*, & sic in nostro casu idem erit dicere, *Hoc est corpus meum*, ac dicere *corpus meum est corpus meum*. Tertio, quia si pronomen *Hoc* adiectiuè sumeretur, non magis demonstraret substantiam, quam accidens; & sic, dum dicitur, *Hoc est corpus meum*, de quantitate molis, quæ corpus de prædicamento quantitatis dicitur, intelligi posset. Ad argumenta.

Primum argumentum est, pronomen *Hoc*, in recto denotat substantiam, licet in obliquo denotet species, sed non denotat substantiam præsentem pro tempore quo proferitur; ergò solum pro tempore, quo forma est absoluta, & per consequens denotabit Corpus Christi, & non contentum sub speciebus. Maior est euidens. Minor ostenditur, nam si denotaret substantiam tunc

temporis præsentem, maximè (ut dictum est ex D. Thoma) substantiam vagam, & indeterminatam. Sed hanc denotare non potest; ergò &c. Probatur minor, nam subiectum propositionis determinatæ, & singularis, debet esse singulare, & determinatum, sed hæc propositio *Hoc est corpus meum*, est singularis, & determinata; ergo eius subiectum debet esse singulare, & determinatum.

Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem, ad probationem similiter conceditur maior, diximus enim illud pronomen, *Hoc*, significare aliquid commune substantiæ panis, & Corpori Christi; deinde negatur Minor, ad hoc enim ut propositio sit singularis, non est necesse, quod eius subiectum sit singulare determinatum, sed sufficit, quod sit singulare vagum: ut si quis dicat hic flos in meo nascitur horto, est propositio singularis, & tamen non est necesse, quod eius subiectum sit singulare determinatum, sed sufficit, quod sit singulare vagum. Similiter si  
quis



quis videat aliquid à longè moueri, & dicat est animal, est propositio singularis, & tamè eius subiectum non est singulare determinatum, sed indiuiduum vagum animalis, commune ad hominem, asinum, & æquum.

Secundum argumentum; si pronomen *Hoc* in forma consecrationis demonstraret aliquid, tunc temporis sub speciebus contentum; sequeretur formam consecrationis esse falsam; hoc dici nequit; ergò neque illud. Maioris sequela probatur; nam si illud pronomen *Hoc*, aliquid tunc temporis præsens demonstraret, deberet de eo Corpus Christi, quod est, in illa propositione prædicatum, prædicari; atqui prædicari nequit; ergo nihil præsens ibi significari potest. Maior est euidēs; Minor ostenditur, nam demus illud demonstratum per pronomen *Hoc*, esse indiuiduum vagum substantiæ; de hoc deberet Corpus Christi, enunciari, nempe: indiuiduum vagum substantiæ est Corpus Christi; sed hoc est falsum; sicut enim est falsum dicere,

*panis est corpus Christi; substantia panis est corpus Christi;* ita falsum erit dicere, indiuiduum vagum substantiæ, est Corpus Christi. Tum quia illud contentum sub speciebus debet in Corpus Christi conuerti; ergo non potest de eo prædicari Corpus Christi; consequentia probatur, quia Christi Corpus, prædicari non potest in recto, de eo quod in ipsum conuertitur.

Respondetur negando sequelam maioris; ad probationem negatur etiam maior; ad cuius probationem dico, non posse quidem Corpus Christi, de indiuiduo vago substantiæ vt sic prædicari, dicendo, indiuiduum vagum substantiæ, est Corpus Christi; hoc enim vt benè in argumento dicitur, dici nequit; sed prædicatur Corpus Christi de illo contento sub speciebus non determinando pro illo tunc, an sit Corpus Christi, cum maneat postea determinatum per subsequenta verba. Igitur huius pronominis *Hoc* significatio, non est quidem à principio prolationis verborum totaliter suspensa, sed neque est totali-



raliter determinata, quamdiu forma tota perficiatur; sed statim à principio significat, & demonstrat contentū sub speciebus, non tamen determinando quid illud sit, an panis, vel Corpus Christi, quousque eius significatio determinatur ad idem Christi Domini Corpus, per subsequētia verba,

vsque ad perfectam verborū formæ absolutionem. Per quæ ad aliam probationem, quomodo Corpus Christi prædicatur de eo, quod in ipsum conuertitur, cum enim hæc sit prædicatio practica, ponit, quod dicit, quod ex sequentis difficultatis resolutione magis patebit.

## QVAESTIO V.

*Pro quo instanti consecrationis verba suam habeant veritatem.*

**S**upponit quæstionis titulus consecrationis verba propriam habere veritatem, ex primaria ipsarum vocum institutione, & significatione; contra aliquos docentes, consecrationis formam non esse veram ex propria institutione, sed ex sola Christi Domini institutione, & consecrantis intentione, eo quia verbū, *Est*, in ipsa forma repertum, non habet significare Corporis Christi præsentiam, dum profertur; sed postquam for-

ma tota prolata est; quod ex sui natura non habet ex sola Christi Domini institutione, & ex consecrantis intentione; ex sui namque natura verbum *Est* habet rem significatam, ostendere eo tempore dum profertur. Sed huius fundamenti falsitas, ex mox pro nostra sententia subiiciendis, constabit. Supposito ergo, quod consecrationis verba ex sui natura suam habeant significationē, *tempus, instans, vel quando* huius significationis inquiremus.

Pri-



Prima sententia est, quod illa particula *Est* in forma Eucharistiae posita absoluat a tempore, ita quod faciat sensum, Hoc est, vel quod proximè futurum, est Corpus meum, & idem de forma consecrandi Calicis; ita aliqui moderni post Ricardum in 4. dist. 7. art. 3. q. 1.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Verba consecrationis suam habent veritatem pro ultimo instanti prolotionis earum. Hæc conclusio est expressa, Doctoris Sancti sententia, in hoc art. 5, ubi postquam aliorum reiecit sententias, suam ponit dicens: *Et ideo aliter dicendum est, quod hæc locutio habet virtutem factiuam conuersionis panis in Corpus Christi. Et ideo comparatur ad alias locutiones quæ habent solum vim significatiuam, & non factiuam, sicut comparatur conceptio intellectus practici, quæ est factiua rei, conceptioni intellectus nostri speculatiui, quæ est accepta à rebus, nam voces sunt signa intellectu, secundum Philosophum. & ideo sicut conceptio intellectus practici, non suppo-*

*nit rem conceptam, sed facit eam ita veritas huius locutionis non supponit rem significatam, sed facit eam. Hæc autem conuersio non fit successiue, sed in instanti, & ideo oportet quidem intelligere prædictam locutionem, secundum vltimum instans prolotionis verborum. Ideo Doctor Thomam sequuntur eius discipuli hic, & omnes alii interpretes, vnde non est necesse quemquam in particulari referre.*

Probatum primo ratione eiusdem Sancti Doctoris. Formæ Sacramentorum, vt est commune Theologorum pronuntiatum, efficiunt quod significant, cum sint formæ practicæ, & Sacramenta sint signa practica, ergò pro eo instanti significabunt, pro quo completè, & perfectè causabunt. Atqui non causant nisi pro ultimo instanti prolotionis: ergò neque completam, & perfectam habebunt significationem, nisi per eo instanti; & per consequens illud verbum est, non signat Corpus Christi per eo quando, vel instanti quo perficitur, sed pro eo, in quo tota forma finitur.



An autem illud instans, quo verba complentur, sit intrinsecum, vel extrinsecum de Sacramento in genere satis superque docuimus. Primum enthymema notum videtur. Minor subsumpta est D. Thomæ, nihil enim practicè causat nisi existat, & suum habeat esse completum; & sic, cum verba formæ, ex panis substantia causent Corpus Christi sub speciebus, hoc præstare nequibunt quamdiu esse suum non habent completum. Tum quia verba formæ non causant, nisi prout sunt significatiua completè, & perfectè; vt enim significatiua sunt eleuantur à Deo ad hoc, vt instrumentaliter physicè causent; sed completam, & perfectam non habent significationem, nisi post finem prolationis; ergò &c. & sic manet probatum, quod verba formæ nec habent causalitatem ante finem prolationis, nec perfectam significationem,

Probatur secundo, quia ad hoc vt propositio de præsentis sit vera, etiamsi non sit propositio causatiua, vt in nostro causa contingit, sed purè enū-

ciatiua. non est necesse, quod id, quod in tali propositione enunciatur, sit, quando actu dicitur, & enunciat; sed sufficit quod sit immediatè, & paulò antè, aut statim post propositionis prolationem; ergò id ipsum contingere potest in nostro casu, salua propositionis consecratiuæ veritate; Antecedens constat, nã dum prælatus subito præcipit vt taceat, & ille respondet taceo, vera enunciat, etiã si paulo post taceant. Similiter si idem prælatus præcipiat cuiquam religioso, vt comedat, & ipse respondeat nunc comedo, verum dicit, etiamsi paulo post comedare incipiat. Item, quis gemmam ostendere volens, dicat: Ecce gemmam: verum dicit, etsi tunc gemmam non ostendat, sed manum in peram ponat, vt illam extrahat, & simul ostendat. Quod si hæc vera sunt in propositionibus simpliciter enunciatiuis, à fortiori vera erunt in propositionibus prædicis, in quibus significatum non ponitur, antequam propositio finiatur, vt in vtraque consecrationis propositione, est videre

Vnde



Vnde patet dictas propositiones, & ex Christi Domini institutione, & ex consecratis intentione, & etiam ex propria natura, veras esse; per quæ manet explosa illorum sententia, qui volunt consecratiuas propositiones, attenda propria earum significatione, & præcisa Christi Domini institutione, & Sacerdotis intentione, falsas esse. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum; ad hoc vt consecrationis verba operentur, nulla debet attendi significatio, ergò consecrationis verba absoluntur à tempore. Consequentia tenet; si enim significatio attendetur à tempore absolui non possent cum significatio à tempore non absoluitur, sed in determinato *Quando* compleatur. Antecedens ostenditur, nam si verba consecrationis à significatione in sua causalitate dependerent, sequeretur, quod suum non producerent effectum; nisi quando ad audientis aures pertingeret, quod esse potest, aliquantum post, vltimæ syllabæ prolationem; ergò.

Respondetur negando Antecedens, ad probationem dico, verba consecrationis suum non causare effectum prout actu, & in exercitio speciem propriæ significationis in audientis aures causant, sed statim ac complentur in ratione significationis in actu primo, quod est in vltimo instanti definitionis verborum.

Secundum argumentum, si verba consecrationis in sua causalitate à significatione completa dependerent, ita quod suum non causarent effectum quamdiu perfecta non adesset significatio, & per consequens verbum *est* non absolueretur à tempore, sequeretur consecrationem non fieri per verba formæ assignatæ, nempe *Hoc est Corpus Meum* & *Hic est Calix Sanguinis mei* hoc dici nequit; ergò &c. Maioris sequela ostenditur, nam perfecta illorum verborum significatio, non perficitur, nisi per subsequencia verba nimirum; *Quod pro vobis tradetur: & noui, & aeterni testamenti.*

Respondetur negando sequelam maioris, ad probationem dico, formas prædictas



ex se completas habere significationes in ratione propositionis, non in ratione periodi, completa namque propositio nis significatio, per subiectū, & prædicatum completur, verba autem, quæ adduntur, licet audientis animum suspendere possint, donec compleantur; cum ad totum periodum extendatur, secundum se tamen completam habent significationem,

Sed hic quæret aliquis an verba consecrationis sint causa conuersionis, non solum ratione significationis, vt diximus, verum etiam ratione veritatis. Suarez, Vasquez, & alii volunt verba consecrationis non causare suos effectus, quæ vera, sed quæ significatiua.

Vera tamen sententia D. Thomæ in hoc art, Caietani, Nugni, & aliorum D. Thomæ discipulorum est, consecrationis verba suos causare effectus quæ vera sunt, veritate practica, non speculatiua, cum enim veritas speculatiua rem ipsam supponat, *ex eo namque quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa,* prius erit natura, corpus

Christi esse sub speciebus, quam quod hæc propositio sit vera speculatiuè, *Hoc est Corpus Meum.* At vero si loquamur de veritate practica quæ consistit in hoc, quod propositio causet, quod enunciat, prius natura erit, propositionem esse veram veritate practica, quam quod res significata ponatur. Et sic forma consecrationis, quæ vera veritate practica, suum causat significatum, nempe Corpus, & Sanguinem Christi: quæ vero vera veritate speculatiua supponit illud.

In articulo ultimo huius quæstionis 78. agit Doctor Sanctus, an forma consecrationis panis suum effectum consequatur antequam forma consecrationis vini perficiatur, ad quod respondet affirmatiuè, quæ responsio est certa secundum fidem, in Concilio Florentino definita, tractat. de Eucharistia pro instructione Græcorum, & Armenorum. Notat tamen & benè Nugnus in huius articuli Commentario, quod licet re vera, vna forma non dependeat ab alia, & posset quis

vali-



valide consecrare panem non consecrando vinum, & e contra, grauissimum tamen peccatum esset id facere; an autem possit in hoc fieri dispensatio infra Deo dante dicitur.

# DISPUTATIO DECIMATERTIA

## *De effectibus Sacramenti Eucharistie.*

**P**otissimi Sacramenti Eucharistie effectus fuerunt à nobis explicati supra de Sacramentis in Genere, vt quod conferat gratie augmentum in non ponentibus obicem, quod conferat aliquando etiam primam gratiam, quando quis bona fide cum sola attritione cognita, ad hoc accedit Sacramentum recipiendum in mortali, putans tamen se esse in gratia; & sic, quod non solum habeat à

mortalibus præseruare, verum etiam eo casu liberare; quod gratia huius Sacramenti propria, sit gratia spiritualis nutritionis, & quid addat gratia Sacramentalis supra rationem gratie habitualis, & quænam dispositio pro hoc, & alijs Sacramentis requiratur. Vnde restant solum aliqui effectus huius Sacramenti magis proprii, & magis particulares in hac disputatione explicandi, quod vt fiat sit.



## QVAESTIO I.

*Quo tempore, vel instanti, Eucharistiæ Sacramentum, suam conferat gratiam.*

**P**lures continet hæc quæstio difficultates, quas breuiter, & distinctè oportet examinare. Prima est, an hoc Sacramentum suum conferat gratiæ effectum, cum primum sumitur in ore, antequam deglutiatur. Maior in 4. dist. 2. quæst. 1. putat hoc Sacramentum gratiam conferre, cum primum in ore sumitur; quam sententiam sequi videtur Vasquez, apud Lugum hic disput. 12. sect. 2. num 27. cum dicat negari nõ posse species verè manducari, cum sunt in ore, & intra dentes conteruntur.

Nostra tamen sententia sequenti explicatur conclusio-ue. Eucharistiæ Sacramentum non confert gratiam cum primum in ore sumitur. Hæc conclusio est adeo certa, vt opposita communiter dicatur

improbabilis; cum esse videatur contra Euangelium, Io. 6. vbi huius Sacramenti effectus manducationi, & bibitioni tribuuntur. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet: habet vitam æternam &c.* Atqui sumptio cibi in ore, non est manducatio, nisi sequatur eiusdem cibi ad stomachum traiectio; ergo &c. nullus enim dicitur, comedere, vel bibere, ex eo præcisè, quod cibum, vel potum in os recipiat; alioqui, si quis post mediam noctem, aliquid cibi, vel potus, in os recipiat, ieiunium soluet; & sic non poterit Eucharistiam eo die recipere: quod est contra communem Ecclesiæ, & fidelium sensum. Vnde si detur traiectio sine sumptione, vera dabitur manducatio, vel bibitio, non è cõ-



tra; & sic, quis ante mediam noctem, aliquid in ore sumpsit, & post mediam noctem ad stomachum traiciat, dicitur eo die comedisse, vel bibisse, & nihil in ore sumpsisse.

Probatum deinde conclusio ratione breuiter sic. Sacramentum non causat gratiam, nisi per modum causae physicae, instrumentalis tamen; ergo non causat gratiam nisi applicetur, sed Eucharistia non applicatur, nisi per deglutitionem; ergo non nisi per deglutitionem gratiam causat. Minor subsumpta, de qua solam est difficultas, patet ex testimonio citato S. Ioan. & ex illo. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis &c.* Videatur N. Cornexus hic dub. 1. ubi ex praemissis optimè infert, quod si quis dignè hoc Sacramentum recipiat, & antequam illud deglutiatur, moriatur, gratiam non recipiet.

Secunda difficultas est, an hoc Sacramentum causet gratiam dum successiuè deglutitur, an vero postquam deglutitum est, in eo nimirum instanti, in quo verum est dicere; nunc Sacramentum deglu-

titum est; & relictis varijs dicendi modis apud Suarez, & alios hic.

Nostri sententia sequenti explicatur conclusione. Eucharistiae Sacramentum, sicut gratiae producit effectum, in eo instanti in quo verum est dicere: nunc deglutitum est. Hanc sententiam sequuntur communiter D. Thomae discipuli, Sotus quæm refert, & sequitur Nugnus hic, Cornexus, & alii.

Probatum primo, quia Eucharistia gratiam producit, cum perfectè est manducata; sed ante illud instans, non est perfectè manducata: ergo ante illud instans, gratiam causare non habet. Maior ex se liquet, cum enim gratiae causalitas, huius adiuncta sit Sacramentum, secundum quod manducatur, & bibitur; de perfecta manducatione, & bibitione intelligi debet. Minor probatur, nam cum manducatio sit motus successiuus, successiuorum naturam sapere debet; quæ in hoc consistit, quod quantumdiu vltimum non aduenit instans, numquam intelligentur in statu esse perfectio; ergo Tū quia,



quia, nihil habet actu causare nisi actu intelligatur existens; sed successiua non existunt, nisi per vltimum instans, vt de Sacramentis in genere docuimus; ergò si semel Eucharistiae Sacramentum non causat gratiam nisi per mādicationem, & hæc suam non habeat existentiam completā, & perfectam, nisi in vltimo instanti, sequitur, quod non nisi in eo instanti, gratiam causet;

Probat<sup>r</sup> secundo, quia gratia cum sit qualitas indiuisibilis, nullam habens latitudinem successiue pertransibilem, non potest nisi in instanti causari; ergò: quod enim in tempore causatur, debet habere latitudinem gradualement successiue pertransibilem, ita quod pars parti, & totum toti, correspondeat; quod in gratia, & in nulla re indiuisibili reperiri potest ob idque loco citato probauimus, omnia Sacramētam gratiam in instanti producere. An autem illud instans sit intrinsecum, vel extrinsecum, citato loco docuimus. Soluuntur argumentum in contrarium.

Primum argumentum est,

quia si Eucharistia gratiam causaret in eo instanti, in quo verum est dicere, nunc deglutita est; sequeretur quod aliquando gratiam non causaret in subiecto rectè disposito; hoc dici nequit. Maioris sequela probatur; nam demus quod Sacerdos non solum successiue, verum etiam tempore diuerso, hoc Sacramentum summat, vt contingit quando post sumptionem, aliquem, vel aliquos communicat, & deinde ad altare reuersus, particulas, vel fragmenta, quæ remanserunt, sumit: tunc, sic; nam vel per vltimam sumptionem, gratia noua causatur, vel non; non potest dici, quod noua gratia causetur, ita quod quælibet sumptio suam causet gratiam, in eo instanti, in quo est deglutio completa; nam vel per illas partiales sumptiones daretur totus effectus gratiæ per singulas, vel maior, vel minor, nullum horum dici potest; ergò non potest quælibet sumptio, suam causare gratiam. Minor ostenditur; nam non potest singula sumptio, causare totam illam gratiam, quam causant omnes, cum se  
cunda



cunda sumptio, verbigratia, iam gratiam causatam reperit, nec maiorem, quia alias melius esset sumptiones diuidere, & diuersas facere deglutitiones, vt maior gratia causaretur. Nec minorem, quia nulla apparet ratio dicendi, quod vna sumptio, alteram impediatur, ne suam causet gratiam, quam alia, si sola fuisset. Neque potest dici, quod secunda sumptio, gratiam non causet, cum sit generalis doctrina, Sacramenta causare gratiam, in non ponentibus orbicem.

Ad hoc argumentum respondent aliqui, eo casu gratiam non causari, nisi in vltima sumptione, ita quod gratiæ causatio, in prima sumptione suspenditur, vsque ad secundam si in hoc sistatur, vt contingit in Sacramento extremæ vntionis, quod gratiam non habeat causare, nisi in vltima vntione.

Sed hæc responsio communiter reicitur; nam cum hoc Sacramentum gratiam causet per manducationem, & prima sumptio, sit vera manducatio, sequitur, quod suam debeat

gratiam causare: præsertim cum hoc Sacramentum, sicut & cetera, gratiam causet per modum agentis naturalis, quod suum producit effectum in subiecto disposito, nec possit eius actio suspendi, vt patet de igne &c. Tum etiam, quia sequeretur, quod si Sacerdos duas consecrasset hostias, duabus sumptionibus sumendas, si sumpta prima moreretur, gratiam non reciperet. Nec exemplum extremæ vntionis conuincit, quia vt notauit N. Cornexus, cum D. Thomas, Sacramentum extremæ vntionis non est Sacramentum, saltem completè, ante vltimam vntionem, vel ante illam, cui contingit esse vltima m. At vero in nostro casu in prima sumptione, est verum Sacramentum, vtraque sumptio, est vera Eucharistiæ applicatio: hac ergò responsione relicta.

Respondetur cum N. Cornexo, concedendo maiorem argum. propositi, nimirum sequi ex nostra sententia dari aliquando Eucharistiæ sumptionem, sine gratiæ causatione, ac in exemplo allato de duplici sumptione, tunc enim



tēporis gratia causaretur per primam sumptionem, non per secundam, cum iam causatam inueniat, licet enim tam prima, quam secunda sumptio, sit vera manducatio, physicè à prima distincta, non tamen moraliter, & per consequens, idem effectus, licet physicè à prima causetur manducatione moraliter tamen causari censetur ab vtraque, quod intelligendum est, eadem continuata dispositione, nam si post primam sumptionem, nouam adderet Sacerdos dispositionem, vel nouam prioris intentionem, gratia maior produceretur; cum enim Sacramenta gratiā causent ad mensurā dispositionis, sequitur, quod noua posita dispositione, gratia noua, seu noua eiusdem gratiæ intensio, produci debet. Si tamen daretur calus, quod Sacerdos ille, dum primam facit sumptionem, esset in peccato mortali, & ante secundam iustificaretur, in secunda gratiam reciperet, cum productam non inueniret.

Secundum argumentum, gratia promissa est manducanti, & habenti carnem, & San-

guinem Domini, iuxta illud: *nisi manducaueritis*, &c. non per ipsum manducasse, & bibisse, sed per ipsum actuale manducate, & bibere, sed hæc non habentur in instanti terminatiuo, sed in motu illo successiuo, quo actu fit manducatio, & bibitio; ergò gratia nō datur, quando Sacramentum iam manducatum est, seu in eo instanti, in quo verum est dicere, *Nunc manducatum est*, sed in eo tempore, in quo actualis fit manducatio, &c.

Respondetur gratiam esse quidem promissam manducanti, & bibenti hoc Sacramentum, sed non dum fit actualis, & successiua manducatio, & bibitio, sed dum cōpletur, & terminatur, alioqui gratia successiuè daretur, quod esse non potest, cum nō habeat latitudinem successiuè percurrendam, sed sit omnino indiuisibilis. Tum quia non dicitur quis completè manducans, quandiu cibus non est in stomachum traiectus, dum enim actu traicitur, in statu viali, & imperfecto manducationis, homo esse dicitur. vnde si quis moreretur, ante  
quam



quam Sacramentum esset ita traiectum, gratiam non reciperet.

Tertia difficultas est, an Eucharistia gratiam causet non solum in eo instanti in quo verum est dicere, *nunc deglutita est*, verum & post ipsam deglutionem de qua res tres sunt sententiæ. Prima est quam defendit Sotus quæ probabilem reputat Nugnus hic art. 1. quod nimirum Eucharistia gratiam causet solum in eo instanti in quo verum est dicere. *Nunc deglutita est*; hanc sententiam acriter defendit N. Cornexus hic dubio 4. Secunda sententia est, quod hoc Sacramentum gratiam causet, non solum in instanti dicto, verum etiam toto tempore, quo durat in stomacho. Hanc sententiam docet Caietanus in hoc articulo, & alij post ipsum.

Nostra sententia media incedens via, sequenti explicatur conclusione. Potest Eucharistia Sacramentum gratiam causer, post illud instans, in quo verum est dicere, *Nunc Sacramentum deglutitum est*, non tamen toto tempore

illo, vel in aliqua illius parte, qua manet in stomacho, sed in aliquo instanti determinato, noua accedente dispositione. Quod hoc Sacramentum gratiam causet in eo instanti, in quo est deglutitum, iam præcedenti difficultate est probatum. Quod non possit gratiam causer in tempore, vel in parte illius subsequenti, eadem difficultate est tactum; nam cum gratia latitudinem non habeat successiuè percurrendam, cum sit indiuisibilis, & secundum suam entitatem, & secundum modum radicacionis in subiecto, sequitur, quod non possit successiuè, & per partes acquiri, sed solum tota simul, vt alibi probauimus.

Nec valet dicere cum aliquibus, quod licet prima gratiæ productio, fieri debeat in instanti, augmentum tamen illius, fieri possit in tempore; vt patet in eo, qui per horam in continua manet contemplatione, vel in actu continua tur dilectionis Dei. Nam cum & gratiæ entitas, & eius augmentum sit indiuisibile, sequitur, quod neutrum, per correspondentiam ad tempus, fieri



possit. Sed videantur quæ ali-  
bi diximus.

Quod autem Eucharistiæ  
Sacramentum gratiam produ-  
cere valeat in aliquo instanti  
determinato, noua accedente  
dispositione, post primum in-  
stans deglutitionis, probabilius  
tenet Nugnus hic, vbi dicit  
hanc sententiam tenere ali-  
quos modernos Thomistas,  
& hoc modo interpretari Ca-  
rietanum.

Probatur primo, quia licet  
gratia sit promissa, hoc Sacra-  
mentum, manducanti, non  
tamen ipsa gratia confertur  
ratione manducationis, sed  
ratione cibi manducati; non  
enim manducatio gratiam cau-  
sat, sed Sacramentum, quod  
manducatur; ergò dummodo  
manducatio supponatur, tan-  
quam conditio, ad talem gra-  
tiæ productionem necessaria,  
gratia produci poterit. Sed  
quandiu durat in stomacho,  
conditio illa supponitur; ergò  
gratia produci poterit, non  
quidem in tempore, cum in  
eo gratia produci nequeat,  
sed in aliquo determinato in-  
stanti, si cetera necessaria ad-  
sint, vt postea dicetur.

Probatur secundo, quia ci-  
bus istæ spiritualis causat om-  
nes illos effectus quos causat  
cibus corporalis; sed cibus cor-  
poralis, non solum suam cau-  
sat nutritionem cum primò su-  
mitur, verum etiam quandiu  
in stomacho manet; ergò eti-  
am cibus iste spiritualis. Ma-  
ior est Concilij Florentini de  
Eucharistia. Minor nota  
est in Philosophia. Conse-  
quentia ex præmissis benè se-  
quitur.

Probatur tertio, quia iste  
modus loquendi vt benè ad-  
uertit Nugnus, magis exaltat  
Dei misericordiam erga homi-  
nes, & magis extollit huius  
Sacramenti excellentiam; er-  
gò admitti debet.

Confirmatur ex illo Ioan. 9  
*Quandiu sum in mundo lux  
sum mundi;* ergò quandiu est  
Christus Dominus in homine  
realiter, medio Sacramento,  
illum illuminabit, per gratiæ  
infusionem. Certè videtur  
esse communis fidelium sen-  
sus, quod dum gratiæ auctor  
in nobis realiter manet per Sa-  
cramentum, dummodo ipsum  
solum non relinquamus, sed  
cum ipso vetè agamus, oran-  
do,



do, diligendo, pænitando, &c. quod etiam ipse sit nobiscum gratiam augendo, eiusdem gratiæ feruorem instaurando, nos in se ipsum magis incorporando, aliquam cælestis dulcedinis delectationē instillando, pro peccatis vitandis fortificando, vt in bono perseueremus vim tribuendo &c. Ideoque spirituales magistri volūt tempus post communionem, esse omni alio magis aptum, ad animæ nostræ negotia, cum Christo Domino pertractanda. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum est, quia ex nostra sententia sequeretur contingere posse, quod quis indignè, & sacrilegè, hoc Sacramentum suscipere posset, & deinde durantibus istis speciebus in stomacho, iustificari, & gratiam eiusdem Sacramenti recipere. Hoc dici nequit, cum esse videatur contra illud Apostoli 1. Cor. II. *Quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit Calicem Domini indignè, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini, & post pauca, qui enim manducat, & bibit indignè, iudici-*

*um sibi manducat, & bibit; quæ non dicerentur si manducatio, & bibitio huius Sacramenti, esse posset aliquando utilis, post sumptionem indignam.*

Respondetur concedendo maiorem; cum enim vt dicebamus, manducatio non sit nisi conditio præsupposita, ad causandam gratiam, & adhuc Sacramentum perseueret in stomacho, sequitur esse omnia requisita ex parte ipsius Sacramenti, ad hoc vt gratia causetur, & solum requiratur dispositio ex parte subiecti, quæ primo absuit, quæ si posita, durante Sacramento ponatur, suum producet effectum, cum prius productus non fuerit. Nec locus Apostoli aliquid euincit, cum solum velit hoc Sacramentum in mortali recipientem, mortaliter delinquere, & esse reum iudicij, quod nos vltro concedimus.

Secundum argumentum. Quoniam est nostra sententia sequeretur, melioris esse conditionis, qui maiorem specierum sumeret quantitatem, quam qui minorem; similiter melioris esset conditionis, qui



vinum generosius consecraret, quam qui minus generosum, & debile. Melioris esset conditionis, qui stomacho esset debili, quam qui forti: hæc omnia non minus absurda, quam ridicula sunt; ergo &c. Sequela patet, diu namque conseruatur Sacramentum in stomacho quando est in maiori quantitate; quando vinum est generosius; quando stomachum est debile; ergo si dum magis conseruatur in stomacho Sacramentum, plus gratiæ producitur, sequitur melioris esse conditionis, qui maiorem specierum sumeret quantitatem; qui vinum consecraret generosius; qui stomacho esset debiliori.

Respondetur cum Nugno, & aliis, nullum esse in conueniens, melioris esse conditionis, per accidens tamen, quia maiorem sumeret, specierum consecratarum, quantitatem, &c: si nouam subiiciat dispositionem; cum enim hoc Sacramentum gratiam causet, ad dispositionis mensuram, manducatione supposita, si semel dispositio multiplicetur, vel intendatur, maior causa-

bitur gratia, secus si eadem prorsus duret dispositio.

Tertium argumentum est, quia ex nostra sententia sequeretur, quod etiam sine nouæ dispositionis superadditione, posset gratiæ augmentum, in sequentibus instantibus, saltem determinatis, producere, hoc non dicitur; ergo neque id ex quo sequitur dici debet. Maioris sequela probatur, quia communicans ad hoc ut sit sufficienter dispositus, ad hoc Sacramentum suscipiendum, & ad gratiam illius recipiendam, sufficit quod sit in gratia, & humano modo hoc Sacramentum recipiat, & tunc erit magis dispositus, quo ampliorem habet gratiam; ergo per nouam, quam recipit gratiam, in instanti manducationis, fiet magis dispositus, ad ampliorem gratiam recipiendam, pro alio instanti durationis Sacramenti in stomacho; hæc secunda gratia magis disponet pro tertia, & sic deinceps. Nullus namque negare potest, quod qui maiorem habet gratiam, sanctitatemque maiorem, non sit magis dispositus ad hoc



hoc Sacramentum recipiendum, quam qui habet minorem.

Respondetur negando sequelam maioris, ad probationem dico, optimè procedere in ordine ad diuersas causas, vel ad eandem diuerso tempore applicatam, non vero respectu eiusdem causæ, eodem modo applicatæ; nam quando diuersa Sacramenta applicantur, vel idem diuerso tempore vel per diuersam dispositionem, semper ampliorem producit gratiam, supposita ampliori subiecti dispositione; at vero quando Sacramentum est semel applicatum, ampliorem non producit effectum, eadem durante applicatione. Exemplum habemus in lucido, quod primò applicatum, totum suum producit effectum, nec illum replicat, eadem manente applicatione; si magis applicetur, maiorem producet illuminationem, idem in nostro casu.

Quartum argumentum, quia ex nostra sententia sequi videtur, eum qui comunicauit teneretur peculati præcepto gratiam custodire toto eo tē-

pore, quo species consecratæ in stomacho perseverant, cum eo toto tempore, quoad aliqua determinata instantia, possint gratiam causare. Hoc non videtur dicendum; ergò. Maior patet, quia sicut comunicans tenetur gratiæ statum habere, quando primò comunicat, ut obicem producendæ gratiæ nõ ponat, ita & post, cum semper gratia noua produci queat. Minor ostenditur, quia comunicans gratiæ statum solum tenetur habere, quando hoc Sacramentum manducat; alioqui si quis communionis tempore erat in peccato, teneretur statim conterri, ut gratia queat produci; similiter si quis mortaliter peccet post communionem: durantibus speciebus teneretur dolere, ut nouæ gratiæ fructu, non priuetur, quæ omnia dura videntur, & contra fidelium existimationem.

Respondetur cum Vasquez quem refert, & sequitur Lugo hic disput. 12. sect. 2. num. 59. negando sequelam; ratio est quia quod species perseverantes in stomacho, nouem possint gratiam causare, non habent



bent hoc ratione perseuerantiæ præcisè, sed ratione nouæ dispositionis superadditæ, ad quam communicans non tenetur: vnde licet communicans peccet obicem primæ gratiæ ponendo, quia hæc per se produci à Sacramento interdicitur; non tamen ponendo obicem secundæ, vel terciæ, ad quam specialem ex vi communionis, non habet obligationem. vnde si quis in mortali communicet, non committit peccatum, si non curet conteri, vt gratiam Sacramenti recipiat sed idem peccatum perseuerat. Non reputo tamen Suarez sententiam improbabilem, quæ totam admittit sequelam.

Sed quæret aliquis, quid nomine dispositionis intelligatur, dum dicitur, hoc Sacramentum nouam posse producere gratiam, in aliquo determinato instanti, post primam assumptionem, noua accedente dispositione. Aliqui intelligunt actum nouum magis in-

tensum, vel nouam, & intensiorem deuotionem. Alii volunt sufficere continuationem prioris actus vel deuotionis: verius dicitur, præcisiuam actus continuationem, non sufficere, nisi per nouam aduertentiam veluti replicetur, & virtualiter alia fiat. alioqui, si eadem profus perseueret, licet respectu alterius receptionis, melior esset dispositio, cum melius sit in bono diu perseuerare, quam ab eo statim cessare, vt in tractatu de merito docuimus; tamen respectu eiusdem receptionis, non censetur dispositio noua, pro noua gratia danda; nisi aliquo modo innouetur. Similiter verius videtur non requiri actum intensiorem, sed sufficere quæcunque etiam remissiorem, dummodo bonus sit; quia ille actus licet remissus, licet minus bonus sit, addit tamen nouam meritum, nouamque bonitatem, & per consequens nouam affert dispositionem,



## QVÆSTIO II.

*Virum remissio peccati venialis sit proprius Eucharistia effectus; ubi alia curiosa  
resoluntur.*

**E**St adeo certum, quod per hoc Sacramentum peccata remittantur venialia, quod oppositum huius commiter reputatur erroneum, cū videatur esse contra Tridentini doctrinam sess. 13. cap. 2. & contra communem fidelium, & totius Ecclesiæ sensum, & Scholasticorum, arque Theologorum pronunciatum, benè verum est, ad hoc per se primo non ordinari, sed ad causandam gratiam spiritualis nutritionis, cum quo tamen stat, nobiliori modo; ac excellentiori, peccata venialia per hoc Sacramentum delori, quam per alia Sacramenta, & per Sacramentalia, licet enim Sacramenta alia, verbi gratia, Baptismus, Penitentia, & extrema unctio, magis habeant peccata venialia remittere, quam hoc Sacramentum, cum ma-

gis in particulari ad hoc ordinentur; hoc tamen Sacramentum nobiliori modo hoc facit; tum ob ipsius excellentiam supra alia; tum quia, proprius huius Sacramenti effectus, est gratiam causare, cum Charitatis fervore, cui maximè venialia opponuntur. Similiter licet Sacramentalia per se primo, adequatè, & in particulari ordinentur ad venialia delenda, inferiori tamen modo, Eucharistia, ut ex modo dictis liquet; & in hoc sensu peccatorum venialium remissio, est specialissimus huius Sacramenti effectus. Difficultas solum præsens est, an per hoc Sacramentum venialia dimittantur ex opere operato, an ex opere operantis, ratione nimirum actus, vel fervoris charitatis excitati.

Prima sententia est quod hoc Sacramentum peccata de-  
leat



leat venialia solum ex opere operantis ratione nimirum feruoris excitati: ita Soto apud Nugnum hic art. 4. conclusio-  
ne secunda.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Eucharistia, venialia delet, non solum ex opere operantis, verum etiam ex opere operato. Hæc conclusio est magis communis in scholis, illam sequitur Nugnus, Cornexus, & alii expositores hic, quos causa breuitatis non refero. Et licet prior sententia sit valde probabilis: hæc tamen est probabilior.

Quod hoc Sacramentum venialia deleat ex opere operantis, docent omnes cum D. Thoma hic art. 4. vbi in fine corporis habet. *Res autem huius Sacramenti est charitas non solum quantum ad habitum sed etiam quantum ad actum, qui excitatur in hoc Sacramento, per quod peccata venialia soluantur.*

Quod vero hoc Sacramentum deleat venialia ex opere operato, docet idem Angelicus, cuius ratio est; *Nam hoc Sacramentum sumitur sub spe-*

*cie cibi nutrientis; nutrimentum autem cibi est necessarium corpori, ad restaurandum id, quod quotidie deperditur per actionem caloris naturalis. Spiritualiter autem quotidie aliquid in nobis deperditur ex calore concupiscentiæ per peccata venialia. Et ideo conuenit huic Sacramento, ut remittat peccata venialia. Vnde, & Ambr. dicit in lib. de Sacram. quod iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidiana infirmitatis.*

Ex quo testimonio sic prima efformatur ratio. Ita se habet cibus spirituali, qui est Eucharistia, in ordine ad reparandum, quod calore concupiscentiæ amittitur per peccata venialia, sicut cibus corporalis ad reparandum, & restaurandum id, quod natiui caloris virtute deperditur. Sed cibus naturalis vi sua talem facit restorationem; ergo etiam cibus spiritualis vi sua talem facere debet restorationem; & per consequens ex opere operato. Cum quo tamen stat non esse ad hoc primario institutum, sed secundario vt de Sacram. in Gene-



re disput. vltima quæst. 2. docuimus.

Secunda ratio ex Tridentino desumitur Concilio, sess. 13 cap. 2. vbi dicitur. *Sumi autem voluit Sacramentum hoc tamquam spirituales animarum cibum, quo alantur, & confortentur vita illius qui dixit: qui manducat me, & ipse viuet propter me. Et tamquam antidotum quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præseruemur.* Nam si hoc Sacramentum directè. perse, & ex opere operato peccata non relaxaret venialia, non poneret Concilium illam differentiam inter mortalia, & venialia, quod nimirum à mortalibus habeat hoc Sacramentum præseruare, respectu vero venialium sit antidotum, quo ab illis liberemur; ergò &c.

Sed quæres primo, an ad hoc vt Eucharistia venialia relaxet, sufficiat nuda illius susceptio in gratia habituali, dummodo de illis nulla habeatur complacentia, an vero requiratur aliqua illorum retractatio. Respondetur requiri aliquam retractationem

vel displicentiã saltem virtualem, vel eminentialem, vel æquiualentem, quæ in voluntaria ipsius Sacramenti susceptione esse potest, cuius rei ratio est, quia sola gratiæ sanctificantis infusio, vel augmentum eius, nullam habet cum venialibus oppositionem; ergò venialium remissio, per solam nudam Eucharistiæ sumptionem non percipietur, nisi forte ob rationem tactam de Sacram. in Genere disput. vlt. quæst. 2. An autem communicans possit omnium venialium remissionem recipere. Respondeo affirmatiuè cum Angelico Præceptore in hoc art. ad 2. si nimirum communicans habeat de omnibus venialibus displicentiã virtualem. Quia tamen non infrequenter contingit, quod communicans sit inæqualiter dispositus, ita quod ei aliqua displiceant venialia, aliqua saltem virtualiter placeant; illa non occurrant memoriæ; hæc non inquirat, &c. ideo raro communicans omnium recipit venialium remissionem. Sed de hac difficultate videantur ea, quæ diximus de



Sacram. in Genere disp. vltima q. 1. & 2.

Quæres secundo, an hoc Sacramentum habeat remittere pœnas peccatis debitas: non procedit hoc dubium de hoc Sacramento, qua sacrificium est, de hoc enim infra, sed de hoc Sacramento, qua Sacramentum est. Et respondeo affirmatiuè, non quidem per se primo vt docet Angelicus; hoc enim est proprium huius Sacramenti, qua sacrificium est, sed per se secundo; cum enim pœna sequatur ad culpam eo modo habet hoc Sacramentum remittere pœnam, quo habet remittere culpam; vnde eo modo, quo habet hoc Sacramentum remittere, tum mortalia, tum venialia, eodem modo habet remittere pœnas correspondentes, ad mensuram tamen dispositionis, & iuxta proportionem illius.

Quæres tertio, an Eucharistia qua Sacramentum est, possit alijs ex opere operato prodesse. Et respondeo negatiuè; nam qua Sacramentum est, solum ordinatur ad sanctificandum suscipientem,

vt est generalis cuiusque Sacramenti ratio: Ex opere tamen operantis ad bonum aliorum ordinari potest, vt est fidelium vsus, propriam ordinantium communionem, ad proximi bonum, sicut & alia omnia opera bona.

Quæres quarto, an perseuerantia in gratia sit huius Sacramenti effectus ex opere operato. Et respondeo affirmatiuè, & colligitur ex illo Ioan. 6. *Hic est panis de Cælo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur;* & infra. *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Et colligitur ex Tridentino sess. 13. cap. 2. & ex eo constat, quod institutum est, tanquam cibus, & potus spiritalis, qui in conseruationem vitæ spiritalis ordinatur non minus, ac cibus, & potus corporalis, in conseruationem vitæ temporalis &c. sed de hoc videantur ea, quæ fusè docuimus supra disputat. 3. quæst. 3. solum hic vnum addo quod non solum ratione gratiæ, & auxiliorum, hoc Sacramentum perseuerantiam causat; ita quod, quotquot  
per.



perseuerant, in huius Sacramenti virtute perseuerant. Verum etiam ob alias rationes; prima fit, quia hoc Sacramentum spiritualem in anima causat dulcedinem, qua quodammodo homo inebriatur, & verituti insensibilis redditur ad tentationes diaboli, iuxta illud, *comedite amici, & inebriamini carissimi*, de quo effectu dulcedinis postea dicitur. Secunda fit, quia hoc Sacramentum dæmones fugat, qui concupiscentias excitare solent inordinatas. Unde Chrysostomus hom. 61. ad populum, habet. *Hic sanguis dæmones procul pellit, Angelos, & Angelorum Dominum, ad nos allicit;* quo sensu intelligitur illud Psal. 22. *Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos, qui tribulant me.* Tertia, quia quandam confert animi generositatem, ita vt nec ipsos dæmones timeamus, iuxta illud Chrysost. *Vt leones flammam spirantes, sic ab illa mensa discedimus, terribiles effecti diabolo.* Quarta, quia hoc Sacramentum quoddam lumen in recipiente producit, quo minuuntur prauis motus, vt

contingit Ionathæ 1. Reg. 14. melle gustato: & vt contingit duobus discipulis euntibus in Emaus, quibus aperti sunt oculi, & cognouerunt Dominum in fractione panis. Unde insignis prædicator, & huius Sacramenti deuotissimus Sanctus Vincentius Ferrerius ser. in octaua Corporis Christi dicit, quod sicut ex esu cibi vitii venerunt nobis hæc omnia mala, corporis infirmitates, febres, dolores, &c. & infirmitates animæ, pronitas ad malum, difficultas ad bonum, mala desideria &c. sic per huius cibi esum sanatur intellectus contra errores; voluntas contra mala desideria, memoria contra obliuionem beneficiorum Dei; sanat os ad vitanda mendacia &c. Quinta, quia diminuit fomitem, vt dicit D. Thomas hic art. 6. ad 3. in hæc verba. *Hoc Sacramentum non directè ordinatur ad diminutionem fomitis: diminuit tamen ex quadam consequentia, in quantum auget charitatem; quia sicut August. dicit in lib. 83. questionum: augmentum charitatis, est diminutio cupiditatis. Directè au-*



tem confirmat cor hominis in bono, per quod etiam præseruatur homo à peccato.

Quæres quinto an peccatum veniale huius Sacramenti fructum impediatur. Est certum, secundum quod omnes ferè Theologi docent, quod ad gratiam huius Sacramenti recipiendam, non sit opus actuali aliqua deuotione, vel attentione, etiam si semper ad illam omnes debeant conari, sed sufficiat gratia habitualis, seu sanctificans in homine baptizato. Est etiam certum, peccatum veniale, tum antecedens, tum concomitans Eucharistiæ summptionem, illius gratiæ effectum, nempe illius augmentum, non impedire; cum veniale peccatum, nullam habeat, nec cum gratia, nec cum illius augmento, oppositionem, tamen cum

oppositionem habeat cum charitatis feruore, impedit, ne gratiæ, & Charitatis feruor largiatur, & ne huius cibi dulcedo percipiatur. Difficultas solum aliqua esse potest an peccatum veniale, si sit huius Sacramenti finis, ut cum quis ex fine, vel motiuo vanæ gloriæ communicat, huius Sacramenti gratiæ effectum impediatur, qui est ex opere operato. Et respondeo breuiter, non impedire, siue enim peccatum veniale sit finis, vel solum circumstantia concomitans, effectus Sacramentales, si cetera adsint, non impedit, ut tradunt communiter Theologi in p. 2. in tractatu de peccatorum circumstantiis, de quo possunt videri N. Sal. ibidem videatur D. Thoma & eius expositores hic. ar. 8.



QV AESTIO III.

Quosnam alios effectus causet Eucharistiæ  
Sacramentum.

**A**lios effectus habet hoc sacramentum causare, & circa animam, & circa corpus. Circa animam duo alii præcipuè restant effectus explicandi, aliis multis, minus præcipuis, relictis; & sunt adeptio gloriæ, de qua dixit Christus. *Qui manducat hunc panem uiuet in æternum.* & actualis dulcedo, & delectatio, de qua dixit psal. 67. *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.* de quibus breuiter dico causari per hoc Sacramentum ex opere operato: de primo iam patet ex dictis supra de perseuerantia; quot quot enim perseuerant, & vitam consequuntur æternam ex huius Sacramenti virtute in genere causæ finalis habere: de secundo etiam ex dictis liquet, cum enim hoc Sacramentum feruorem habeat charitatis excitare, & hic dulcedinem, & delectationem,

sequitur, hoc Sacramentum habere hunc effectum, vi suæ susceptionis, nisi aliundè impediatur.

Effectus corporales varii sunt, & de præcipuis aliquid est dicendum. Primus est, an inter Corpus Christi, & Corpus susipientis, aliqua vera, & realis intercedat unio. Aliqui moderni quos supræssio nomine citat Nugnus hic art. 3. difficultate 2. dicunt per realem Eucharistiæ sumptionem, produci quasdam qualitates permanentes in corpore, quæ sint quædam participationes dotium beatorum, per quas communicans verè, & realiter coniungitur cû corpore Christi; ita quod, mediis illis qualitatibus; ex carne Christi, & ex carne communicantis fiat vna caro, de qua dici possit illud: *erunt duo in carne vna.* sed hæc qualitatium inuentio, omnino



nino fictitia est, vt benè aduertit auctor ille. Vt ergò certa ab incertis separentur, & veritatem aperiamus: Suppono, nō posse inter corpus Christi, & Corpus communicantis intercedere vnio hypostatica, vt omnes fatentur; neque vnio per continuitatem, neque per modum materiæ, & formæ, neque per modum subiecti, & accidentis, neque aliqua vera, & propria physica vnio. Similiter admittunt omnes intercedere quandam vnionem latè, quæ intercere dicitur inter res, quæ se contingunt; certum namque est, nos mediis speciebus tãgere Corpus Christi, vnde sicut medio hoc contactu vasa sanctificat, ad eum proportionalem modum, quodum esset in viuis sanctificabat vestes, ita media hac vnione contactiua, recipientes habebit sanctificare. Concedunt etiam communiter, intercedere aliquam vnionem moralem affectiuam, cum dignè communicante, quæ certè non intercedit, cum communicante indignè, licet enim vtrique medio Sacramento approximetur, tamen hæc approxima-

tio in indignè communicante, moraliter vnio non censetur; benè cum communicante dignè: difficultas est, an vltra hanc vnionem affectiuam inter dignè communicantem, & carnem Christi, intercedat vnio tã arcta vt ex carne Christi, & nostra fiat vna caro, nō physicè, sed moraliter, eo proportionali modo quo caro coniugū post matrimonium consumatum, vna caro dicitur; ita quod, sicut caro vxoris, caro vini reputatur, & è contra, ita pariformiter, caro nostra, caro Christi reputetur, & è contra. Et respondeo affirmatiuè; ita Suarez, Vasquez, hic, & aliis omnes de hac rescribentes, vnde non vidi aliquem oppositum huius defendentem. videatur Lugo disput. 12. sect. 5. numer. 179. Plures Patres manu longa referunt Suarez, & Vasquez, qui possunt in illis videri.

Pro plena tamen huius vnionis intelligentia, nota, hanc inter carnem Christi, & nostram vnionem, appellari quandoque à Patribus corporalem, realem, naturalem, substantialem; non quod talis physicè sit,



fit, sed quod moraliter talis reputetur, vt dixi de carne viri & vxoris; confurgit enim hæc vnio ex mutuo amore inter Christum, & communicantē; vnde sicuti inter virum, & vxorem manet hæc vnio, etiam copula transacta, ita hæc moralis vnio inter carnem Christi, & nostram manet, post illam vnionem factam, per contactū receptionis, & tamdiu manere censetur, quamdiu homo gratiam receptam conseruat.

Et hoc est radix, & fundamentum secundi effectus corporalis, nimirum gloriose nostrorum corporum resurrectionis, vt idem Dominus promisit Io. 6. Corpus suum manducantibus. *Et ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Nam si per communionem, caro nostra fit caro Christi, modo explicato; ita quod illam suam reputet, & *nemo carnem suam odio habeat*, vt loquitur Apostolus Ephes. 5. sed potius diligat, foueat, & quantum fieri potest conseruet; fit quod Christus Dominus carnem nostram, tamquam suam diligat; & per consequens, sicut ipse

in carne propria surrexit; eandem resurrectionem nobis donabit; ideoque Patres dicere solent, per dignam Eucharistie sumptionem, carnem nostram ad immortalitatem præparari. Per oppositum indigna huius Sacramenti sumptio, ad mortem etiam temporalem, habet disponere, iuxta illud Apostoli: *Propter quod multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.* Vnde plures dicunt dignam huius Sacramenti sumptionem, etiam corporis robur, in ordine ad vires spirituales acquirendas quandoque conferre, ad eum proportionalem modum, quo Extrema vnctio, habet corporis sanitatem conferre, si sit expediens. Causatur etiam ex redundantia dulcedinis spiritualis, in anima dignè, & deuotè communicante, quædam lætia, & hilaritas cordis, iuxta illud: *cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Sed de hijs, & alijs similibus effectibus videatur N. S. P. Cyrillus in capit. 6. Io. & D. Io. Chrysostomus hom. 45. & 61. in Io. & alibi.



# DISPUTATIO DECIMAQVARTA

*De sumptione Eucharistiæ in communi, & præceptis annexis.*

**H** Vnc titulum ponit D. Thomas quæst. 80. & in articulo 1. doctrinam tradit præambulam pro tota quæstione. Pro quo nota, Tridentinum sess. 13. cap. 8. tres distinguere modos, quibus hoc Sacramentum manducatur. Primus est Sacramentalis, quo modo manducatur à peccatoribus, qui verum sumunt Sacramentum, non tamen eius percipiunt fructum. Secundus est spiritualis tantum, quo modo ab iustis manducatur hominibus, quando fide, viua, & integra illud recipiunt, & dicitur manducari in voto, & desiderio. Tertius est spiritualis, & Sacramentalis simul, quando ni-

mirum realiter à iustis recipitur. Addunt aliqui, & benè, quartum modum, ex Subtili Doctore, sumendi, vel manducandi hoc Sacramentum, realiter tantum; vt quando manducatur à brutis, ab hominibus rem quam sumunt esse Sacramentum ignorantibus, qui modus non dicitur propriè Sacramentalis, quia tunc temporis non attingitur formaliter Sacramentum, vt Sacramentum est, cum ratio signi non percipiatur, sed solum vt est quidam cibus, & alimentum naturale. Hos omnes modos reuocauit Angelicus Doctor ad duos, spiritualementem scilicet, & Sacramentalem; nam sub spirituali manducatione

com.



comprehendit spiritualē, & Sacramentalem simul; & sub Sacramentali, realem. Sed ut omnia quæ hic tractan-

tur à D. Tho. & ab eius expofitoribus suo ordine percurrantur, fit.

## QV AESTIO I.

*An solus hominis viatoris fit, hoc Sacramentum spiritualiter sumere.*

**N**on loquimur de spirituali manducatione, & Sacramentali simul, de hac enim postea dicetur, sed de spirituali dumtaxat; quæ duplex esse potest; vna, qua per expressum sumitur desiderium, ut cum quis non valens communicare, hoc facere desiderat, id ipsumque peroptat: altera, qua, quis per cognitionem, & affectum erga Sacramentum versatur, non quidem per ordinem ad illius sumptionem, quia sibi possibilis non est, sed ob purum affectum ad illud. In primis certum esse debet, solius hominis viatoris esse, hoc Sacramentum spiritualiter sumere per expressum votum, seu deside-

rium: cum enim hoc desiderium sit efficax, relationem dicit, ad expressam huius Sacramenti sumptionem, & ad potissimum illius effectum, qui est gratia, quæ solis viatoribus conferri possunt; Sacramenta namque pro solis viatoribus sunt instituta, ut de Sacramentis in Genere docuimus. Cum enim Sacramenta sint quædam spirituales medicinæ, pro eo solo statu dari possunt, ubi spirituales sunt ægri tudines. Tum quia, *Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma*, quod respectu beatorum non contingit, cum hoc præsertim Sacramentum videant in Verbo.

Difficultas solum esse potest



est de secunda spirituali manducatione, an nimirum esse possit in beatis; & non videtur posse negari, quod hæc non possit esse in beatis hominibus; nulla namque repugnantia est quominus homines beati, ex affectu erga hoc Sacramentum, non desiderēt illud, desiderio inefficaci quovellent, si possent, illud sumere. Vnde ad solos Angelos præsens nos vocat difficultas.

Est prima aliquorum sententia pro qua stare videtur etiam Franciscus Suarez, & Cornexus hic artic. 1. quod Angeli non possint hæc spirituali frui manducatione.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Possunt Angeli, desiderio inefficaci appetere huius Sacramenti sumptionem. Hæc est expressa D. Thomæ sententia, hic art. 1. ubi habet: *Dupliciter contingit manducare spiritualiter ipsum Christum; uno modo prout in specie consistit, & hoc modo Angeli manducant ipsum Christum, in quantum ei uniuntur fruitione unionis charitatis perfecta, & visione manifesta (quem panem expe-*

*ctamus in patria) non per fidem, sicut nos hic ei unimur: alio modo contingit spiritualiter manducare Christum prout est sub speciebus huius Sacramenti, in quantum scilicet aliquis credit in Christum cum desiderio sumendi hoc Sacramentum; & hoc non solum est spiritualiter manducare Christum, sed etiam spiritualiter manducare hoc Sacramentum, quod non competit Angelis. Vbi ut vides Angelicus Doctor solum vult Angelos non manducare spiritualiter hoc Sacramentum per fidem, & desiderium efficax sumendi illud, & subinde admittere videtur posse Angelos manducare spiritualiter hoc Sacramentum, desiderio illo inefficaci, & velleitate. Vnde D. Thomam sequuntur eius discipuli; videatur Nugnus hic art. 2, qui subinde dubitat an in Angelis per hanc spiritualem, & conditionatam manducationem augeatur gratia, & gloria, de quo postea.*

Probatur primo conclusione desumpta ex præcitato D. Thomæ testimonio. Angeli manducant Christum, n.

Do-



Dominum spiritualiter in propria specie, in quantum ei uniuntur vnione charitatis perfectæ, & visione manifestæ; sed per eandem charitatem perfectam, & visionem manifestam uniuntur Christo Domino in Sacramento; ergò etiam prout in Sacramento dici debent manducare Christum non quidem amore, & desiderio efficaci, quia hoc non est sibi possibile, sed voluntate illa conditionata, seu desiderio illo inefficaci. Maior est D. Thomæ, & clarissima; Minor probatur, nam Angeli Beati in Diuina essentia vident hoc Sacramentum, seu vident Christum Dominum sub speciebus existentem, & modum quo sub illis existit; ergò debent cum eo vniri vnione charitatis, & visione manifesta. Consequenter tenet; implicat enim Angelum videre in Diuina essentia Christum Dominum Sacramentatum, & omnem modum eius, & non vniri illi per amorem, seu illum vt sic non diligere. Antecedens est D. Thomæ supra quæst. 76. artic. 7. in corpore vbi habet: *Quia*

*enim modus essendi quo Christus est in hoc Sacramento est penitus supernaturalis, à supernaturali intellectu, scilicet Diuino secundum se visibilis est, & per consequens ab intellectu beato, vel Angeli, vel hominis, qui secundam participatam claritatem Diuini intellectus videt ea que supernaturalia sunt; visione Diuina essentia.*

Probatur secundo, nam & Angelus & homo possunt affectu in efficaci appetere etiã impossibile; ergò etiam si Angeli cognoscat sibi esse impossibile, realiter manducare corpus, & Sanguinem Domini, affectu tamen inefficaci, id appetere poterunt. Consequenter ex Antecedenti benè sequitur, ipsum vero Antecedens, tum ratione, tum exemplo ostenditur; ratione quidem, quia affectus inefficax & conditionatus, rei executionem non respicit, sed eius possibilitatẽ sub conditione tamen, si esset possibilis; ergò parum refert in ordine adhuc affectum, quod res sit, vel non sit possibilis, cum conditio nihil ponat in esse. Exemplo etiam idem Antecedens ostenditur.



Primò quidem quia Sancti Patres non infrequenter dicunt Angelis ita passiones pro Christo Domino susceptas placere, quod quodammodo nobis inuideant, qui illas sustinemus; ad easdem passiones, ita efficiuntur, ut si illas sustinere valerent, id exquererentur. Secundò, exemplo nostri, qui cum de nostris dolemus peccatis, taliter afficimur, quod si possemus facere, quod peccatum non fuisset, faceremus, qui enim de proprijs dolet peccatis, vellet illa non commississe, quod tamen est impossibile.

Confirmatur, nam homines ante huius Sacramenti institutionem, manducationis illius capaces non erant, & tamen dicuntur illud spiritualiter manducasse, per fidem, & desiderium explicitum, vel implicitum, ergo idem de Angelis dici potest, quoad desiderium conditionatum; quod enim incapacitas oriatur, ex parte subiecti, vel ex parte obiecti perinde videtur, in ordine ad hanc spiritualement, sed conditionatam, sed inefficacem, manducationem.

Sed Quæres primo: An Angeli per hanc spiritualement, & conditionatam manducationem aliquid mereantur. In hoc omnes conuenire debent, quod nec Angelus, nec vllus beatus per nullum actum bonum, possint sibi promereri, nec gratiam, nec gloriam essentialem, nec horum augmentum; cum non sint in statu merendi, ut in tractatu de merito, ostendimus. Est etiam certum, quod beati in cælo quotidie ex meritis Christi, nouas recipiant illustrationes, licet enim dissidium sit inter Theologos, an Angeli primã receperint gratiam ex meritis Christi, aliquibus affirmantibus, aliquibus negantibus, ut Nugnus hic; & aliquibus, & melius distinguantibus, ut Cepulla 3. part. quæst. 19. art. 4. dub. 2. nimirum, quod gratia ut primo volita, fuit datu Angelis, sine intuitu meritorum Christi; tamen post præuisionem meritorum Christi, fuit illis eorundem meritorum Christi intuitu, iterum volita, & per consequens, quidquid fuit Angelis beatis datum, post intuitum, seu præuisionem

meri-



meritorum Christi, eorundem meritorum intuitu concessum fuit; & sic supposito, quod Angeli, spirituales illas exerceant manducationes, promerebuntur aliquid gloriæ accidentalis, meritorum Christi Domini intuitu concedendum.

Quæres secundo, an quando fidelis habet huius Sacramenti votum explicitum, seu quando spiritualiter, primo modo communicatur, fructum Sacramenti recipiat. Sanctus Thomas hic art. 1. ad 3. sic factur: *Effectus Sacramenti potest ab aliquo percipi, si Sacramentum habeat in voto, quamvis non accipiat in re, & ideo sicut aliqui baptizantur baptismo fluminis propter desiderium baptismi antequam baptizentur baptismo aquæ: ita etiam aliqui manducant spiritualiter hoc Sacramentum, antequam Sacramentaliter sumant. Sed hoc contingit dupliciter: uno modo propter desiderium sumendi hoc Sacramentum, & hoc modo dicuntur baptizari, & manducare spiritualiter, & non Sacramentaliter, illi qui desiderant sumere hoc Sacramenta*

*iam instituta. Alio modo propter figuram, ut antiqui Patres &c. Nec tamen frustra adhibetur Sacramentalis manducatio, quia plenius inducit Sacramenti effectum ipsa Sacramenti susceptio, quam solum desiderium. Et Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 8. loquens de spirituali huius Sacramenti manducatione dicit: Alios tantum spiritualiter, illos nimirum, qui voto propositum illum caelestem panem edentes, fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum eius, & utilitatem sentiunt.*

Propter Tridentini, & D. Thomæ Testimonium dicunt aliqui communionem spirituales habere hoc speciale privilegium, quod gratiam huius Sacramenti propriam; ex opere operato producat; sed non bene, non enim huius Sacramenti votum, vel desiderium, quantumvis efficax, seu communio spiritualis, habet gratiam, vel augmentum illius, ex opere operato producere; nihil namquæ datur in Dei Ecclesia, quod gratiam habeat operato producere, nisi sa-



cramenta . Vnde aliter dicendum est, nimirum communionem spiritualem habere gratiam producere huius Sacramenti, in Genere causæ finalis; eo quod, vt docet Angelicus supra q. 73. art. 3. & nos ibi cum illo docuimus, cū hoc Sacramentum sit omnium Sacramentorum finis, omnia gratiam causantia, siue ex opere operato, siue ex opere operantis, vt est huius Sacramenti, viuum desiderium, ab hoc Sacramento, tamquam à fine mouentur, & gratiam causant. Potest etiam dici, quod spiritualiter comunicās gratiam huius Sacramenti recipiat, non quidem effectiuè, sed obiectiuè, in quantum quod gratiam quam per talem recipit communionem, (ex opere quidem operantis) recipit per

ordinem, per votum, per desiderium, huius Sacramenti; imo aliquando maiorem, quā per ipsam actualem sumptionem; si charitatis feruor sit valdè intensus, & alter valde remisse, hoc Sacramentum recipiat. Adde esse etiam valde credibile, quod spiritualiter communicans, præsertim quando hoc præstat, ex magno charitatis feruore, accipiat fructus huius Sacramenti secundarios, merito non condigno, sed congruo, aut impetratoriè. Deus namque ob huius Sacramenti reuerentiam, potest illi sic communicanti, concedere tentationum victoriam, spiritualem animæ dulcedinem, intellectus illuminationem, affectus deuotionem &c.





## QVAESTIO II.

*Quinam sint capaces Sacramentalis, huius Sacramenti manducationis.*

**V**arii facere olim errores circa Sacramentale Eucharistiæ manducationem. Nam aliqui quos refert, & benè impugnet doctor Sanctus art. 3. dixerunt quod solum iusti hoc Sacramentum sumunt non peccator, sed statim ac labiis peccatoris contingitur, statim sub speciebus esse desinit. quod est contra illud Apostol. 1. cor. 11. *Qui manducat, & bibit indignè.* Alii dixerunt Corpus Christi in Sacramento, neque à iustis neque à peccatoribus manducari; sed statim ac species ad stomachum traiciuntur Corpus Christi in Cælum auolare, qui error damnatus fuit ab Inquisitoribus Cathaloniz iussu Gregorii 11. vt refertur in directorio Inquisitorum par. 2. quæst. 10. Alii dixerunt quod quando Eucharistia euomitur ibi esse desinat Corpus Chri-

sti, quod etiam tenuit quædam glossa cap. *tribus* de consecrat. dist; 2. quæ sententia damnatur cap. *si quis exomuit*; vbi determinatur, quid eo casu agendum sit. Alii denique dixerunt Corpus Christi desinere sub Sacramento, quando in locum fædum proicitur, vel ab aliquo bruto deglutitur; quæ etiam sententia damnata est in directorio Inquisitorum loco citato. His ergò, & aliis relictis erroribus, cum certum sit Corpus Christi tamdiu sub speciebus manere, quamdiu substantia panis maneret, & ab omnibus illis materialiter sumi à quibus substantia panis sumeretur, si ibi adesset, ad capacitatem Eucharistiæ Sacramentalem; sed formalem accedimus: inquirentes, quinam sint capaces recipiendi Eucharistiam cum fructu. Et primo quæritur, vt clarius proceda-



cedamus, an infantes baptizati ante vsum rationis, sint huius Sacramenti capaces, ita vt si illis daretur, vt daretur antiquitus prout refert Tridentinum sess. 21. cap. 4. gratiæ effectus in illis causaretur.

Prima est de hac re sententia, quod paruuli ante rationis vsum, & idem dicunt (est enim eadem vtrorūqueratio) de perpetuo amentibus, non sunt huius Sacramenti effectus capaces; hanc sententiam sequitur Caietanus post Alex Maiorem, & alios apud Vasquez disp. 212. cap. 2.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Paruuli ante rationis vsum, & idē est de perpetuo amentibus, sunt fructus huius Sacramenti capaces. Hanc sententiam defendunt communiter Theologi hic, & art. 9. videatur Nugnus ibidem, Lugo disput. 13. sect. 2. & alij. Constat primo, ex praxi, & vsu aliquarum Ecclesiarum, vt docet Tridentinum loco citato, vbi docet Sanctissimos illos Patres huius facti probabilem habuisse causam, pro illius temporis ratione.

Probatur conclusio ratione: nam quidquid est capax generationis materialis, est etiam capax nutritionis materialis, inde augmentationis; ergo pariformiter quid quid est capax generationis spiritualis erit etiam capax nutritionis spiritualis. Sed infantes ante rationis vsum, sunt capaces generationis spiritualis, quæ est per Sacramentum Baptismi, vt de hoc Sacramento agentes ostendimus; ergo etiam capaces erunt nutritionis spiritualis, quæ per Sacramentalem Corporis Christi manducationem exequitur. Quæ ratio magis elucidata manebit ex argumentorum solutionibus.

Primum argumentum desumunt ex illo Apostoli 1. cor. 11. *Probet autem se ipsam homo & sic de pane illo edat, & de Calice bibat* Sed non habentes vsum rationis, non possunt se ipsos probare; ergo huius Sacramenti capaces non erūt Respondetur loqui Apostolū de adultis, rationis vsum habentibus, qui sibi peccati lethalis consciī sunt, vt se ipsos probent, seu a mortali peccato



cato purgant, antequam ad Christi Domini mensam accedant; de quo postea.

Secundum argumentum; quia hoc Sacramentum est institutum per modum cibi, ad restaurandum, quod per fomitis prauitatem deperditur; sicut cibus materialis, est ordinatus ad restaurandum, quod virtute natiui caloris deperditur, sed in infantibus ante rationis usum fomitis prauitas nihil operatur; ergo hoc restaurante non indigent; & per consequens nihil operabitur, &c. Respondetur hoc argumentum solum probare, infantes ante rationis usum, hoc spirituali cibo non indigere, ad restaurandum, quod deperditur; non tamen probat, quod non posset inferuire ad substantiale, vt ita dicam augmentum, cuius est capax infans ante rationis usum, producendum. Alioqui adultus, in quo nihil supernaturale deperderetur, vt fuit B.V. huius Sacramenti capax non esset.

Tertium argumentum. Sacramentum Eucharistiæ non prodest ei qui in gratia existens, casu, & per ignorantiam, hoc

Sacramentum sumit, putans esse panem communalem; ergo neque infantibus prodesse potest.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam, ratio discriminis est, quia in adulto aliqua voluntas requiritur, tum ad hoc, tum ad alia Sacramenta recipienda, vt de Sacramentis in Genere docuimus; secus in paruulis; sicut enim isti, sine propria voluntate sunt aliorum capaces Sacramentorum, ita & huius.

Quartum argumentum, quia in suscipiente Sacramentum, aliqua intentio requiritur, in adultis propria, in paruulis Ecclesiæ; sed paruuli ante rationis usum, nec propriam, nec Ecclesiæ habent intentionem; ergo non sunt Sacramenti huius, quo ad eius effectum, capaces. Maior est commune Theologorum proloquium. Minor probatur, nam Ecclesia id ipsum prohibet, vt constat ex Tridentino loco citato; ergo non adest Ecclesiæ intentio.

Respondetur cum Suarez, quem hic refert, & sequitur



Lugo disput. 13. sect. 2. num. 21. quod ad hoc ut paruulus sit Sacramenti capax, non requiritur intentio Ecclesiæ, pro ut Ecclesia accipitur, ut est membrorum Christi congregatio, per exclusionem Christi capitis. Nam si Ecclesia hoc modo accepta, nullo modo vellet, nec quoad licitum, nec quoad validum, hoc Sacramentum infantibus ministrari, adhuc hoc Sacramentum, suum in illis produceret effectum, tunc enim temporis Christi instituentis intentio sufficeret, qua voluit hoc Sacramentum per modum causæ physicæ, suum producere effectum in non ponentibus obicem; dummodo contraria non præsumatur intentio. Per quæ patet ad maiorem. Ad minorem dico bene posse Ecclesiam prohibere, quod Eucharistia paruulis non concedatur, & adhuc habere intentionem valoris illius, si contra talem prohibitionem detur; aliud namque est, actum prohibere, & aliud irritare. Prohibet Ecclesia ne baptizentur infantes infidelium non subditorum, non tamen factum

annullat, dato quod annullare posset. Prohibet ne ordinentur infantes, non tamen irritat ordinationem.

Hinc soluitur dubium de quo alias interrogatus fui, ob calum occursum Gorgonzolæ, quod est Opidum, Mediolano duodecim miliaribus supra Abduæ Navigium, distans. Quidam puer manducare solebat fragmenta, quæ illi à Sacrista dabantur, ex præparatione Hostiarum, & formularum, pro secularibus consecrandarum, relicta: assuevit puer: vna die Ecclesiæ foribus clausis, accessit ad Sacrarium, & cum apertum inuenisset, omnes sacratas formulas, quæ in magno erant numero, pro sequenti festo distribuendæ, furtim sumpsit; iterum Sacrarium clausit, & discessit: & cum magnum rurem sparsum audiret, quod fortè aliquis hæreticus Sacramentum fuisset suffuratus, ipse liberè confessus fuit se, non hæreticum, illum panem, ut dicebat, benedictum comedisse. Fui ergo interrogatus an ille puer gratiam ex tali manducatione receperit, &



respondi, sicut & communiter respondebant Theologi, affirmatiuè, quam postea responsionem inueni in Lugo hic num. 23. Ilamberto art. 1. disput. 4. ad quæstionem 80. præsentem D. Thomæ; è contra tamen contingeret in habente vsum rationis, quia in hoc præsumitur non habere intentionem hoc Sacramentū recipiendi, nisi eo modo, quo fideles recipere solent, & sic cum in isto contraria intentio præsupponatur, gratia non produceretur, nec in eo Christi, vel Ecclesiæ intentio suffragabitur. Quid autem dicendum sit de illis amentibus, qui aliquando rationis vsum habuerunt, sequentis difficultatis resolutio explanabit.

Difficultas secunda; an furiosi, & amentes adulti baptizati, sint capaces Sacramentalis communionis. Sunt amētes in triplici differentia, alij sunt perpetuo amentes, ita quod nusquam illis rationis radius illuxit. Alij sunt, qui licet aliquando rationis vsum habuerint, in perpetuam tamen inciderunt amentiam. Alij qui lucida habent inter-

ualla. De primis amentibus iam patet ex dictis pro præcedenti difficultate, licet enim hoc Sacramentum recipere prohibeantur, si tamen illud semel recipiant, illius fructum recipient: est communis Theologorum sententia. Si vero de illis loquamur amentibus, qui post rationis vsum in perpetuam inciderunt amentiam & non constat tunc temporis, in peccato fuisse lethali, sunt huius Sacramenti capaces, cum de illorum intentione facile præsumi possit. Quod si loquamur de illis amentibus qui lucida habent interualla, eorum est exploranda voluntas quando talia habent interualla.

Tertia difficultas est, an Energumēni sint huius Sacramenti capaces. Et respondeo non esse Energumēnis Eucharistia deneganda vt tradunt Theologi. Primo quia propter gratiæ augmentum efficitur, vt dæmones facilius eiciantur. Secundo quia ex tali Eucharistiæ fructu, iuuabuntur ad patienter, & cum fructu eiusmodi vexationem, & laborem sustinendum. Tamen



diligenter est seraper aduertendum, ne in communione recipienda, aliqua adsit irreuerentia, aut periculum vomitus.

Quarta difficultas, an mortis supplicio adiudicati sint capaces Eucharistiæ suscipiendæ. Et affirmatiuè respondetur, vt constat ex motu proprio Pij V. an autem sit præceptum de danda Eucharistia huiusmodi supplicio adiudicatis, infra dicitur.

Quinta difficultas, an adul

ti, qui debilem habent rationis vsum, sint Eucharistiæ capaces. Et respondetur affirmatiuè; licet enim possit prudentis iudicio per aliquod tempus, verbigratia duos, vel tres annos differri, donec maiorem habeant discretionem, & huius Sacramenti maiorem cognitionem, tamen si post hanc probationem, in eadem iudicij debilitate persistant, vt dicunt de aliquibus Indis, non sunt communione priuandi, vt docet D. Thomas art. 9.

### QVAESTIO III.

*An liceat frequentius communicare.*

**P**lures difficultates in presenti quæstione resoluentur, Prima est, an licitum sit quotidie communicare. Et respondeo affirmatiuè dummodo dispositus ille sit, pro tanto Sacramento recipiendo; id namque in primitiua Ecclesia fiebat, vt ex illo Actuum Apostolorum colligitur: *erant perseverantes in fractione panis*. Prudentis

tamen confessarij iudicium erit, qui examinata penitentis sanctitate, puritate, seruore, fructu, iudicium ferret, nec in hoc est diu insistendum, vt aliqui plusquam oportet faciunt, & tandem quod nos diximus resoluunt.

Secunda difficultas, an possit quis licitè in die Parasceues communicare. Et respondeo communem vsum esse



se eo die non communicare, tamen de hoc nullum in contrarium extat præceptum, nec auderem damnare oppositum facientes: facilius permitterem priuatim, quam publicè.

Tertia difficultas, an aliquando licitum sit pluries in die communicare. Certum omnino est quod considerando secundum se, & præcisè prohibitionem, sacram communionem, non est illicitum illam pluries in die replicare: cum enim hoc Sacramentum sit institutum per modum cibi, & potus, & iste in die replicetur, sequitur quod huius naturæ præcisè attendita, replicari possit. Quia tamen Ecclesia iustis de causis, id prohibuit, vt constat ex cap. *consuluisi* extra de celebratione missarum, vbi excipitur Parochus duas curas habens, & dies Natalis Domini, quoad Sacerdotes celebrantes, ideo per se loquendo id non licet.

Per accidens tamen id licet. Primo tempore irreptionis hostium fidei, tunc enim

ad euitandum irreuerentiæ periculum poterit, qui eo die communicauit, Sacramentum sumere, tunc enim temporis superior currit obligatio vitandi huius Sacramenti contemptum, Similiter si contingeret Sacerdotem mori consecratione peracta, ante tamen sumpcionem, & nullus esset Sacerdos, qui species panis, & vini consumeret, posset id fieri à laico, etiamsi prius communicasset, imo etiam si ieiunus non esset, quando conseruari non possent, nisi cum irreuerentiæ periculo; imo addit Vasquez, cum solo periculo ne species acefiant.

Secundo si quis mane communicauit, & postea cadat in periculum mortis, poterit iterum communicare. Addit Diana tract. 3. resolut. 33. partis quintæ, ad id etiam moribundum teneri; sed non placet; per primam namque communionem, censetur suæ satisfecisse obligationi, de communicando pro mortis articulo, sed de hoc infra.



## QVAESTIO IV.

*Virum sit peccatum veniale communicare in veniali.*

**S**upra disputatione 13. quæst. 2. §. quæres 5. docuimus peccatum veniale siue habituale, siue actuale, siue sit circumstantia finis, siue præcisè concomitans non impedire huius Sacramenti effectum. Modo quærimus an sit peccatum veniale communicare in veniali. Est certum, quod quando quis taliter in veniali communicat, quod ipsum veniale sit finis eiusdem communionis, vt cum quis ob motuum vanæ gloriæ communicat, quod sit peccatum veniale. Videtur etiam mihi certum, peccare eum venialiter, qui pluribus grauatus venialibus ad sacram accedit communionem, aduertens se ita esse grauatum; & tamen, sine vlla de illis displicentia, ad communionem vult accedere, tunc enim temporis aliquis saltem leuis, & virtualis contemptus intercedere vide-

tur, & subinde culpa venialis. Similitet mihi valde certum, videtur, eum peccare venialiter communicando, qui aduertens se esse maxime distractum non curat de aliqua recollectione, cum id possit faciliter facere, & nulla necessitas adfit communicandi. Item puto eum peccare venialiter, qui ad sacram accedit mensam, & panem comedit Angelorum, cum affectu actuali, & formaliter ad aliquod veniale, vt si quis cum actuali cogitatione, & affectu dicendi mendacium post communionem ad communicandum accedat; negari namque non potest, quin ultra mendacii peccatum non committat aliquam saltem leuem irreuerentiam erga Sacramentum veritatis. Si vero talis affectus esset solum virtualis, putat Nugnus esse probabilius quod nullum aliud committatur peccatum; vt si quis ante-



antequam ad sacrum accederet, deliberavit dicere post sacrum vnum mendacium, & subinde præparans se ad mensam, nihil de illo veniali committendo cogitans, virtualiter tamen in tali perseverans, Sacrum perficit: iste, inquit Nugnus, nouum non committit peccatum irreuerentię, aliqui oporteret dicere, quod ad hoc vt quis non peccet venialiter, communicando, oporteret non habere animum nunquam venialiter peccandi quod nimis rigorosum videtur.

Modo difficultas est, an habens aliqua venialia de quibus nec habet displicentiam, nec complacentiam, & cum illis ad communicandum accedit, peccet venialiter,

Est prima sententia affirmatiua Maioris in 4. dist. 9. qu. 1. Ricard. art. 2. quæst. 1. Adriani qu. 1. de Confessione, & aliorum.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Communicans cum venialibus communionem antecedentibus, de quibus nec displicentia, nec

complacentia habetur, non est peccatum.

Hanc sententiam optimè defendit Nugnus hic ar. 4. difficultate prima, & alii plures.

Probatum primò, quia nemo peccat in eo quod nõ præstare tenetur; sed nullus sine venialibus nouis ad Sacram tenetur accedere communionem; ergo etiam si videat; se ad communionem accedere cum aliquibus venialibus nouis, dummodo de illis actualement non habeat complacentiam, non peccabit, sic accedendo. Maior ex se pater. Minor probatur, nam si homo sine venialibus nouis ad hoc Sacramentum accedere teneretur, vel hoc esset ob reuerentiam Sacramento debitam, vel ne Sacramenti effectus impediatur. Non ob reuerentiam, quia Deus non requirit ab homine communicante, nisi reuerentiam humanam, exigere autem conscientiam ab omni peccati venialis labe mundatam, est aliquid supra humanum exigere; ergò & c. Neque hoc esse potest, ne Sacramenti effectus im-



impediatur; nam vt constat ex alibi dictis, & tradunt Theologi omnes, huius Sacramenti effectus, ex venialibus nouis non impeditur; ergo &c.

Probat<sup>r</sup>ur secundo ex inconuenienti, quod alias sequeretur, nimirum quod soli viri sanctissimi, & perfectissimi possent ad hoc Sacramentum accedere sine venialibus nouis: quod videtur esse contra illud Augustini tractat. 16. in Io: *Innocentiam ad altare portare, peccata etsi sint quotidiana, non sint mortifera.*

Ex quibus patet falsum, intulisse Hurtadum disput. 9. difficultate 3. cum Vasquez, accedentem cum peccato veniali ad sacram mensam nun-

quam peccare venialiter, peccato irreuerentia, seu sacrilegii venialis, quantumuis cum multiplici accedat veniali, & ex consuetudine facto, & quantumuis actualiter in ipsa peccet communionem, & per ipsam, sumptionem, vt si ex motiuo vanæ gloriæ communicaret, eo quod nunquam per quodlibet veniale Sacramenti effectus impediatur. Non enim communicans solum peccat, quando effectum impedit Sacramenti, tunc enim temporis mortaliter delinquit, sed etiã obleuem irreuerentiam quam irrogat Sacramento, cum modis à nobis dictis, ad Sacramentum accedit.

## QVAESTIO V.

*An & quale præceptum sit præmittendæ confessionis, ante Sacram communionem.*

**G**ratia statum requirit hoc Sacramentum; cū enim sit institutum per modū

cibi, & potus, ordinatur ex sui institutione, non ad generandum, aut viuificandum; id enim



enim cibo, & potui non conuenit, sed ad nutriendum, idēque ex sui institutione, in sumente vitam supponit spirituale, cui subinde spirituale tribuat nutrimentum. Potest tamen casus dari, in quo quis neuter hoc Sacramentum recipiat. Vt si quis in altari alicuius recondetur peccati, post confessionem commissi, & ob temporis angustias, ob confussionem, ob applicationem ad sacrificium peragendum, ob timorem, ne in errorem labatur, ob conturbationem propter adstantes; ob quæ vel non aduertat ad contritionē, vel nequeat ad illam conari, vel etiam si conetur, putat non esse contritionem, & aliū de non debeat sacrificium inchoatum relinquere; neuter erit: hoc est, nec gratiam recipiet, nec nouum comittet peccatum. Sicuti, si quis sciret, se esse in mortali, & tamē esset necessarium subito ministrare Baptismum paruulo, propter instans mortis periculum, nec posset ita subito ad perfectam se excitare contritionem, à peccato excusaretur. Ita Lugo disput. 14. nu-

mer. 3. post Vasquez quem ibi refert. Benè verum est casum esse satis methaphysicum. An autem magis obstat gratiæ huius Sacramenti peccatum grauius, vel leuius: verbigratia peccatum luxuriæ quam Sacrilegium explicat D. Thomas hic art. 5. vbi postquam in articuli corpore explicuit, quod licet peccatum indignæ sumptionis, sit inferius peccatis, quæ immediate sunt contra diuinitatem, ut est peccatum infidelitatis, & blasphemix, & contra Christi Domini humanitatem in propria specie, sit tamen grauius omni peccato, quod contra puras creaturas committitur: postea ad secundum dicit, quod peccatum fornicationis secundum quid magis huic Sacramento repugnat, quam alia peccata grauiora; quia, peccatum fornicationis hominem reddit magis inneptum ad perceptionem huius Sacramenti, in quantum scilicet, per hoc peccatum spiritus maximè carni subijcitur, & ita impeditur feruor charitatis, qui in hoc Sacramento recipitur. Præsupposito igi-



tur esse peccatum mortale, in mortali ad hoc accedere Sacramentum, & subinde esse obligationem purgandæ conscientia, disquiritur, an sit præceptum purgandæ conscientia per confessionem Sacramentalem, an vero sufficiat illam purgare per contritionem; & deinde dato, quod tale detur præceptum: quale sit est videndum, diuinum ne, naturale, an humanum.

Prima sententia est, nullum esse præceptum purgandæ conscientia per Sacramentalem confessionem, sed sufficiet illam purgare per contritionem. Hæc est perpetua Caietani sententia tum in articulo, tum in Summa V. Eucharistia, & V. communio. Pro hac sententia citat Nugnus, Adrianum, & Riccardum. Sed hæc sententia, vt dicit Nugnus est prorsus improbabilis, & temeraria; & nostris temporibus errori proxima: quod patet ex Tridentino sess. 13. cap. 7. vbi habet. *Quare communicare volenti reuocandum est in memoriam eius præceptum: Probet autem se ipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo*

*declarat, eam probationem necessariam esse, vt nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione, ad Sacram Eucharistiam accedere debeat: quod à christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc Sancta Synodus perpetuo seruandum esse decreuit, modo non desit illis copia Confessoris: quod si necessitate urgente Sacerdos absque præuia Confessione celebrauerit, quam primum confiteatur.*

Secunda sententia asserit adesse quidem præceptum, sed esse dumtaxat Apostolicum. Hanc sententiam tenet Corinchus post Medinam, Palacium, & dicit esse plurimum recentiorum. Et probat, quia Apostolus 1. Cor. 11. vbi præceptum ponit præmittendæ confessionis, cum à versu 23. vsque ad 27. retulisset, quæ à Christo acceperat circa usum & institutionem huius Sacramenti. Infert deinde proprijs verbis sequentia verba: itaque quicumque manducauerit panem hunc, reus erit &c. probet autem



*autem se ipsum homo &c.*, ergò. Hanc sententiam vocat probabilem Suarez, Lessius, & Amicus apud Dianam p. 9. tract. 3. resol. 2.

Tertia sententia tenet hoc præceptum esse naturale, secundum naturam ipsius gratiæ. Pro qua refert Nugnus, Syluestrum, & Bonauenturam & dicit esse probabilem; quod mihi non probatur cum ex ipsa gratiæ natura hoc non colligatur, vt constat ex alijs viuorum Sacramentis.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Datur præceptum Diuinum de præmittenda confessione ante communionem, in eo qui est sibi conscius peccati mortalis.

Quod hoc sit præceptum Diuinum, de quo est difficultas patet ex contextu illius loci I. Cor. II. vbi antequam incipiat agere de institutione, & vsu huius Sacramenti, præmittit illa verba. *Ego enim accepi à Domino, quod, & tradidi vobis*, & eodem semper loquitur contextu, nec vllum adhibet verbum per quod ostendat se in

propria loqui persona; ergò &c. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum. Nam alia viuorum Sacramenta gratiam non minus quam Eucharistia requirunt, quæ si non habeatur non ob id confessionem reposcunt, sed ipsa contentantur contritione; ergò id ipsum dici debet de Eucharistia, cum non minus gratia habeatur per contritionem, quam per confessionem.

Respondetur hoc argumentum solum probare præceptum confessionis non esse naturale, non tamen euincit non esse Diuinum positium; quod hoc ideo posuit præceptum, Christus Dominus, quia cum hoc Sacramentum sit omnium dignissimum, & excellentissimum, & omnium Sacramentorum finis, ad quod præcipuè Baptismus, & Pænitentia ordinantur, conueniens fuit quod ipsa præmitteretur pænitentia, ad gratiam ponendam, pro dignè hoc Sacramento recipiendo. Aliam rationem adducit Nugnus, quia hoc Sacramentum viaticum est, & continet realiter



ipsum Dominum, ideoque qui ad illud accedit, ita se debet habere, ac si tunc moreretur. Vnde non solum confessio requiritur, ut homo sit in gratia, sed quod sit in gratia modo ipsi Sacramento proportionato. Sicuti ad hoc, ut quis admittatur ad mensam regis, non sufficit quaecunque mundities, sed illa requiritur, quae confiter ipsius regis ministris. Item ad hoc, ut quis ad confessiones aueniendas deputetur, non sufficit illum habere scientiam, sed haec debet Ecclesiae ministris deputatis constare. Et sic ad hoc, ut homo, ad hoc dignè accedat Sacramentum, non sufficit quaecunque spiritualis mundities, sed illa requiritur, quae per eiusdem Ecclesiae ministros est iudicata. Vnde etiam si quis per Diuinam sciret reuelationem, se esse in gratia per contritionem, adhuc ob dicta confiteri teneretur.

Secundum argumentum; si quis ante Missam, vel Communionem confessus est, & postea recordetur alicuius peccati, non tenetur illud confiteri. Similiter si quis dubitatumtaxat habeat peccata, non

tenetur illa ante communionem confiteri; ergo confessio non est ex praecepto Diuino, communioni praemittenda. Consequentia tenet, si enim semel confessio esset ex Diuino praemittenda praecepto, etiam in dictis casibus esset praemittenda. Antecedens quoad primam partem patet, nam illud peccatum oblitum per praecedentem confessionem fuit remissum, & sic ista Diuinum adimpleuit praeceptum, quoad confessionem, & ex alia parte iam est in gratia; ergo &c. Secunda etiam pars patet, nam Tridentinum solum declarauit esse praeceptum de praemittenda confessione, quando quis est sibi conscius peccati mortalis; sed qui dubitat solum, non dicitur conscius; ergo &c.

Respondetur negando Antecedens, ad probationem dicendum, quod praeceptum praemittendae confessionis, non debet intelligi quoquomodo, sed quoad omnia mortalia. Vnde sententia opposita quam aliqui tenuerunt per decretum Inquisitionis Hispaniae fuit damnata. Ad secundam

pro-



probationem dico, dubium de mortali, esse sibi de mortali consciuum, cum peccatum mortale sit pœnitentiæ materia necessaria. Aliter dicendum esset, quando quis fuisset peccatum dubium vt tale confessum, & postea reperiret esse certum; tunc secundum Lugum, Caramuelem, Pellizarium, & Tamburinum, apud Dianam loco citato resol. 6. non teneretur amplius confiteri: cuius oppositum cum verius sit, est sequendum. Nota tamen, quod quando quis confitetur peccatum oblitum, vel vt dubium confessum, non tenetur nouum doloris actum elicere, si præcedens adhuc virtualiter perseueret, & ad hoc ipsum peccatum, cum ex motiuo fuerit vniuersali, extenditur.

Tertium argumentum; nã si quis in missa recorderetur alicuius peccati mortalis, non tenetur illud confiteri, ad scâdalem vitandum. Similiter secularis, qui iam ad Sacramentæ lintheum accessit, vt sacram recipiat communionem, si mortalis peccati recorderetur non tenetur recedere, & con-

fessarium adire; ergò non est præceptum diuinum. Antecedens communiter admittitur; Consequentia probatur; nam si esset præceptum diuinum, magis vrgeret, quam ratio famæ conseruandæ.

Respondetur admittendo Antecedens, quoad vtrumque casum, quando sequeretur scandalum, vel opinio mali nominis: imo aliqui volunt non esse vocandum confessarium consecratione incepta, etiam si nullum sequeretur scandalum, sed sufficiat contritionem elicere, eo quod nõ deceat sacrificium substantialiter inchoatum interrompere, quod aliqui ad inceptum canonem extendunt. Notat tamen Garzia sum. tractat. 3. diffic. 5. dub. 1. punct. 5. num. 39. cum syl. Armil. & aliis, quod ad hoc vt secularis, verbigratia, commenicet cum sola contritione ad euitandum scâdalem, non requiritur, quod proprium sequatur scandalum sed sufficit quod populi sequatur admiratio, vel illam probabiliter, & rationaliter timeat. Ad consequentiam dico, quod licet præceptum præmit-



mittendæ confessionis sit diuinum, est tamen positium, non obligans pro semper, præceptum vero tamæ conseruandæ est naturale, & subinde magis obligans.

Sed quæres primò, quinam sint casus, in quibus potest sacerdos in mortali existens, sine confessione præuia celebrare. Plures communiter assignantur. Primus est ad hoc vt Parochus, & eius Parochiani præcepto satisfaciant audiendi Missam. Quod extendunt, & valde probabiliter ad alios Sacerdotes, vt Lessius hic: Tannerus hic. Trullench. de Sacram. lib. 3; cap. 6 dub. 4: num. 17. & alii plures, quos refert, & sequitur Diana supra resol. 9. contra Lugum oppositum sentientem, quoad Sacerdotes particulares, non Parochos. Secundus casus, quando Sacerdos debet celebrare, & non habet confessarium, cui confiteatur nisi per interpretem, tunc enim temporis censetur copiam non habere confessarii. Ita communiter expositores hoc loco. Idem extendit Diana, resol. 11. cum aliis, ad illum,

qui non habet copiam confessarii potentis à suo reseruato absoluere, licet alii velint debere non reseruata confiteri, vel etiam reseruata à quibus absolutionem indirectè recipiat: quem casum entendunt etiam ad illum, qui excommunicationem habet reseruata. Tertius casus est, si aliquis Sacerdos post consecrationem vnius speciei moriatur, & nullus adsit Sacerdos, qui sacrificium perficiat, nisi existens in mortali, tunc si non adsit Confessoris copia, poterit ille, cum sola contritione sacrificium perficere. Quartus casus est, si quis sit in periculo vitæ, & possit Eucharistiam sumere; non possit tamè confiteri, tunc ad seruandum præceptum diuinum, potest cum sola contritione communicare. Ita Diana vbi supra resol. 16. cum pluribus ibi relatis. Similiter potest Sacerdos ad communicandum moribundum celebrare, confessione non præmissa, si confessoris copiam non habeat. Nota tamen in his, & similibus casibus, in quibus licitum est communicare, non præmissa

con-



confessione, semper debere præmitti contritionem. Excipiunt tamen aliqui casum, quo quis prius confessus fuerat, & postea recordatur peccati in confessione obliti, non tenetur de illo conteri quando dolor præcedentis confessionis fuit vniuersalis, quia tunc temporis cum de illo peccato sufficiēter doluerit, quod ego admitterem, si ille dolor fuisset contritio perfecta, secus si imperfecta; hæc enim nõ habet peccatum mortale, sine Sacramento destruere. Alii casus ponuntur à Theologis sed minus probabiles, imo aliqui improbables, improbabiles sunt. Primus est quem ponit Rosella v. cõmunio, quod Sacerdos regularis possit cum sola contritione celebrare absque præmissa confessione, quando non habet copiam sacerdotis suæ religionis, habet tamen copiam alterius, sed non vult illi confiteri, ad vitandam suę religionis infamiam. Hic enim casus improbalis est cum nulla ex confessione, vel parua, sequatur religioni infamia. Secundus est quem sub dubio tenet syl. verb. Eucha-

rifi. 3. quæst. 14. pro quo citat Ricardum id expresse docentem in 4. dist. 17. art. 3. quæst. 6. quod nimirum possit quis in mortali existens cum sola contritione communicare, si desit proprius confessor, cui possit deuotius, & vtilius confiteri. Hic etiam casus videtur omnino improbabilis; cum reuerentia huic Sacramento debita, & diuini præcepti obligatio præualere debeat proprie deuotioni, & vtilitati. Tertius casus probabilis est, quando regularis per confessarium à suo superiore licentiam obtinere non potuit, vt à reseruatis absoluatur, possit sine præuia confessione Eucharistiam sumere, ad infamiam vitandam, vel scandalum, quia in tali casu censetur non habere copiam confessarii. Quartus casus probabilis, apud Henriquez lib. 8. de Eucharist cap. 46 num. 6. si Sacerdos sit valde pauper, & indigeat misera stipendio ad vitam sustentandam, poterit celebrare cū solo actu contritionis, si confessoris copiam non habeat. Quintus ex eodem auctore, post syl. & alios, si teneatur



Missam celebrare ex capellani obligatione. Sextus quando urgeret necessitas Missæ dicendæ, pro nuptiali benedictione. ita ille. 7. ad faciendū officium sepulturæ, in quo Missa de requiem cantanda esset. Semper tamen attendere debet Sacerdos, ne temere utatur, vel interpretetur Tridentini interpretationem: *Quod sine necessitate urgente*. Nam nisi re vera hic, & nunc necessitas vrgens nõ adfit, cum sola contritione, sibi peccati mortalis conscius celebrare non poterit.

Quæres secundo, an præceptum confitendi *quam primum* apud Tridentinum loco supra citato, sit diuinum, vel humanum. Et dico, & est communis Theologorum resolutio, esse præceptum humanū, & eiusdem Tridentini; quod ideo fecit ne Sacerdotes sibi necessitatem facile fingerent celebrandi sine confessione.

Quæres tertio, an hoc Tridentini præceptum obliget sub mortali. Relicta Villalobos, Ledesma, Machadi, & Tamburini in Methodo expedit. commun. capit. 1. §. 6. num.

49. & sequentibus, sententia negatiua. Respondeo affirmatiuè cum Lugo disput. 14. num. 13; Nugno hic diffic. 4. & alijs multis, nec ab hac sententia est recedendum, licet enim Concilium non utatur verbo præceptiuo, sed solum dicat *quam primum confiteatur*. Communis tamen Doctorum sensus, qui est optimus legis interpret, ita illud decretum intelligit.

Quæres quarto quos afficiat hoc Tridentini præceptum. resolutio ex Concilij verbis sumi debet, dicit enim Concilium: *Quod si necessitate urgente Sacerdos absque præiua confessione celebrauerit, quam primum confiteatur*. Vbi ut vides hoc Tridentini præcepto soli Sacerdotes non laici, & non omnes Sacerdotes, qui sine præiua celebrant confessione, sed illi soli, qui id faciunt necessitate urgente, obligantur; ex quibus facile resolueri poteris plures casus quos larga manu hic proponunt recentiores; vt an laici, qui sine præiua communicant confessione: an Sacerdos qui id facit ex malitia; an qui celebra-

tio-



tionem inceptam alicuius peccati recordatur. An ad id teneatur Sacerdos, qui more laicorum communicat. An ad id teneatur Sacerdos ille, qui urgente quidem celebravit necessitate, sed cum intentione interna, quod etiam si confessorius adestet confiteri nolet; & alij plures, qui si tibi vacat videre poteris, patet enim hos & similes casus sub illo præcepto non contineri.

Quæres quinto quot peccata committat, qui sine præuia celebrat confessione, eo casu, quo eam præmittere poterat. Et dico, vnum tantum committere peccatum, cum tale præceptum obliget ratione Eucharistiæ sumendæ, & subinde diuersum non afferat morium, est communis. Addit Hurtadus hic, idem dicendum esse de eo, qui intuitu reuerentiæ erga Sacramentum, prohibitus est sumere Eucharistiam, vt prohibetur ex cõmunicatus, non ieiunus &c.

Quæres sexto ad quantum se extendat illud Concilii. *quam primum*. Aliqui apud Dianam, resol. 2. volunt extendi vsque ad sequentem celebrationem; quod communiter reicitur, vt contra Concilii mentem; alii statim ferè missa peracta. Lugo remittit prudentis viri iudicio. Diana cum aliis vsque ad triduum extendunt, quod est valdè probabile, nisi aliunde celebrandi, communicandique urgeat occasio.

Si autem inquiras quanta distantia requiratur ad hoc vt Sacerdos dicatur absens, taliter quod censeatur Sacerdos copiam non habere confessarii. Dico, debere attendi nõ solum distantia loci, verum etiam itineris difficultas, personæ circumstantia, temporis &c. ita quod hic, & nunc valdè graue esset illud iter assumere, pro confessione præmittenda.



## QVAESTIO VI.

*Utrum pollutio nocturna, & cibi, potusque  
sumptio sacramenti impediant  
communione.*

**C**oncedunt omnes pollutionem non mortalem quamvis in vigilia accidat, & etiam mortalem si illius Sacramentalis præcedat confessio, Eucharistiæ sumptionem non impedire; nam pollutio non mortalis statum gratiæ non auferat, & mortalis, licet se vera auferat, per confessionem tamen restituitur, & aliunde nulla est prohibitio non communicandi post pollutionem non mortalem, nec post mortalem confessione præmissa, & idem est dicendum de copula siue illicita, siue licita. Et si quando SS. PP. vt August. serm. 244. de temp. dicant post pollutionem, quæ etiam nobis nollentibus accidit, non licere communicare, nisi elemosina, & ieiunio præmissis, intelligi debent, vel de pollutione, quæ

est peccatum veniale, vel non aliud volunt, quam non esse congruum id præstare; quia, fessè semper cum aliqua culpa, saltem præsuppositiuè esse solet. Et licet antiquitus esset prohibitio, ne post copulam coniugalem, aliquis accederet ad Sacram Communionem, vt colligitur ex Concilio Eliberitano relato in cap. *omnis homo* de conf. dist. 2, & ex Statutis Ordinis Carthus. quoad pollutionem illa tamè ad culpam non obligabant, sed solum decentiam suggererent; præsertim quando aliqua relinquatur carnis commotio, & mentis diuagatio, tunc enim temporis optimum consilium est, communionem saltem per horas differre, nisi aliunde ex aliqua constantia oppositum fieri suadeatur.

Circa secundum in quæstio  
nis



nis titulo propositum, Lutherani, & Calvinistæ existimant, ieiunium necessarium non esse, ad Eucharistiæ summptionem; eo quod Christus Dominus post cænam, Eucharistiæ Apostolis tradidit, ut fides docet. Fides tamen Catholica oppositum tenet, ut constat ex Concilio Constantiensi sess. 13. ex Sexta Synodo can. 29. & sex pluribus Patribus, qui id ipsum tradiderunt. Hoc tamen non est præceptum Diuinum, sed humanum, ab Apostolis inductum, tum ob huius Sacramenti reuerentiam, tum ob eius significationem. Audiat lector elegantem Angelici Magistri de cisionem: *Aliquid impedit huius Sacramenti summptionem dupliciter: uno modo secundum se sicut peccatum mortale; alio modo propter prohibitionem Ecclesiæ, & sic impeditur aliquis à summptione huius Sacramenti post cibum, & potum assumptum triplici ratione. Primò quidem sicut August. dicit in honorem huius Sacramenti, ut scilicet in os hominis intret, nõdum aliquo cibo, vel potu infectum. Secundò propter signifi-*

*cationem, ut scilicet detur intelligi quod Christus, qui est res huius Sacramenti, & charitas eius debet primò fundari in cordibus nostris, secundum illud Matth. 6. Quarite primum Regnum Dei. Tertio propter periculum vomitus, & ebrietas, que quandoque contingunt ex hoc quod homines inordinatè cibis utuntur, sicut & Apostolus dicit 1. Cor. 11. Alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Hæc D. Thomas.*

Sed quæres primò, an ieiunium ad Eucharistiæ summptionem prærequisitum, debeat esse naturale, vel Ecclesiasticum. Est ieiunium naturale abstinentia ab omni cibo, & potu, etiam per modum medicinæ. Est ieiunium Ecclesiasticum abstinentia à cibo per modum cibi, non à potu, neque à medicamentis, neque à cibo per modum medicinæ, sed est abstinentia à cibo per modum nutritionis. Et quamvis Gotfredus, & Ioannes Parisiensis, docuerint ad Eucharistiæ summptionem sufficere ieiunium Ecclesiasticum; tamen Sanctus Doctor supra, & omnes eius inter



prates, & omnes Summistæ, volunt, & merito requiri naturale. Ita habetur in Concilio Toletano 6. cap. 2. deducitur ex cap. *ex parte*, de celebratione Missarum. Et declaratur, & exprimitur usu, & consuetudine perpetua Ecclesiæ: sic enim semper fideles hoc ieiunij præceptum intellexerunt.

Quæres secundo an in ieiunio Eucharistico detur paruitas materiæ excusans à mortali. affirmant aliqui quos suppresso nomine refert Hurtadus hic disput. 9. diffic. 15. affirmat Pasqualigus in suis decis. Moral. decis. 335. per totam, & in tractat. de ieiunio Vnde per istum auctorem, qui tantum aquæ sumeret, quantum in auellana putamine capi potest, & communicaret solum venialiter delinqueret. Sed nullomodo est recedendum à communi sententia negante dari in hac materia paruitatem materiæ. ita enim colligitur ex Concilio Toletano citato, & refertur capit. *nihil*. 7. quæst. 1. & tradit Rub. M. ff. c. 9. & rationes D. Thomæ adductæ id euincunt; &

cum materia, & significatio, sit adeo grauis.

Quæres tertio quid requiratur adhuc ut saliquid in ore positum ieiunium soluat. Et dico opus esse, ut quid extrinsecum comedenti sumatur, quod hoc fiat post mediam noctem; quod deglutatur, seu traiciatur: requiritur quod aliquid extrinsecum sumatur, ut excludatur saliuæ, & alii humores à cerebro distillantes; similiter ut excludatur cibus aliquis adhærens dentibus ex præterita cæna, & secundum aliquos Sanguis, quem quis ex proprio suggeret digito, cum omnia ista non censeantur aliquid comedenti extrinsecum. Hinc soluitur dubium, an si quis ante cubitum apponeret in os aliquid, quod paulatim liquefiat, ut sacrum, & duret post mediam noctem, an possit mane communicare. Pater amicus disput. 27. sect. 1. num. 5. post Tabienam, & Bartholomeum ab Angelis tenet partem affirmatiuam, cuius ratio est, quia ille liquor non descendit per modum cibi, sed per modum saliuæ, nec tunc videtur esse

sum.



sumptio ab extrinseco, sed ab intrinseco, ut sunt reliquæ cibi, & subinde ieiunium non frangitur. Verius tamen est oppositum quod tradunt communiter D. Thomæ interpretes hoc loco. Videatur Lugo hic disput. 15. num. 37. & alii apud Dianam p. 2. tractat. 14. resol. 51. Requiritur quod talis sumptio fiat post mediam noctem, ut ieiunium naturale solvatur Eucharicū; per quod resolui possunt aliqui casus: primus est, an si quis comedat vel bibat vsque ad ultimum horologii ic̄tum mediæ noctis possit mane communicare, negat Lugo hic disput. 15. numer. 37. quia cum incipit pulsari primus quadrantis pulsus iam hora 12. est elapsa, & alia incipit hora, quæ est diei sequentis prima. Sed verior videtur Brasserii de conscientia lib. 4. cap. 11. num. 107, Trullenchi in Decal. lib. 3. cap. 2. dub. 4. num. 8. & aliorum sententia affirmatiua, quia tam pulsus quadrantis, quam horarum vsque ad ultimum, pro unico tempore saltem moraliter computantur, & horam complent; & per consequens,

si quis comedat, vel bibat vsque ad ultimum horæ 12. noctis mediæ pulsus, poterit sequenti die communicare.

Sed quid, si sint duo horologia, vel plura, inter quæ est dimidiæ circiter horæ, varietas; an possim sequi quod mal uero. Negant Rodriquez, & Salas apud Lugum loco citato num. 44. Affirmant Sanch. Facundez, Villalobos, & alii quos refert, & sequitur Diana tom. 2. tract. 4. resol. 36. quando non constat de errore in ultimo horologio. Limitat Lugo, dummodo non fiat opinionum mutatio in præiudicium; vel rei, vel præcepti, &c. alioqui plura sequeretur inconvenientia. Vti si quis primo audito horologio celebret, sequendo illius sententiam, quod iam media nox sit transacta; deinde audiendo secundum mutet sententiam, quod tunc media nox transacta non sit, sed modo, & secundum celebret sacrum &c. sic de esu carniū. sic de officio diuino, posset enim quis audito primo horologio dicere, nondum est media nox, & officium differre, & audito secundo, dicere  
pos-



posset, iam media nox est trā-  
facta, non amplius recitatur  
teneor. &c. Videatur Diana  
part. 10. tractat. 15. resolut.  
29. ubi plura ad propositum.  
Plus addit sapientissimus vir  
P. Caramuel: de mea religio-  
ne omnino benemeritus, tum  
ob magnum affectum, quem  
semper erga illam ostendit;  
tum ob vitam quam scripsit,  
& prælo mandavit N. P. Do-  
mini quam inscripsit Cara-  
muelis Dominicus opus certè  
tum ob insignem elegantiam,  
tum ob maximā doctrinæ pro-  
funditatem æterna veneratio-  
ne dignum. Is ergò insignis vir  
non solum præcedentem ad-  
mittit doctrinam, verum etiam  
in reg. D. Bened. disp. 101  
num. 1328. illam extendit ad  
vnum quadrantem, postquam  
horologium, etiam exquisitissimum,  
mediam pulsavit noctem;  
eo quod præcepta humana  
tempus definiunt, tempus  
non Mathematicum, sed  
morale inspiciunt, cum tempus  
debeat proportionari præceptis.  
Quam sententiam, & merito,  
approbat Pasqualigus decif. 338.  
num. 6. & sequentibus. Ex quo principio in-

fert Caramuel. disput. 40. nu-  
mer. 463. regularis professionem,  
non debere computari à momento  
in momentum; ita quod si fiat  
per aliquod tempus ante 16. annum  
sit valida, quod alii plures tenent,  
de quo Deo dante suo loco. Sed  
an detur paruitas materiæ in  
tempore communionis, tenet  
Pasqualigus de seiuinio dec.  
158. Requiritur tandem ad ieiunii  
Eucharistici fractionem, quod  
cibi, vel potus sumptio, fiat  
per traiectionem, vel deglutionem  
in stomachum, defectu cuius  
deglutens cum salua parum aquæ,  
dum lauat os, ieiunium non  
frangit; similiter, si aquam, vel  
simile per nares traiciat.

Quæres quarto, an edens, vel  
bibens, dubitans an sit trā-  
facta hora noctis duodecima,  
possit mane communionem  
sumere. Duæ sunt extremæ  
sententiæ. Prima affirmat,  
siue dubium sit de tempore,  
siue de comestione, ita Lay-  
man, & Sanchius apud Lugo-  
nem num. 41. Alia negat, vt  
Sanchez Vilialobos, & alii apud  
eundem auctorem. Mediam  
sententiam sequitur ipse



se Lugo, & admitrit, si dubiū sit de tēpore, secus de comestione. pro qua sententia nulum refert auctorem. Ex istis tribus, sententia prima mihi probabilior videtur; nam non solum in materia propriæ, & strictæ iustitiæ, sed etiam in aliis plerisque melior est conditio possidentis; quando superuenit dubium, vt cum multis tradit Sanchez 2. de matrim. disput. 41. num. 32. & in decal. lib. 1. cap. 10. num. 11. ergo etiam hoc idem in calu

nostro est dicendum; habet namque verbigratia Sacerdos ius, singulis celebrandi diebus in quibus certum non est impedimentum. Ius namque certum per impedimentum incertum, tolli non debet. Idem à fortiori dicendum est, quando quis dubitat, an aquā lauando os, deglutierit, vel masticans aliquid, vel terrens dentibus pro purgando cerebro, vt faciunt qui tabachum dentibus terrunt &c.

## QVAESTIO VII.

*Assignantur casus in quibus licitum est,  
non ieiunus communi-  
care.*

**P**rimus est, si quis graui morbo afficiatur, per modum, vt dicunt viatici, potest non ieiunus communicare, & hoc est infirmorum priuilegium. ita habetur de consecratione dist. 2. cap. *Presbyter*; imo potest sæpius id fieri, non

solum si mutetur morbi periculum, verum etiam eodem modo perseverante, tertio nēpe quoque die, vt post alios tenet Diana de Sacram. resolut. 4. vel etiam alterutris diebus vt innuit Ilamb. hic disput. 4. art. 2. num. 3. quod facile



cile admitti posset in illis, qui fanitatis tempore quotidie communicare solebant, & id ipsum cupiunt in infirmitate.

Sed quid si iam iste mane communicauit ex deuotione, & postea in grauem incidit morbum, poterit ne non ieiunus iterum communicare? Et respondeo affirmatiuæ, cum Diana parte 5. tractat. 3. resolut. 33. post Hurtadum, Turrianum, Ochagauiam, & Kellisonium. Et parte 7. tract. 6. resolut. 18. refert. Megalium, & Brasserum. licet contraria sententia sit etiam valde probabilis. Solum mihi displicet Dianam velle de hoc esse præceptum; non enim debet infirmus grauari, sed sublauari, puto ergò id posse infirmos, cum sit ipsorum priuilegium, vt possint infirmitatis tempore communicare, etiamsi alias ante infirmitatem communicati sint, sed ad id non teneri, cum iam præcepto communicandi in articulo mortis satisfecerint, communicando maneat; cum enim illud tempus sit breue, moraliter vnum quid efficere censetur.

Secundus casus est, quando Sacerdos perficere debet sacrificium alterius, quando alter ieiunus non reperitur, siue proprium, quando loco vini in Calice aquam posuit, & sumpsit. Vel etiam quando post speciem vnã consecratam recordatur se non esse ieiunum; vel etiam quando sciens, & volens accessit non ieiunus, tunc enim debet dolere, & sacrificium perficere.

Tertius casus, si sumendæ sint hostiarum, vel formularum reliquiæ, quæ post communionem, & purificationem reperiuntur; quod aliqui volunt esse verum non solum dñ Sacerdos est in altari, verum etiam postquam ab illo discessit, dummodo adhuc Sacris sit indutus vestibus; censetur enim tunc eadem mensa spiritualis continuari, quod admitterem in casu quo facile non possent illa fragmenta reperta, in ciborio conseruari.

Quartus est, ad vitandam irreuerentiam ab hæreticis, huic Sacramento inferendam.

Quintus casus, ob vitandũ scan.



scandalum, vel infamiam, ut si quis dum manet ad linteum cum alijs sumpturus communionem, poterit non ieiunus communicare ad scandalum, vel infamiam vitandam; præceptum namque scandalij, vel infamiæ vitandæ, est superius præcepto de ieiunio seruando Eucharistico; si enim ob infamiam vitandam potest quis sine præuia confessione communicare, multo magis sine ieiunio.

Quæres primo, an priuilegium communicandi infirmum non ieiunum, valeat etiam pro illis qui extremo supplicio sunt damnati, ita quod si reus ad mortem damnatus pridie communicauit ex deuotione, possit non ieiunus, in ipso supplicij die, communicare; ut si contingeret, talem reum ex obliuione, vel ex inaduertentia, vel infirmitate, vel debilitate, cibum sumpsisse: & respondet affirmatiuè Quintana tract. 4. singul. 14. num. 5. vbi adducit Suarez, Layman,

Reginald. Coninchum, Zambran. Enriquez, Bonacinam, & alios. Imo addit, quod si pridie mortis sumpsisset Eucharistiam, non ieiunus, ob aliquam causam; si iterum in die supplicij instaret pro eadè communionem, non esset sine tali consolatione dimittendus quod etiam alij valde probabiliter tenere videntur, ut Basilius V. communio sacra, num. 25. Escobar tract. 3. exam. 6. cap. 5. num. 62. & alij.

Quæres secundo quisnam possit in hoc ieiunii præcepto dispensare. Respondeo cum communi sententia solum Pontificem Summum; & aliqui dicunt de facto dispensare in nocte Natalis Domini, cum tunc in Pontificis Cappella prima dicatur Missa, ante mediam noctem. Sed verius aliqui putant cum Lugo hic, tunc Pontificem non dispensare, sed anticipare pro eo loco, & tempore initium diei sequentis.



## QVAESTIO VIII.

*An sit præceptum Diuinum communicandi, & quos, & quando obliget.*

**P**rimum quod in quæstionis titulo proponitur, breuiter expediemus; est enim communis Theologorum sententia cum D. Thoma hic, ar. 11. dari de hoc Sacramento sumendo, Diuinum præceptum. Hoc probat Angelicus Magister ex illo Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, quod præceptum non solum ad Apostolos fuit dictum, verum & ad omnes fideles, tum Sacerdotes, tum laicos, cum tunc temporis Apostoli, & potestatem consecrandi acceperint, & re ipsa communicati fuerint; qua Angelica ratione uti videtur Tridentinum sess. 13. cap. 2. dum dicit: *In illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit, suamque annunciare mortem, donec ipse ad iudicandum veniat.* Quodque confirmatum magis manebit, si addamus Angelica verba, quæ canit

Ecclesia in festo Corporis Christi; nimirum. *Quod in cena Christus gessit, faciendum hoc expressit in sui memoriam.*

Probant alii, ex illis verbis Christi: *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: nam sicut ex illis verbis. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Celorum*; colligunt Theologi Baptismi præceptum, & hoc Diuinum; ita & ex istis. *Nisi manducaueritis &c.* idem Diuinum præceptum communionis sumi debet, cum sit eadem loquendi forma. Tum quia, quoties præceptum datur de mediis, dari etiam debet de fine, quando finis est operatio in nostra existens potestate; sed datur præceptum de Baptismo, & Pœnitentia, quæ tanquam media ad Eucharistiam sumendam ordi-



nantur, tanquam ad finem in operatione, sub nostra potestate cadente; ergò si de illis præceptum datur, etiam de hoc dari debet. Tum etiam, quia sicut iure naturæ ad cibum sumendum obligamur, quo vitam conseruemus; ita iure gratiæ obligari debemus ad sumendum cibum spiritua-lem, quo in eadem spirituali vita conseruemur.

Quos autem (quod est secundum in quæstionis titulo propositum) hoc præceptum obliget, dico obligari omnes adultos rationis vsu vtentes, baptizatos tamen: dixi omnes rationis vsu vtentes hi, enim solum sunt præcepti, & obligationis capaces: dixi baptizatos tamen, quia hoc Sacramentum, baptismum supponit, & ratione illius homines ad hoc, & ad alia obligantur Sacramenta recipienda. Sicut namque qui votum fecit ingrediendi aliquam religionem, ad solum tenetur ingressum, non ad leges, & præcepta illius religionis, antequam in illam ingrediatur; ita cum Baptismus sit nostræ religionis ingressus, quamuis ob-

id, omnes infideles. ad Baptismum teneantur, & ad Ecclesiæ ingressum, non tamen ad leges, & præcepta, quæ illis proponuntur, qui iam sunt in Ecclesiam ingressi. Ita ferè contra Suarez argumentatur M. Candidus tom. 3. disquisit. 2. art. 26. num. 6. Secus dicendum est de hæreticis cū verum vt suppono habeant Baptismum.

Quando vero hoc Diuinum vrgeat præceptum, non est ita certum determinare; nam aliqui volunt hoc præceptum tunc obligare, quando necessitas vrget, grauem superandi tentationem, quod libenter admitterem, quando per aliud medium superari non posset. Alii quoties fidelis putat nunquã se amplius huius Sacramenti sumendi opportunitatem habiturum, quod congruum valde videtur. Alii vltra mortis articulum, prudenti Confessoris iudicio relinquunt cum Christus Dominus nullum huius præcepti tempus determinauerit. Alii volunt sufficere ad huius præcepti satisfactionem, quod homo semel in vita communicauerit.



Ita post aliquos alios Baun-  
us tract. 5. de Euchar. quæst.  
14. Vnde infert, quod si quis  
semel in vita communicauit,  
si in morte absque contemptu  
communicare nolit, non pec-  
care mortaliter. Quam sen-  
tentiam quoad hoc vltimum  
sequuntur alij quos refert Dia-  
na de Sacram. resol. 40. nimi-  
rum D. Bonau. Caieranus in  
Summa V. communio. Ar-  
milla, Victoria, & Ledesma.

Ego dicam, quod mihi ve-  
rius videtur. Primò, quod  
cum Christus Dominus huius  
præcepti obligationem non  
determinauerit, sed illam Ec-  
clesiæ determinationi relique-  
rit, secundum hanc, hoc Di-  
uinum præceptum habet obli-  
gare; & sic, qui semel in anno  
communicat, vtrique satisfacit  
præcepto, Diuino videli-  
cer, & Ecclesiastico; & qui  
semel in anno non communi-  
cat, vtriusque est reus tran-  
sgressionis, vnum tamen tan-  
tum peccatum comittit, cum  
ex eodem procedant motiuo.  
Secundò dico, quod si Ecclē-  
sia Diuinum non determinaf-  
set præceptum, teneretur fi-  
delis tertio, quartouè quoque

anno communicare; ratio est,  
quia cum Christus Dominus  
hoc Sacramentum instituerit  
per modum cibi, & potus, &  
cibus, & potus sepius sumi de-  
beat, sequitur ad minus tem-  
pore dicto sumi debere. Ter-  
tio dico, hoc Diuinum præ-  
ceptum obligare in mortis ar-  
ticulo. Hæc verior, & com-  
muniore est sententia, vt testa-  
tur Nugnus art. 11. conclus.  
3. Vnde ob hoc, Sacramen-  
tum hoc viaticum dicitur,  
quia conferri debet, quando  
homo est in via vltimatè ad  
vitam æternam. Et ratio est,  
quia præceptum hoc Diuinū  
debet saltem pro aliquo tem-  
pore determinato obligare,  
hoc non est in vita, vt dixi-  
mus; ergò saltem esse debet in  
morte; præsertim cum tunc  
temporis magis huius Sacra-  
menti necessitas vrgeat: tunc  
enim magis vrget præceptum  
& obligatio sumendi cibi,  
quando est maior eiusdem ci-  
bi necessitas.

Sed quæres primò, an hæc  
obligatio sumendi viaticum  
incipiat ab ipso morbi initio,  
an vero etiam ante illud; ita  
quod si quis communicasset

per



per 8. vel 10. dies ante quam in morbum incideret, præcepto hoc satisfeceret. Negat Vasquez hic disput. 2 14. cap. 2. cum aliquibus aliis, quos ibi refert. Affermat Suarez, Coninchus, & alii quos refert & sequitur Lugo. disput. 16. num. 37. & est communis, & verior. Et ratio est, quia loquendo de illis obligationibus, vel præceptis, quæ temporis, seu diei, non sunt affixa, potest quis illis anticipatè satisfacere; ergò cum hoc præceptum non sit tale, poterit quis ante urgentem obligationem præueniendo satisfacere. Antecedens patet, nam ideo non possum hodie satisfacere officio, vel Missæ, vel ieiunio crastino, quia hæc sunt affixa diei, imo etiam in iis, quæ sunt quidem affixa diei, sed non determinatæ parti illius, possunt anticipari, vnde in communi sententia, si Acolytus antequam in subdiaconū ordinetur totum illius diei officium recitet, non tenetur post ordinationem amplius recitare; idem dic de Novitio qui si ante professionem, illius diei officium persoluat, suæ sa-

tisfecit obligationi. Item si quis primo mane audiat sacrum, vbi non est factum, deinde pergat ad locum vbi est præceptum audiendi sacrum, non tenetur novum audire, quia per prius suæ censeatur satisfecisse obligationi, præsertim cum vnusquisque virtutalem, vel saltem interpretatiua censeatur habere intentionem, per cuiuscūque actus exercitium implendi omnem quam habet obligationem, etiam si ad illam non aduertat. Consequentia tenet, nam hoc præceptum communicandi in mortis articulo intelligi debet, nisi quis parum antequam communicauit; sicuti, & aliæ huiusmodi leges intelliguntur. Vnde si aliquis sciret hodie ex diuina reuelatione se esse cras morte repentina moriturum, si hodie communicaret, certè suæ satisfaceret obligationi.

Obiicit primò Vasquez, quia ex nostra sententia sequeretur, quod non solum sufficeret communicatio facta per 8. vel 10. dies ante, verum etiam per menses, & annum; cum non sit maior ratio de breui, quam



quam de longo tempore; si semel communio extra morbum facta, potest pro mortis articulo deferuire; hoc dici nequit; ergò nec illud.

Respondetur negando sequelam, debet enim talis esse distantia, quæ communionem non extrahat ab hoc, quod pro mortis tempore facta esse dicatur, quod debet subinde attendi secundum communẽ loquendi, & apprehendendi modum.

Obiicit secundo, quia ex eadem nostra sententia sequitur, quod si quis communicauit ante morbum, non possit postea viaticum non ieiunus accipere; quod est falsum, & contra id quod nos supra diximus; nam in tantum potest quis non ieiunus Eucharistia Sacramentum recipere, in quantum debet diuino satisfacere præcepto, de communione in mortis articulo facienda ergò si iam iste, qui ante morbum communicauit diuino satisfecit præcepto, non poterit non ieiunus commnicare.

Respondetur ex dictis supra, esse infirmi priuilegium,

quod possit etiam postquam diuino satisfecit præcepto secundo, & tertio, &c. communicare. Cum enim tunc temporis sit maior communicandi necessitas, pia mater Ecclesia indulgit, non solum ad diuino satisfaciendum præcepto sed ob infirmi necessitatem, consolationemque, vt possit non ieiunus communicare.

Obiicit tertio, quia si quis posset satisfacere diuino præcepto per communionem factam ante morbum, sequeretur ad illam teneri, si per diuinam sciret reuelationem, cras esse meritorum; hoc non videtur dicendum ergò: sequela patet, nam tenetur quisque præceptum, de viatico seruare. Quod autem hoc non videatur dicendum constat, quia hoc præceptum obligat pro mortis articulo, non pro tempore sanitatis.

Respondetur mihi valde probabile videri ad illud teneri, quando videt non posse amplius illud recipere, licet etiam probabilitate non careat, quod licet possit quis præuenire non tamen ad id tenetur, sed de hoc infra quæstio  
ne



ne sequenti explicantes an quis teneatur præuenire communionem Paschalem quando videt se esse impediturum.

Quæres secundo, an qui viaticum in peccato mortali recepit, teneatur iterum illud recipere, an vero per primam communionem præcepto satisfecerit. Et respondeo satisfecisse; nam hoc præceptum sicut, & alia communiter, ad opus obligant præceptum, nõ ad finem præcepti. Idem communiter dicitur, de eo, qui post via i um peccauit mortaliter, quod nimirum iam præcepto satisfecerit, & ad nouam non teneatur communionem.

Quæres tertio, an hæc obligatio sumendi Eucharistiam solum urgeat eos, qui naturali laborant ægitudine, an vero etiam eos, qui ob propria delicta sunt vita priuandi, & eos qui sunt in bello præliaturi, vel aliunde mortis periculum habent, vel periculosam facere debent nauigationem. Et respondeo cum communi, & veteri sententia, quod solum illi hoc vrgentur præcepto qui naturali laborant ægitudine.

Quæres quarto, an si quis hoc præceptum in mortis articulo non obseruauit, si postea conualescat, an teneatur hoc præceptum obseruare. Et dico quod non; ita communiter omnes; ratio est quia illa obligatio pro illo vrget articulo, quo transacto cessat.

Quæres quinto, an infidelis nouiter conuersus ad fidem & baptizatus, si statim incidat in periculum mortis sit communicandus, & affirmatiuè respondeo cum Sancio in selectis disput. 40. num. 3. & sequentibus, quia licet ille per baptismi Sacramentum, sit ab omni peccato, & pena liber, non tamen ob hoc à præcepto communicandi immunis est, cum non ob hoc, hoc præceptum detur, nempe pro remittendis peccatis, vel pænis, sed quia tunc vrget per se necessitas huius cibi sumendi.

Quæres sexto an laicus in articulo mortis existens, si Sacerdos non adsit, possit se ipsum communicare, ad hoc diuinum præceptum seruandum. Conueniunt communiter scribentes, Sacerdotem



agrotantem, posse se ipsum communicare, si alius Sacerdos, vel Diaconus non adsit, (Diaconus namque est sufficiens pro tempore necessitatis huius Sacramenti minister) difficultas est de Laico, an possit eo necessitatis dictæ articulo, & se, & alios communicare. Antoninus Diana par. 3. tract. 4. resol. 47. partem tenet affirmatiuam cum Filiucio, Suario, Conincho, & Laimano. Sed mihi oppositum verius videtur, cum Hurtado disput. 11. diffic. 3. Præposito hic. 9. 82. & art. 3. dubio 1. num. 11. Fausto libr. 1. quæst. 112. Facundez part. 3. lib. 3. cap. num. 10. & aliis. Id enim expressè prohibetur cap. *peruenit* de consecratione dist. 2. & clarius id cauetur in Concilio Cartaginensi can. 38. vbi cum solum in casu necessitatis concedatur facultas diacono, hoc Sacramentum ministrandi, expressè videtur eadem facultas denegata subdiaconis, & aliis inferioribus, hoc Sacramentum aliis ministrandi. Et ratio à priori est, quia cum hoc Sacramentum in re

susceptum non sit medium ad salutem necessarium, non habet infringere ius humanum constituens ministrum huius Sacramenti legitimum. Unde præceptum diuinum non aliter habet obligare in mortis articulo, nisi humano iure seruato; alioqui posset Sacerdos ad communicandum infirmum, & celebrare sine vestibus sacris, & Sacramentum ad infirmum periclitantem deferre, sine iisdem vestibus sacris, quod nemo dicet.

Quæres septimo, an regulares, absente Parocho, possint viaticum ministrare infirmo, quando periculum esset in mora. Non procedit difficultas de regularium familiaribus; hiis enim sine Parochi licentia, licitum est, & hoc, & alia (matrimonio excepto) ministrare Sacramenta, vt docet Iacobus Mancinus pract. 8. dubio 2. sed procedit de infirmis extraneis. Et respondeo id posse facere si bona fide procedant, & ex præsumpto Parochi consensu, secus incidunt in excommunicationem Clement. *Religiosæ*. vbi excommunicati-



municantur religiosi præsumpti- nis, Eucharistiæ, & Matri-  
 mentes administrare Sacra- monii.  
 mentum, Extremæ vñtio-

## QVAESTIO IX.

### De præcepto Ecclesiastico annuæ Commu- nionis.

**D**iximus quæstione præcedenti præceptum diuinum de sacra communione non fuisse determinatum extra mortis articulum, sed Ecclesiæ relictum fuisse determinandum. Ecclesia ergò vtens hac Christi Domini commissione, secundum diuersos Ecclesiæ status, diuersimodè determinauit; nam in primo sui initio ad singulos dies determinauit, vt constat ex Papa Anacleto Epist. I. cap. 2. & refertur can. *Episcopus*, de consecrat. dist. I. vbi dicitur, eum qui quotidie non communica- uerit, ingressu Ecclesiæ priuandum esse; & subditur: *Sic enim Apostoli statuerunt, & Sancta Romana tenet Ecclesia.* Idem statuitur in can. 10. Apo-

stolorum vbi dicitur, quod qui id quotidie non fecerit, ipsa communione priuetur. Huius præcepti mentionem facit Clemens Romanus lib. 2. Apost. Condit. cap. 57. Et D. Dionysius c. 3. de Ecclesiastica Hierarchia p. 2. & 3.

Decrescente deinde fidelium deuotione Fabrianus Papa ad ter in anno communio- nis obligationem restrinxit; scilicet ad diem Natalis Domini, Paschatis, & Penteco- sten; vt refertur cap. *si non frequentius*, de consecrat. dist. 2. Soter Papa ordinauit vt refertur in can. *cæna* eadem dist. 2. quod omnes fideles in cæna Domini communicarent; per cænam tamen domini, etiam diem Paschæ intellexit,



vt erat illorum temporum vsus cum communio à Domini cæna inciperet, & ad ipsum Resurrectionis diem extendere-  
tur.

Tandem frigelcente fidelium charitate, feruore, & deuotione erga venerabile Sacramentum Innocentius III. in Concilio Lateranensi, & refertur cap. *omnis vtriusque sexus* ad annum, sacram indul sit communionem. Verba Innocentij sunt: *Omnis vtriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerit, semel saltem in anno confiteatur, suscipiens reuerenter ad minus in Pascha Eucharistia Sacramentum, nisi fortè de proprij Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum: alioqui, & viuens ab Ecclesiâ ingressu arceatur, & moriens Ecclesiastica careat sepultura.* Hoc decretum vt plenè copiatum aliqua difficultates sunt breuiter proponendæ, & dissoluedæ.

Prima difficultas est, quid intelligat Pontifex per hoc. quod est venire ad annos di-

cretionis, quod idem est, ac quærere, quando pueri incipiant hac lege teneri. Aliqui satis probabiliter dicunt, in fæminis esse annum 12. & in masculis 14. melius tamen, & magis ad mentem Concilij Lateranensis dicendum videtur, quod supposito in pueris, rationis vsu, ætas attendi non debeat, sed ingenij maturitas, & sufficiens circa res fidei, & præsertim circa venerabile Sacramentum, instructio; Unde licet pueri statim ac sunt doli capaces, ac peccant mortaliter lege obligentur confessionis, non tamen statim ad sacram sunt admittendi communionem, sed maior huius mysterij instructio attendi debet; quod iudicio Confessoris prudentis, vel Parochi, & piorum parentum, remittendum est. Quapropter benèdicit Sotus apud Lellium de Eucharist. cap. 9. Puerum viuacissimum ante decimum annum, posse esse idoneum; circa septimum vero non esse permittendum, quia tunc vix rationis aurora ridere solet. Vnum aduertat contra aliquos oppositum sentientes, pue-



pueros etiam in mortis articulo constitutos, non teneri communicare, nisi eam habeant idoneitatem, qua Ecclesiastico teneantur præcepto: Et ratio est, quia licet præceptum communicandi in mortis articulo sit Diuinum, & Ecclesia hoc præceptum non determinauerit, cum iam esset determinatum, tamen videtur rationale Deum require in recipiente illam idoneitatem, quam Sancta requirit Ecclesia. Non nego tamē oppositam sententiam esse probabilem, cum illam sequantur plures, quos affert Diana p. 5. tract. 3. resol. 44. ubi etiam refert cuiusdam sententiam dicentis, posse dari Eucharistiam pueris, etiam si dubitetur, an sint doli capaces.

Secūda difficultas est, quid intelligat Pontifex per Pascha. Communis responsio est, quod veniat tempus 15. dierum, nempe à Dominica Palmarum inclusiuè, vsque ad Dominicam in albis inclusiuè, & ita declarauit Eugenius IV. teste Nauar. cap. 21. num. 45. In aliquibus tamen locis, tota

etiam venit quadragesima, vt testatur Coninchus quæst. 80. art. 12. dub. 4. de N. statu Mediolanensi.

Tertia difficultas, an satisfaciatur præcepto Ecclesiastico annuæ communionis ille, qui in peccato mortali communicauit. Communis opinio est affirmatiua; & ratio est, quia Ecclesia solum actum præcipit externum, quem istæ integrum ponit. Tum quia finis præcepti non cadit sub præcepto. Et si præcipiat reuerentiam, externa sufficiet.

Quarta difficultas est, an qui in Paschate non communicauit, teneatur statim communicare; an Pascha sequens possit expectare. Sunt duæ sententiæ probabiles; prima docet teneri statim communicare. Hanc sequitur Suarez disput. 70. sect. 2. Nauar. capit. 21. num. 45. Vasquez, Layman, & alij. Secunda per oppositum tenet quod tempore Paschatis elapso, communicandi obligatio extinguatur. Hanc sequitur Antoninus, Syluest. Tabiena, Medina, Soto, Victoria, quos refert Suarez, & Ledesma,



Ioan. de la Cruce, Toletus, Valentia, Emanuel Sa, quos refert, & sequitur Diana de Sacram. resol. 41. Et ratio harum sententiarum est, quia Lateranense Concilium utroque modo potuit Paschalem præcipere communionem; nimirum quod tale tempus daretur ad sollicitandam communionem; ita quod, si tunc non fuit posita, postea ponatur, vel etiam taliter potuit illud tempus præscribere, quod illo transacto, obligatio finiretur; utro autem modo hoc præceptum fuerit datum,

non constat; & sic utraque sententia probabilis manet; prima tamen sequi debet, cum sit magis favorabilis Sacramento.

Ex his inferitur alterius resolutio difficultatis, an ille qui videt se impediturum ne in Paschate communet teneatur præscriptum tempus præuenire, nam secundum primam modo relatam sententiam teneretur, secundum vero secundam, non teneretur, prior tamen cum sit magis huic favorabilis Sacramento est suadenda.

# DISPUTATIO

## DECIMAQVINTA

### *De Ministro Sacramenti Eucharistiæ.*

**D** Thomas quæstione 81. agit de modo quo Christus Dominus fuit usus Venerabili Sacramento. Vtrum

nimirum, proprium Corpus, & Sanguinem sumpserit; & partem resoluit affirmatiuam; ita quod hoc Sacramentum in Christo spiritualemente quantam

dam



dam dulcedinem causauerit. Vtrum Christus Dominus Corpus suum Iudæ dederit; & affirmatiuè respondet. Vtrum Corpus, quod Christus Dominus sumpsit, & quod Apostolis dedit, fuerit passibile, vel impassibile; & dicit fuisse passibile. Et tandem vtrum, si Corpus Christi Sacramentum, fuisset ad tempus tridui conseruatum, fuisset sub speciebus trortuum; & partem docet affirmatiuam, quia omnia quæ Christo Domino se-

cundum se conueniunt, vt passio, mors, dolor, & similia, etiam in Sacramento conueniunt. Sed quia omnia ista sufficienter ex dictis manent enodata, ideo quoad hanc quæstionem sistimus, & ad quæstionem 82. accedimus, in qua agit Sanctus Magister de huius Sacramenti ministro; vt autem habeas, quæ huius quæstionis sunt propria, relictis quæ de Sacram. in Generale sunt pertractata, sit.

## QVAESTIO I.

*Quis sit proprius huius Sacramenti conficiendi minister, qui que dispensandi.*

**M**artinus Lutherus in lib. de abroganda Misalâ pnuara docet iure Baptismi omnes fideles, esse huius Sacramenti ministros, ordinationem vero requiri tantum, vt disciplina seruetur.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Solus

Sacerdos, caractere Sacerdotali, per sacram ordinationem insignitus, est proprius, & sufficiens Eucharistiæ conficiendæ, minister. Hæc conclusio est de fide definita primò in Concilio Niceno can. 14. & in Concilio Lateranensi sub Innoc. III. & refertur cap.



cap. *Firmiter* de Summa Trinitate, & Fide Catholica, ubi dicitur: *Et hoc utique Sacramentum nemo potest conficere, nisi Sacerdos qui ritè fuerit ordinatus secundum claves Ecclesie, quos concessit Apostolis, eorumque successoribus Iesus Christus.* Et in Tridentino sess. 22 can. 2. & colligitur ex illo Apostoli ad Hebræos 5. *Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo tanquã Aaron.* Hi autem non sunt omnes fideles, sed soli Sacerdotes, ut est communis Patrũ intelligentia.

Probatur primò, quia ut docet Tridentinũ sess. 23. cap. 1. 2. 3. & 4. potestas cõficiendi hoc Sacramentũ, est potestas ordinis, characterem supponens Sacerdotalem ergò illi soli possunt hoc Sacramentum conficere, qui Sacerdotalem habent characterem. Alioqui si hæc potestas esset communis omnibus baptizatis, iam nulla esset in Ecclesia membrorum distinctio, nulla hierarchia, nullus ordo.

Probatur secundo, quia si hæc potestas in solo fundaretur Baptismo, etiam fæmine

possent esse idonei huius Sacramenti ministri; hoc dici nequit; ergò &c. Minor patet; tum quia, est contra Apostoli præceptum, quod fæminæ in Ecclesia taceant. Tum etiam, quia hæc est hæresis Pepuzianorum, & Collyridianorum, apud Sanctum Epiphanium hæresi 49. & 79. & apud Sanctum Augustinum hæresi 27.

Probatur tertio, quia potestas offerendi sacrificia in lege antiqua, non fuit pænes omnes; ergò multo minus in lege noua. Antecedens patet ex Sacra Scriptura. Consequentia etiam liquet; nam potestas offerendi sacrificia, in lege noua, est longè nobilior, quam esset in lege veteri; ergò si in veteri lege, non nisi ad vocatos extendebatur Sacerdotium, à fortiori in noua. Hæreticorum argumenta non refero, & quia, facilia, & quia alibi soluta; vnde ad secundam in quæstionis titulo propositam difficultatem accedo.

Circa ministrum dispensationis, vel distributionis huius Sacramenti conueniunt

Ca-



Catholici, solis Sacerdotibus conuenire, esse ordinarios ad dispensandum, seù distribuendum Eucharistiæ Sacramentum ministros, vt docet Tridentinum sess. 13. cap. 8. his verbis. *In Sacramenti sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit, vt laici à Sacerdotibus communionem acciperent, Sacerdotes autem celebrantes, se ipsos communicarent; qui mos tanquam à traditione Apostolica descendens, turè, ac merito retineri debet.*

Conueniunt similiter, hanc ministerialem huius Sacramenti distributionem, tam quoad species sanguinis, quã quoad species corporis, posse Diaconis ex commissione conuenire. Sed hæc commissio non nisi ex necessitate committi potest, vt colligitur ex Concilio Carthaginensi IV. can. 38. Addit Vasquez disputat. 219. cap. 1. posse Diaconos etiam extra vrgentem necessitatem, seù articulum mortis absente Præsbytero, etiam se ipsos communicare; quia, inquit, id conceditur in Concilio Niceno 1. can. 14. sed hoc

non videtur in vsu, sicuti neque quod alios communicent etiam de Parochi venia; tempore namque antiquo id facile concedebatur, quia ad Diaconum pertinebat, post Sacerdotem Corpus Christi porrigentem, Sanguinem Domini ministrare; vt de Beato Laurentio dicitur. *Cui commissæ Domnini Sanguinis dispensationem;* modo autem cum Sanguinem non ministret, neque facultas illi datur à Sacerdote ministrandi Christi Domini Corpus. Vnde multo minus, id munus alijs inferioribus clericis concedi debet, sicut nec laicis. Licet Suarez Valentia, Reginaldus, & alij apud Hurtadum disp. 11. diff. 3. ad id extendant; vnde satius erit sine Viatico mori, quam illud ab aliquo infra Diaconum, saltem, recipere; vt vigens Ecclesiæ consuetudo seruetur; cum vim legis habere videatur. Regina autem Scotiæ, de qua dicitur propriis se communicasse manibus ante mortem, vel id fecit bona fide, vel ne Eucharistia ad iniquorum manus deueni-



veniret, vel vt dicitur ex Summi Pontificis dispensatione, quæ ex rationabilibus causis tunc data fuit.

## QVAESTIO II.

*An omnes Sacerdotes sint ministri ordinarij Eucharistia distribuenda.*

**L**icet omnis Sacerdos iure diuino habeat potestatem dispensandi aliis hoc Sacramentum, cum solum Sacerdos potestatem habeat cõficiendi illud; tamen videndum est an de facto õnis Sacerdos possit tali vti potestate. Et cõmunis resolutio est, illos tantum Sacerdotes, posse hoc Sacramentum legitimè aliis distribuere, qui habent in eos potestatem ordinariam, vel delegatam. Et ratio est, quia pascere gregem Christi Domini doctrina, & Sacramentis, maximè Eucharistia, quæ est præstantissimus animæ cibus, pertinet ad Pastorem, ratione officii sui, quo vultum pecoris sui, statumque illius spiritualem scire debet; sed hoc non assequeretur, si illius subditi à quouis Sacerdote indiscriminatim

hoc Sacramentum recipere possent; ergò &c. Et sic nullus potest hoc Sacramentum ministrare, nisi habeat facultatem ordinariam, vel delegatam, seu ex Pontificis priuilegio, vt habent regulares.

Nota tamen sufficere Pastoris licentiam virtualem, vel etiam interpretatiuam ad hoc Sacramentum distribuendum. Vnde optimè notat Petrus à S. Ioseph. in sua Idea Theologiæ lib. 2. de Euchar. cap. 2. num. 112. quod eo ipso, quod quis habet facultatem in alterius Ecclesia celebrandi, censetur habere licentiam hoc Sacramentum distribuendi; & ita vsus interpretatur.

Sed quæres primò, an si religiosus hoc Sacramentum alteri religioso administraret, sine vlla venia superioris illius, incur-



incurrat excommunicationē in Clementina *Religiosi* fulminatam. Et respondeo quod non, quia talis excommunicatio solos afficit religiosos, quando sine sufficienti privilegio, vel sine Parochorum venia, laicis hoc Sacramentū administrant. Vnde Sacerdos laicus hoc Sacramentum administrans, sine Parochi venia peccat quidem, quia alterius usurpat iurisdictionem, non tamen in talem incidit excommunicationem, quod idem dicendum est de religioso, quando id ipsum facit cum religioso alterius religionis.

Quæres secundo, an Parochus tempore pestis, teneatur cum periculo mortis, Sacramentum Eucharistiæ, & idem est de Sacramento extremæ vnctionis, ministrare peste infectis. Et dico, quod licet Parochi teneantur etiam cum vitæ periculo Sacramentum Penitentiae infectis peste ministrare, cum debitis semper cautelis, vt tunc tempotis fieri solet; non tamen tenentur hoc Sacramentum, nec extremam vnctionem ministrare. Ratio

est, quia hoc Sacramentum, in re susceptum, non est necessarium necessitate mediæ ad salutem, vt docent omnes; & aliunde est sufficiens ratio illud eo tempore non præbendi. Ita Villalobos tom. I. tractat. 14. diffic. 6. num. 7. post Suarium, & alios quos ibi refert. idem habet Moltes. to. I. tractat. 4. capit. 3. numer. 51 & 52.

Quæres tertio, an Parochus vel alius habens sufficientem facultatem distribuendi hoc Sacramentum, possit illud in die Veneris Sancti ministrare: item in prima Missa Natiuitatis Domini, quæ media nocte canitur. Primam huius dubii partem supra tetigimus, vnde illam breuiter affirmatiuè respondendo absoluius, cum M. Candido tom. 3. disquisit. 2. ar. 28. dub. 12. Ioanne della crux de Sacrificio Missæ quæst. 2. dub. 2. concl. 1. & aliis communiter cum solum, eadem die Missæ celebratio non cōmunio prohibeatur. Ad secundum dicit Bordonus to. 2. resol. 56. num. 61, id non licere cum hoc sit Sacerdotum privilegium, vt possint tunc



temporis, media nocte celebrare; quod privilegium ad laicos extendi non debet. Sed hæc Bordoni resolutio omnibus displicere debet, cum usus sit in contrarium, non solum in mea religione, sed etiam ut audio ferè in omnibus aliis. Tū quia hoc nullibi prohibitum reperitur. Tum etiam, quia Bordoni ratio, non videtur ad rem, nam ideo est Sacerdotum privilegium tunc temporis media nocte celebrare, quia, aliis temporibus id vetatur, ut infra de Sacrificio Missæ dicetur; at vero laicis nullibi vetatur, quod communicare non possint, & ante auroram, & post meridiem. Deinde dato; quod esset Sacerdotum privilegium media nocte tunc celebrare, id privilegium extenderetur ad laicos, cum currat in omnibus eadem tantæ solemnitatis ratio.

Quæres quarto, an possit Parochus, vel quilibet alius Sacerdos sufficientem habens facultatem distribuendi hoc Sacramentum, dare suæ hostiæ partem laico communicare volenti. Et respondeo affirmatiuè, non solum pro cõ-

municando moribundo, verū etiam ob deuotionem, ita Syluester; Angelus, Zenardus, & alii plures quos refert, & sequitur Diana de celebratione Missarum resol. 37. vnde Dicastillus tom. 1. de Sacram. tractat. 4. disput. 11. dubio 6. num. 115. docet Sacerdotem dantem suæ hostiæ partem laico communicaturo, etiam sine causa non peccare mortaliter, cum nulla fiat, nec Sacramento, nec sacrificio grauis irreuerentia, nec alibi sit hoc prohibitum; ut autem Sacerdos id faciens à peccato etiam excusetur veniali, aliqua causa requiritur, ut si cõmunicaturus aliam non habeat Missam, vel cogatur diu expectare alium Sacerdotem celebrantem, quod illi sit satis onerosum, cum sit officio occupatus; vel quod ob hoc cogeretur communionem differre, ad alteram diem. Similiter si esset persona grauis, vel nobilis, quæ communicare tunc vellet; imo & famulus ut tempestiuè sit expeditus ad seruitia exhibenda nec possit facile sine officiorum dispendio expectare. videatur

Tam-



Tambur. Opusc. de communi cap. 6. §. 6. num. 30. Leander. de Sacram. tom. 2. tractat. 7. disputatio 4. quæstion. 17. & alii.

Quæres quinto, an Curatus Ecclesiæ Cathedralis possit omnibus indifferenter communionem præbere in die Paschæ, ita quod omnes satisfaciant Ecclesiæ præcepto in Cathedrali communicando. & respondeo affirmatiuè cum Genu. praxi cap. 76. num. 22. Possuino de officio Curati cap. 7. num. 57. Sa. Verb. Sacram. num. 4. Barbol. de officio Parochi p. 2, cap. 20. num. 12. & aliis. Et ratio est, quia Cathedralis in qualibet ciuitate est communis, & vniuersalis, totius diæcesis Parochia, sicuti Episcopus est communis Pastor, vt habetur cap. *quicumque* 10. quæst. 1. & cap. *præcipimus* 12. quæst. 1. optimum tamen consilium est, seruare cuiusque loci vsum.

Quæres sexto an regulares possint in virtute suorum priuilegiorum venerabile Sacramentum omnibus confluentibus in die Paschæ ministrare, itaut à regularibus commu-

nicati, præcepto satisfaciant Ecclesiastico. Suppono cum Sanchez tom. 1. lib. 3. disput. 23. num. 17. Tamburrino de iure Abbat. tom. 2. disput. 5. quæst. 3. num. 6. Portello de dub. Regul. verb. Sacramentum. 6. Facundez. præcept. 1. lib. 1. cap. 8. num. 5. & aliis communiter posse Regulares suorum virtute priuilegiorum venerabile ministrare Sacramentum vagis, aduenis, & peregrinis in die Paschatis ad adimplendum annuæ communionis præceptum. Cuius ratio est, quia prohibitio Clement. 1. *de priuilegijs* in fauorem inducta fuit Parochorum ne scilicet impediuntur Parochiani, ne ad suam confluerent Parochiam, in die Sancto Paschæ, pro communiione recipienda; quod non contingit in casu aduenarum, Peregrinorum &c. Nec debent isti cogi, vt aliqui volunt, vt eant ad cathedralem, cum nullum de hoc re extet preceptum.

Suppono etiam cum prædictis auctoribus, posse regulares communicare ad satisfaciendum præcepto illos, qui vt serui, & domestici in-



tra conuentum degunt, sicut, & potest illis viaticum, & extrema vnctio præberi; quod aliqui etiam admittunt de conuigato, qui licet tota die in conuentum maneat, nocte, tamen non manet; quod mihi placet quantum ad communionem; secus quantum ad extremam vnctionem, si extra conuentum egrotet, sicut, & quantum ad viaticum, dum extra conuentum manet.

Suppono tandem religiosum de licentia Parochi, quæ tamen debet esse certò præsumpta, & moraliter certa posse Parochianis illius, hoc Sacramentum ministrare; sicut diximus id posse, ex eiusdem licentia, in mortis articulo facere.

Difficultas præfens ad hoc solum reuocatur, an regulares possint sæcularibus tempore Paschatis ministrare Eucharistiæ Sacramentum, ut annuæ communionis præceptum adimpleant Antoninus Diana de celebratione Missarum resolut. 73, partem resoluit affirmatiuam, ex diuersis priuilegiis, quæ ibi adducit.

Idem videtur resolvere Lugo disput. 18. numer. 49. Quod, & ego libenter admitterem, licet ad usum non deducerem, ne contentiones cum D. Parochis essent: & etiam, quia mihi valde rationabile videtur, quod saltem semel in anno oues proprium recognoscant pastorem: libenter ergò talem admitterem, resolutionem, nisi in contrarium S. C. decretum adesset, sub die 20. Martii 1638. ad Archiepiscopum Neapolitanum; quod decretum refert Diana p. 6. tr. 7. res. 58.

Nota tamen quod si quis (vt fieri solet in meis regionibus præsertim à nobilibus) prius in Parochia satisfecisset annuæ præcepto communionis, vt si communicasset in die Iouis Sancti, in propria parochia, posset in regularium Ecclesia pro sua deuotione communicare. Similiter (vt mihi aliquando contigit) si quis vellet ex deuotione communicare in die Sancto Paschæ in Ecclesia regularium, vt strepitum fugeret Parochianorum, vel ob alium finem, vt postea alio die verbigratia

Do-



Dominica in Albis; ut præcepto satisfaciat, in propria communicet Parochia. Nisi & hoc Episcopus prohibeat, quod prohibere Sacra declaravit cōgregatio, apud Dianam par. 9. tract. 9. resol. 27.

Quæres 7. an quādo huius Sacramēti minister, sibi met ipsi, vel aliis hoc Sacramentū ministrat, teneatur habere stolam. & respondeo cū Azorio, Pitigiano, & Gavato, quos refert, & sequitur Diana de celebratione Missarum resol. 20. negatiuè. Sed vsus est in contrarium, ideo retinendus.

Quæres octauò, an huius Sacramenti minister dum hoc Sacramentum administrat infirmo, possit eiusdem Sacramenti reliquias simul cum ablutione eidem infirmo præbere. Et respondeo affirmatiuè cum Marchino de Sacram. Ordinis tract. 3. part. 3. cap. 3. num. 16. ubi testatur de vsu in Religione Sanctæ Mariæ Fulienſis Ordinis Cisterciensis; quod ego etiam vidi obseruari à Parochis doctis, & timoratis, qui communicato infirmo, purgabant pixidem, & dignitos in aqua, quam pro

ablutione eidem præbebant infirmo. Et ratio est, quia illa reliquiarum sumptio, censetur vna eademque cum hostiola moralis sumptio.

Quæret aliquis nono, quam obligationem habeat proprius huius Sacramenti minister, conseruandi accensam lampadem, ante Venerabile Sacramentum.

Conueniunt omnes in iure communi nullum esse de hac re præceptum, sed solum esse consuetudinem, quam esse solum laudabilem, non sub mortali obligantem, tenet Marchantius resol. Pastoral. tract. 4. cap. 5. quæst. 4. Sed verius videtur obligare sub mortali. Vnde si tempore notabili, & ex notabili negligentia, extincta maneat, præsertim de die, peccatum mortale erit. Propterea in Diœcesi Mediolanensi, ut non semel audiui, est pœna 40. scutorum, quam soluere cogitur, qui huius consuetudinis transgressor probatur. Et hæc de Venerabili Sacramento. Vtinam cedant in laudē, & venerationem eiusdem Sacramēti.  
Hodie Die 10. Februarij 1656





TRACTATUS  
 QVINTVS  
 DE SACROSANCTO  
 MISSÆ  
 SACRIFICIO.



**I**nstituit N. Redemptor Eucharistiæ Sacramentū non solum vt salutare alimentum à fidelibus sumeretur; verum etiam, vt tanquā summum, & proprium noui

testamenti sacrificium offerretur, in iugem Dominicæ passionis memoriam, gratiarumque actionem. Item vt credentibus prodesset ad huius & futuræ vitæ mala depellenda, bonaque impetranda; vt viuis etiam, & defunctis ad remissionem prodesset peccatorum.



rum. Hoc est illud iuge sacrificium, quod non nisi ad finem mundi est absoluendū. Hæc est oblatio illa munda, quæ per varia legis nature, & scriptæ sacrificiorum symbola fuit figurata. Hæc est, inquã, oblatio illa munda, quæ nulla offerentium iniquitate valet inquinari. Hoc est Mel-

chisedech sacrificium in supersubstantiali pane, & vino consistens. Hoc quotidie nos Sacerdotes Deo Patri offerimus; & de hoc, noster hic labor erit; vtinam, & memoria, & fides, & deuotio, & gratiarum actio. Sed vt solito ordine procedamus sit.

# DISPUTATIO PRIMA

*De natura, & essentia Sacrificij Missæ.*

**V**ariis nominibus Altaris sacrificium vocari solet, vt hostia, victima, oblatio, holocaustū, &c. communiter tamen *Missæ* vocatur, quod nomen non est hebraicum, vt aliqui dixerunt, sed latinum; si namque hebraicum esset etiam apud Græcos remansisset, sicut & alia nomina hebraica, vt alleluia, osanna, amen. Est er-

gò *Missæ* nomen latinum, idē significans, quod dimissionem quia veteres sepe usurpare solebant præterita passiva loco eorum nominum, quæ à grammaticis verbalia vocantur; sic dicitur *collecta* pro collectione, *remissa* pro remissione; sic *Missæ* pro missione; eo quod Diaconus, vbi peruentum erat ad eam mysterii partem, cui non licebat catechumenis



menis interesse, clamabat: *Ite Missa est*: quo denotabatur cathecomenorum, ab Ecclesia, dimissio. Item in Missa quando erat sacrificium peractum, idem Diaconus in Missa solemnī, & in priuata Sacerdos celebrans, clamabat: *Ite Missa est*, quo populi significabatur dimissio. Inde vsu, & consuetudine translarum fuit hoc nomen, ad significandum tremendum Altaris sacrificium. Et hoc nomine non solum Catholici, verum etiam Hæretici, vtuntur communiter. Alii non improbabiler dicunt Missam dici ab admisione, eo quod dicto Euangelio excluderentur catechumeni, & admittebantur fideles, & sic stat hoc nomen pro illa Liturgiæ parte, quæ est ab offertorio vsque ad finem, quæ pars dicebatur fidelium Missa. Alii etiam dicunt Missam dici ab immisione, pro tota Liturgiæ celebratione, secundum quod comprehendebat etiam Missam

Catechumenorum. Sed prior dicendi modus videtur congruentior. Auctor Missæ est solus Christus, vt dicit D. Cyprianus lib. 1. Epist. 3. *Iesus Christus inquit Dominus noster ipse est summus Sacerdos Dei Patris, & sacrificium Deo Patri ipse primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit.*

Diuiditur Missa in solemnem, priuatam, & nauticam, seu siccam, quæ fit sine consecratione, sed recitantur omnia alia, vel cum rocheto, & stola, vel etiam cum omnibus paramentis solitis, & erat alias in vsu in nauibus, vel ob fidelium deuotionem, quando aliam non poterant Missam audire. Sed cum hæc Sacrificium non fit, sed purè, vt dicitur, Missa sicca, sine sacrificii humore, relinquitur, & de Missa tum solemnī, tum priuata disputatio præsens, & aliæ sequentes procedent, sit ergò.



## QVAESTIO I.

*Quid sit Sacrificium in communi.*

**P**RO fundamentali huius difficultatis intelligentia noto primò, certum esse, secundum fidem, sacrificium soli Deo esse offerendum; licet enim genuflexiones, pectoris rursiones, licitè, & Angelis, & hominibus in aliqua dignitate præcellentibus deferantur; imo, & templa, & altaria eisdem dicuntur, non tamen sacrificia. Vnde Exod. 22. *Qui immolat Dijs occidetur, præter Domino soli.* Et Iudic. 13. dicente Manue ad Angelum. *Faciemus tibi hadum de capris.* Respondit Angelus; *Si me cogis non comedam panes tuos, si vis autem holocaustum facere, offer illud Domino.*

Nota secundo sacrificium esse in genere signi ad placitum, significat enim sacrificium internum, & inuisibile, seu repræsentat hominis ad Deum subiectionem, & reuerentiam tanquam ad primum principium, & vltimum finè,

& supremum rerum omnium Dominum. Oratio namque vocalis in signum potentia Dei data est, à quo bona exposcimus. Adoratio in protestationem subiectionis. Iuramentum, in protestationem veracitatis Dei; & sic de alijs Religionis actibus. At vero sacrificium, est talis religionis actus, qui domini prædicti sit signum. Pro quo noto tertio, omnem religionis actum, consistere quidem in quadam oblatione Deo facta, cum omnes afferant quandam subiectionem hominis ad Deum, qua homo se, suaque Deo offert; vt videre est in actu deuotionis, quo homo mentem suam, viresque omnes offert. In adoratione, qua proprium offert corpus. Et sic, cum sacrificium in omnium sententia, debeat in aliqua oblatione consistere, oblationis naturam debemus inuestigare, oblatio ergò est duplex; vna est,

B b b b      quan-



quando res oblata differt ab offerente, alia vero, quando non est aliquid extrinsecum ab offerente distinctum. Deinde alia est oblatio, quæ fit immediatè Deo, & alia quæ solum mediatè vt sunt primitiæ tum legis nouæ, tum veteris; vt erant primogenitorum Hebræorum oblationes &c. & in hac oblatione certum est, quod ratio sacrificii consistere non potest; cum sacrificium debeat esse oblatio magis sacra, per quam aliqua actio circa rem oblatam exerceatur, & per consequens quæ Deum immediatè respiciat. Vnde Apostolus Heb. 5 dicit. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia.* Vbi Apostolus distinguit inter res oblatas scilicet dona, & sacrificia, quia in pura oblatione nulla requiritur actio in rem oblatam; in oblatione vero de qua loquimur, quæ est sacrificium, aliqua actio circa rem oblatam dari debet; ideoque sacrificium dicitur quasi *sacrum factum* vt dicitur in cap. multi. 1. q.

1. Hucusque conueniunt omnes: difficultas solum est in assignanda hac actione.

Pro quo nota quarto, tres actiones in sacrificiis communiter interuenire. Prima dicitur sacratio rei sacrificandæ, quæ fiebat vel per manuum supra victimam impositionem, vel per quandam eleuationem, vel per quasdam præces &c. Secunda est oblatio in Dei cultum. Tertia est eiusdem rei consumptio, vel mutatio. His positis.

Prima sententia hæreticorum, est sacrificium non solum consistere in qualibet ex dictis actionibus, sed etiam in quacunque alia, qua aliquid Deo offeratur. Ita Calvinus lib. 4. instit. cap. 18. §. 13. & eius asseclæ.

Nostri sententia sequenti explicatur conclusione. Sacrificium essentialiter in ea actione consistere debet, per quam aliqua fiat rei oblatæ mutatio. Hæc est communis Catholicorum sententia, & illam docent omnes Thomistæ cum D. Thoma 2. 2. quæst. 85. art. 3. videatur Raphael della Torre ibidem. Et omnes



nes expositores hoc loco .

Probatum primo , quia ut videre est in omnibus sacrificiis veteris legis aliqua semper fiebat rei sacrificatæ mutatio , si enim res oblata erat viuens ut bos , vitulus &c. interficiebatur , si inanimis , & solida comburebatur , si liquida per effusionem effundebatur ; ergo signum est de sacrificii ratione esse talem mutationem . Vnde videmus etiam Ethnicos idem in eorū sacrificiis seruasse .

Probatum secundo , quia per sacrificium testamur Deum ita esse omnipotentem , ut perfectum habeat vitæ , & mortis dominium , & omnia per eum esse , & ab eo destrui posse , & in nihilum redigi ; sed hoc rectè per talem rei oblatæ mutationem exprimitur ; ergo &c. quando namque hostia ab esse ad non esse transit , in Dei redit potestatem , quia solus illam potest reproducere . Et sic talis mutatio pro signo deseruit ad huiusmodi Dei omnipotentiam dignoscendam . Soluuntur argumenta hæreticorum .

Primum argumentum de-

sumunt ex multis Sacræ Scripturæ testimoniis , ubi omne opus bonum sacrificium Deo oblatum vocatur . ut Psal. 50. *Sacrificium Deo spiritus contritus .* Et ad hebræos ult. *Offeramus hostiam laudis semper Deo , id est fructum labiorum consentientium nomini eius .*

Respondetur nomine sacrificii in citatis Sacræ Scripturæ locis , & aliis similibus , non venire sacrificium propriè dictum , sed latè , sed metaphoricè , per quandam similitudinem ad verum , & proprium sacrificium ; sicut namque hoc fit per victimæ mutationem , ita , & spiritus , per contritionem contribulatus .

Secundum argumentum desumunt ex diuersis SS. PP. dictis , præsertim D. Augustini 10. de Ciuitate cap. 6. ferè per totum , ubi inter cetera dicit . *Verum sacrificium est omne opus bonum ; quod agitur , ut Sancta societate Deo inhaereamus , relatum scilicet ad illum finem boni , quo veraciter beati esse possimus .* Vbi lumen Ecclesiæ apertissimè docet , quodlibet opus bonum esse verum , & proprium sacrificiū .



Respondetur eodem modo ac prius. D. namque Augustinus dum vocat opus bonū verum sacrificium, intelligit opus bonum morale, quod ex omnibus partibus est bonum, nempe ex obiecto, fine, circumstantiis. In omnium enim sententia sacrificium est actus religionis soli Deo, vt supra dicebamus, debitus, & non quicumque, sed specialissimus vt ex dictis liquet. Nam licet per adorationem Deum recognoscamus, & adoremus vt supræmum quoad claritatem, dignitatem, & excellentiam; cum sit adoratio signum, per quod practicè Deo nos submittimus vt superiori in excellentia &c. non tamen adoratio est sacrificium; cum non habeat illius vltimam talitatem. Et licet per simplicem oblationem practicè recognoscamus, & profiteamur Deum, non vt superiorem in excellentia, & dignitate, sed vt supræmum omnium rerum Dominum, cui omnes res debent deferuire; ob idque ea illi offerimus, vt aurum, argentum, sericum, ceram, triticum, panem, &c. vt deno-

temus horū, & omniū quæ possidemus dominiū magis esse Dei, quam nostri; non tamen adhuc per has oblationes dicimur propriè Deo sacrificare, vt est omnium sensus; sed tunc dicimur Deo propriè sacrificare, cum taliter Deum Omnipotentem profiteamur, vt ipsum recognoscamus auctorem ipsius esse, & non esse rerū, vitæ, & mortis, ad quod profitendum talis deseruit oblatio, quæ sit rei oblatae mutatiua, vel quæ sit rei consumptio, vel ad consumptionem ordinata; tunc enim temporis optimè denotatur rem omnem pro Diuinæ voluntatis nutu, posse destrui, & in nihilum redigi, sicut eodem nutu producta fuit.

Ex dictis non erit difficile legitimam assignare sacrificij definitionem, tum metaphysicam, tum physicam. Metaphysica est, quam tradit D. Augustinus 10. de Ciuit. cap. 5. *Sacrificium visibile, inuisibilis sacrificij sacrum signum est.* Seu sacrificium est signū sacrum visibile, inuisibilis sacrificij; nempe interioris protestationis, qua protestamur Deum



Deum esse auctorem vitæ, & mortis. Ita quod sacrificium debet esse signum sensibile exterius, quod immediatè habet signare internum sacrificium, nempe internam protestationem, qua protestantur Deum esse omnium rerum auctorem, & esse, & non esse. At qui id, quod talem habet significare protestationem, non potest non esse, vt ex dictis liquet, actio externa rei oblatæ mutatiua. Hæc Augustiniana definitio est sacrificij prout dicit solam externam actionem. Quod si velimus illud definire adequatè prout dicit actionem externam, & internam; est signum diuinæ omnipotentiae prout Deus per illam habet dominium vitæ & mortis, seu esse, & non esse: seu est signum Dei producentis & destruentis. Quod explicuit Eusebius lib. 1. de demon. cap. vltimo dicens: *Hominem debere vitam suam Deo in Sacrificio; quia tamen hoc non expedit, ideo lege naturæ introductum fuisse, vt in Sacrificium animalis, vel aliquid eiusmodi commutaretur.* Quorum verborum sensus est, tantam

esse diuinæ maiestatis excellentiam, tam eminentem eius omnipotentiam, quod ex hoc præcise, quod in eius manu sit vita, & mors hominis, debet illi homo se ipsum in Sacrificium; & quia hoc non erat expediens, subrogata fuere in lege antiqua animalia, & in noua, se ipsum, Deus O. M. subrogauit: ò mira Dei dignatio, vt homo conferretur, Deus ipse in Missæ sacrificio mactatur.

Physicè sic communiter definiri solet Sacrificium. *Sacrificium est externa oblatio rei sensibilis, legitima auctoritate instituta, à legitimo facta ministro soli Deo per realem mutationem, ad testandum eius omnipotentiam, qua est auctor vitæ, & mortis, & cuius nutu res omnes sunt, & destrui possunt.* Ponitur oblatio loco generis, nam omne Sacrificium est oblatio non è contra, dicitur rei sensibilis, quia Sacrificium est actus latriæ, qua supremam Deicolimus excellentiam; latria vero est quædam adorationis species, quæ constat re externa, internam significans extimationem, quã  
ado-



adorans de re habet adorata ; ob idque diximus sacrificium in genere signi , ad placitum significantis , esse . Ponitur illa particula *legitima auctoritate instituta*, quia non est cuiusque Sacrificium offerre, sed vocatorum tanquam Aaron , ut loquitur Apostolus ; ut etiam in usu fuit apud nationes, ut docet Aristoteles Politicorum 6. dicitur *soli Deo*, quia Sacrificii morium , Deo soli potest convenire. dicitur *per realem mutationem*, quia ut dictum est, id ipsum ad Sacrificii essentiam pertinet, ut ab aliis distinguitur religionis actibus . Tandem ponitur illa particula *ad testandum eius omnipotentiam, qua est auctor vita, & mortis* : per quæ verba morium , & causa finalis ad quam significandam sacrificium ordinatur notantur.

Sed hæc definitio licet optima sit, nimis tamen fusa est,

quod est contra leges bonæ definitionis, ideo physicæ per partes solummodo intrinsecas sic potest brevius definiri. Sacrificium est *oblatio sacra, rei mutata*; cum enim Sacrificium sit quoddam artificiatum debet ut artificiatum definiri , artificiatum autem definiuntur per materiam, & formam in recto , ut cathedra definitur *lignum figuratum*. Ita Sacrificiū debet per propriam materiam , & formam definiri, propria autem materia, & forma sacrificii est oblatio, & res ipsa quæ offertur, forma vero est eiusdem rei oblatae mutatio, modo supra explicato, sed quia non habemus nomen quod totam dicat materiam, nempe oblationem, & rem oblatam, usi sumus istis ; *oblatio sacra, rei mutata*; cui definitioni, si rectè expendatur, omnes sacrificii condiciones conveniunt.



## QVAESTIO II.

*An Christus Dominus in vltima cæna verum  
fecerit sacrificium.*

**D**E vltima quæritur cæna nam in Cruce conueniunt omnes, & ipsi hæretici, Christum Dominum, verum, & perfectissimum, secundum ordinem Melchiede Sacerdotem, obtulisse in Cruce, sacrificium. Licet enim Martyrum passiones sacrificia propriè dici non possint, Christi tamen passio, & mors verè sacrificiū, fuit. Passio namque Christi à martyrum passionibus, quatuor differt modis. Primo ratione personæ, nam erat Sacerdos, & talis quod suæ dignitatis ratione, poterat hostiam designare, quam offerret; quod martyres etiam si Sacerdotes sint, facere nequeunt, sed tenentur ritū, & omnia alia à Deo præscripta, obseruare. Secundò ratione actus, quia Christus Dominus in sua habebat potestate se ipsum morti offerre, & non offerre, iuxta illud *oblatus est*

*quia ipse voluit* Isa. 53. & Io: 10. *Ego pono animam meam, nemo tollit eam, &c.* Non sic Martyres, vt ex se liquet. Tertio ratione formæ, quia Christus Dominus se ipsum obtulit non casu, sed solemniter, in die Fæsto Paschæ, in altari Crucis, cum omnibus requisitis ad solemne Sacrificium, vt communiter docent Sancti Patres. Non sic Sancti Martyres. Quarto ratione finis; quem noster sūmus Sacerdos intendebat, qui erat placare, medio proprii Corporis sacrificio, Deum Patrem, iustè ab humano genere auersum. At vero martyrum finis non est Deum humano generi placabilem reddere, sed veritati testimonium præbere. Et sic de oblatione solum vltimæ cæna, præsens currit difficultas.

Prima sententia, est nostrorum temporis hæreticorum, dicentium Christum Dominum



num in vltima cæna, verum non obtulisse sacrificium,

Nostra sententia sequenti explicatur conclusiõne. Christus Dominus quando in vltima cæna Eucharistiam instituit, verè celebravit, seu verè & propriè sacrificavit, seu quod in idem redit, proprium sacrificium obtulit. Hęc cõclusio est de fide definita in Tridentino sess. 22. cap. 1. de ducitur ex Psal. 109. & ex Apostolo ad Hebræos 7. vbi Christus Dominus dicitur *Sacerdos secundum ordinem Melchisedech*, quod secundum Patres, quos longa manu refert Alanus de sacrificio Missæ c. 5. de Christo est. Ex quibus testimoniis sic efficacissima, contra hæreticos, efformatur ratio. Si Christus Dominus in vltima cæna non sacrificasset, non posset dici Sacerdos secundum ordinem Melchisedech; hoc dici nequit, nisi sacram negare velimus scripturam; ergò &c. Maior probatur, nam ad hoc vt Christus dicatur Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, debet in suo sacrificio observare ritum, quem ipse observavit

Melchisedech, offerendo nimirum panem, & vinum, sed hunc ritum Christus Dominus nunquam nisi in cæna observavit cum suum Corpus, & Sanguinem, sub speciebus panis, & vini, Deo Patri, pro nostra obtulit reconciliatione: ergò. Vnde licet noster istæ Sacerdos summus, maximus, & secundum ordinem Melchisedech in Cruce se ipsum obtulerit, non tamen eo ritu quo Melchisedech suum obtulit sacrificium.

Confirmatur præcedens ratio. Nam in cæna vera fuit Corporis Christi oblatio, veraque illius mutatio; ergò verum sacrificium. Consequentia tenet, cum procedat à definitione ad definitum. Antecedens ostenditur, ex illis verbis; *fregit, deditque discipulis suis*, vbi vt vides clare docetur, veram interuenisse actionem, victimæ oblatæ mutatiuam, si enim Sacrificium Crucis fuit verum, & proprium sacrificium, vt vel ipsi hæretici fatentur, quia ibi intercessit traditio, datio, Sanguinis effusio, fractio, &c. vt docet Apostolus ad Rom. 8.

*Qui*



*Qui etiam proprio filio non percipit, sed pro nobis omnibus tradidit illam, & ad Galat. 1.*

*Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris. & cap. 1. tradidit se metipsum pro nobis* Quare cum hæc omnia etiam in cæna intercesserint non debet, & ibi verum intercedere Sacrificium. Tum quia, omnia quæ ad Sacrificium requiruntur, in cæna ad fuerunt: nam imprimis fuit Christus Dominus verus Sacerdos, legitima institutus auctoritate. Fuit vera rei sensibilis oblatio, soli Deo facta, in protestationem quod Deus sit vitæ, & mortis auctor, per veram, & propriam actionem transmutatiuam, seu destructiuam, per veram, & propriam commestionem, & bibitionem, per quæ vera fit, media spæcierum desitione, Corporis, & Sanguinis destructio. Sed de hoc infra. Soluuntur argumeta hæreticorum.

Primum argumentum est: si Christus Dominus in vltima cæna verum fecisset sui Corporis, & Sanguinis sacrificium, opus nostræ redemptionis ante sacrificium Crucis consu-

masset; hoc dici nequit; ergò non verè sacrificauit. Maior ostenditur. Nam cæne sacrificium fuisset infiniti valoris, & per consequens, plenè, & perfectè pro nostris satisfecisset peccatis, Deo Patri; & sic frustra Crucis sacrificium positum fuisset.

Respondetur quod licet sacrificium cæne fuerit re vera infiniti valoris, & sufficientissimum ad consumandam nostram redemptionem, tamen sola mors fuit ad hoc ordinata. Vnde dicere solent sancti, quod vna sanguinis gusta quam in circumcissione effudit Christus Dominus fuit absolutissimè sufficiens ad reconciliandum nos Deo patri, sicut & quodlibet iter, & qui libet labor, tamen, quia pacatum erat de morte, hanc solam ad hoc ipsum ordinavit.

Secundum argumentum. Sacrificium quod modo sacrificant Sacerdotes, est applicatiuum sacrificii Crucis; ergò si semel Christus in cæna sacrificauit, debuit illud sacrificium esse applicatiuum eiusdem Crucis sacrifi-



cii, cum nostrum Sacrificium, & illud Christi sint idem numero; Atqui hoc esse nequit: quod sic discurrendo breuiter ostenditur; nam id quod est alterius applicatiuum debet illud supponere, sed in cæna sacrificium Crucis, non supponebatur, cum tunc temporis futurum esset; ergo.

Respondetur concedendo Antecedens, & primam consequentiã, vt enim supra cum veriori sententiã in tractatu de Baptismo diximus, quando Apostoli baptizabant ante Christi Domini mortem, gratiam conferebant, sed per respectum ad eandem Christi Domini mortem. Vnde vt rem vno verbo dicamus, ante mortem Christi, gratia causabatur à morte in genere causæ finalis, post mortem vero in genere causæ efficientis. Et sic Sacrificium cænæ fuit applicatiuum sacrificii Crucis in genere causæ finalis, nostrum vero sacrificium est applicatiuum

eiusdem, in genere causæ efficientis.

Tertium argumentum est; quia si semel Christus Dominus in cæna sacrificasset tale sacrificium esse debuisset commemoratiuum sacrificii crucis, hoc dici nequit; ergo. Maior constat, nam cum sit idem numero, cum nostro, & nostrum sit illius commemoratiuum. & illud cænæ esse debuit. Minor euidenter esse videtur, namque nihil potest esse commemoratiuum rei futuræ, sed præteritæ, cum esse commemoratiuum idem sit ac esse repræsentatiuum.

Respondetur concedendo Maiorem, & negando minorem. Ad probationem dico nullam esse implicantiam, quod fiat repræsentatio, vel commemoratio rei futuræ, & sic cum tempore cænæ, mors Christi Domini esset mox futura benè potuit vt talis representari.



## QV A E S T I O III.

*An Ecclesiæ Sacerdotes dum Missam  
celebrant, verum offerant Sa-  
crificium.*

**L**utherus, Calvinus, & omnes eorum asseclæ volunt Sanctæ matris Ecclesiæ Sacerdotes, verum, & proprium non offerre in Missa sacrificium. vt videre est apud Belarminum de Missa libr. 1. c. 5. cum enim negent præsentiam corporis, & Sanguinis Domini in Venerabili Sacramento; subinde negant in Missa verum, & proprium offerri sacrificium.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Sacerdos legitimè ordinatus, in Missa quam debitè celebrat, verum offert sacrificium, nempe Corpus, & Sanguinem Domini. Hæc est de fide pluries definita, nempe in Concilio Niceno can. 14. in Concilio Carthaginensi 2. can. 4. Constantiensi sess. 8. & in Tridentino sess. 22. can. 1. his verbis:

*Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum, & proprium Sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.*

Probatum primo ex dictis quæstione præcedenti: Christus Dominus in vltima cæna se ipsum Deo Patri sub specie panis. & vini obtulit; ergo & nos Sacerdotes id ipsum facimus. Antecedens constat ex dictis quæstione præcedenti. Consequentia probatur, quia illud ipsum Sacrificium, quod ipse fecit, iussit quod & nos faceremus, dum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem;* & per consequens debuit nobis talem concedere potestatem, qua talem iusionem exequeremur. Vnde Apostolus 1. cor. 10. loquens in persona Sacerdotum nouæ legis fa-



tur : *Fugite ab idolorum cultura : ut prudentibus loquor ; vos ipsi iudicate, quod dico ; Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Domini? & panis quem frangimus, non ne participatio Corporis Domini est? quoniam unus panis, & unum corpus multi sumus, qui de vno pane participamus. Videte Israel secundum carnem; nonne qui edunt hostias participes sunt Altaris? quid ergo? dico quod idolis immolatum sit aliquid, aut quod idolum sit aliquid? sed immolans Gentes, demonijs immolant, & non Deo.*

Probatum secundo. In omni religione, siue vera, siue falsa semper aliqua fuerunt sacrificia; ergo etiam in religione Catholica aliquod sacrificium esse debet: hoc aliud esse nequit nisi sacrificium Missæ; ergo. Antecedens est evidens etiam non mediocriter versatis in nationum historiis, & merito quidem, nam cum naturæ lumen dicet, esse aliquod super præmum numé: esse primum quoddam principium, à quo viventium vita, morsque dependet, naturali

instinctu ad tale principium recognoscendum inclinamur. Consequentia etiam liquet, alioqui Christiana Religio, hoc naturali lumine, naturalique instinctu priuata esset, quod non est dicendum. Minor subsumpta constat; nam res christiani nullum aliud recognoscimus sacrificium, nisi Sacrosanctum Missæ sacrificium; non alio modo recognoscimus Deum esse vitæ, mortisque auctorem, nisi per agni immaculati sacrificium.

Sed dices sufficere Christianæ Religioni, sacrificium Crucis, per hoc enim sufficienter, supremum Dei dominium, supra vitam, mortemque recognoscimus. Nam contra est, quia Crucis sacrificium, non est proprium novæ legis sacrificium, sed commune cum lege antiqua, siue naturæ, siue scripta, omnia namque naturæ, scriptæque legis sacrificia, ad hoc unum respiciebant, hoc unum profitebantur, & quotquot iusti sanctique tunc temporis fuerunt, ob Crucis participationem fuerunt. Tum quia, Crucis sacrificium semel peractum est,



est, nec amplius replicatur, nec amplius nisi in virtute manet; in quacunquæ autem religione sacrificia replicantur.

Confirmatur præcedens argumentum, quia Ecclesia inferior esse non debet Sinagoga; in recognoscendo Deo per sacrificium; ergo cum Sinagoga plura habuerit sacrificia Ecclesia quæ perfectior nobiliorque est Sinagoga, debet vnum habere, quod omnia illa in virtute contineat, Antecedens admittunt, & ipsi hæretici, cum Sinagoga ambularet in umbra, Ecclesia in veritate. Consequentia magis explicatione quam probatione eget.

Sinagoga ergo tria habebat sacrificiorum genera. Primum quod offerebant Deo ob ipsius reuerentiam, recognoscentes ipsum vniuersalẽ omnium Dominum; & hoc holocaustum vocabatur, in quo totum animal, quod Deo offerebatur, igne consumebatur, & nulla particula reseruabatur, vt prorsus ostenderent Deum esse absolutum rerum omnium Dominum, &

Creatorem. Secundum sacrificii genus erat, quod Domino offerebant in reconciliationem pro peccato commisso, & hoc hostia dicebatur, seu placabilis victima, & huius pars aliqua Sacerdoti seruabatur, reliquo igne consumpto; per quod signare volebant Deum esse nostræ salutis, & sanctificationis causam, sed mediis etiam eius ministris, qui orarent, qui intercederent &c. Quando tamen erat Sacerdotis, vel totius populi peccatum, expiatio per holocaustum fiebat, vt denotaretur aut ministri iniquitas, aut peccati grauitas. Tertium erat, quod in gratiarum offerebatur actionem pro beneficio accepto; vel pro beneficio impetratione, & hostia pacifica dicebatur; & huius fiebant tres partes. Vna per ignem Deo offerebatur, altera Sacerdoti dabatur, altera offerentibus remanebat. In quo denotabant quod Deus salutem, & alia bona dabat, sed & per suos ministros, & per nostram etiam diligentiam, & operationem. Hæc tria sacrificiorum genera erant sacri-



sacrificii Missæ figura, & in ipso modo perfectissimo continentur. Nam Corpus Dominicum, quod in hoc offertur sacrificio, est verum, & perfectissimum holocaustum, quia illud totum in Dei Patris honorem, recognitionemque Christus Dominus obtulit; est vera & placabilis victima, quia totum humanum genus Deo Patri reconciliauit. Est vera hostia pacifica, quia per ipsam maximæ Deo gratiæ sunt actæ, habitæ, & relatæ, aguntur, habentur, & referuntur; & per eam maxima nobis obtinuit Christus beneficia, & de facto obtinentur. Soluuntur potissima hæreticorum argumenta.

Primum est, quia memoria, repræsentatio, & commemoratio sacrificii peracti, verum nequit esse sacrificium, sed Sacerdos in Missa memoriam agit, repræsentationem, & commemorationem sacrificii Crucis, vel cænæ, secundum illud *Hoc facite in meam commemorationem*; ergò. Maior nota est, cum sit vniuersaliter certum, rei repræsentationem, non esse rem ipsam. Minor

etiam ex citatis Christi Domini verbis nota est, & docent communiter SS. PP.

Respondetur distinguendo Maiorem, memoria, repræsentatio, & commemoratio nuda & simplex sacrificii peracti nequit esse sacrificium, & conceditur; memoria, repræsentatio, & commemoratio, quæ simul est veritas ipsa, seu ipsam rei repræsentatæ continet veritatem, & negatur. Igitur vna, & eadem res, & potest esse veritas, & veritatis repræsentatio, & potest esse sacrificium, & sacrificii repræsentatio. Exemplum habemus in Scriptura Sacra quod negare non possunt hæretici, nam immolatio Agni Paschalis, quæ quot annis in lege fiebat, verum erat sacrificium, vt omnes docent, & tamen erat commemoratio immolationis primi Agni Paschalis per filios Israel ante egressum ex Ægypto immolati. Et sic Missæ sacrificium, est quidem sacrificii Crucis repræsentatio, sed non nuda, & simplex; sed ipsam continens veritatem, & sic idem secundum diuersa, est repræsentans, & repræsentatū.



Secundum argumentum est, quia Eucharistia est Sacramentum; ergò nequit esse sacrificium. Antecedens est certum apud omnes Catholicos; consequentia tenet, quia idem nequit esse sacrificium, & Sacramentum.

Respondetur Eucharistiam & esse Sacramentum, & esse sacrificium; est sacramentum prout est rei sacræ signum, nempe gratiæ sanctificantis, est sacrificium prout Deo offertur in signum supræmi dominii, quod habet super esse, & non esse rerum omnium.

Tertium argumentum; si Missa verum esset sacrificium propriè dictum, deberet esse idem numero cum sacrificio Crucis, & cæne; sed nequit esse idè numero; ergò nequit esse sacrificium. Minor in qua est difficultas probatur. Primò quia sacrificium commemorativum non potest esse idem numero cum re commemorata. Secundo quia sacrificium, cuius consumptio est manducatio, & bibitio, non potest esse idem numero, cum sacrificio, cuius consumptio est occisio; atqui sacrificium

Crucis in occisione consistit, sacrificium vero Missæ in manducatione, & bibitione; ergò &c.

Respondetur cum Nugno hic difficultate 3. concedendo maiorem, quoad rem oblatam, licet oblationes sint diversæ, nam illa oblatio, qua Christus se ipsum Deo Patri obtulit in cæna, non est illa eadem, qua se obtulit in Cruce, & illa oblatio, qua offertur à nobis in Missa, non est eadem cum illa, qua Christus se ipsum obtulit in Cruce, physicè saltem loquendo, nã moraliter, cum habeat valorem ab illa, potest aliquo modo dici idem cum illa. Deinde neganda est minor. Ad primam probationem patet ex dictis, nulla namque est implicantia quominus vna & eadem persona secundum vnã rationem repræsentet se ipsã secundum aliam; cuius rei plura exempla adducunt Scribentes, v: si Rex ingrediatur repræsentationem victoriæ à se habitæ &c. Ad secundam probationem dico, solum probationem illam concludere non esse omnimodam idem-



identitatem inter sacrificium offerendi rationem, ut dixi-  
Crucis, & nostrum, penes mus.

## QVAESTIO IV.

*In quonam essentia Sacrificij Missæ consistat.*

**P**ro intellectu præsentis quæstionis advertè, in Missa septem esse actiones de quibus potest esse dubitatio, in quanam illarum eiusdem sacrificij Missæ essentia consistat. Prima est panis, & vini oblatio, quæ offertorium dicitur, quod ante consecrationem peragitur. Secunda est panis, & vini consecratio. Tertia est Venerabilis Sacramenti elevatio. Quarta est eiusdem Sacramenti oblatio, ut cum Sacerdos hostiam simul cum Calice elevans, & Deo Patri offerens dicit: *Per ipsum, & cum ipso, & per ipsum est tibi Deo Patri Omnipotenti, omnis honor, & gloria.* Quinta actio est, qua dividit Sacerdos, & frangit hostiam in tres partes. Sexta actio est

commixtio utriusque speciei Septima est earundem specierum consumptio, seu sumptio.

Mihi circa has actiones dicendum in primis videtur, non posse huius Sacramenti essentiam consistere in panis, & vini oblatione, cum hæc sit quædam cæremonia ab Ecclesia instituta, & si quis sine illa celebraret verè sacrificium offerret. Neque etiam huius sacrificij essentia consistere potest in eiusdem Sacramenti elevatione, propter eandem rationem, cum certum sit hanc actionem ab Ecclesia inductam esse, ut Venerabile Sacramentum ab assistantibus veneretur, & adoretur. Neque similiter huius sacrificij essentia consistere potest in oblatione



tionem illam, quæ fit æterno Patri, vel ut alii volunt in illa oblatione verbali, quæ statim fit post consecrationem per illa verba: *Vnde, & memores Domine nos serui tui &c.* cum & hæc sit cæremonia ab Ecclesia inducæta. Et ob id, neque in hostiæ fractione, licet enim Christus Dominus panem fregerit antequam ipsum consecraret, ut facilius Sacramentum distribueret, nõ tamen ipsum fregit Sacramentum, ideoque Ecclesia ad consecrationem talem præposuit fractionem; dicens: *Accipit panem in sanctas, ac venerabiles manus suas, & eleuatis oculis in Calum ad te Deum Patrem omnipotentem: tibi gratias agens, benedixit, fregit deditque discipulis suis dicens accipite, & manducate Hoc est Corpus Meum.* Vnde tota difficultas ad duas reuocatur actiones, nempe ad consecrationem, & communionem, seu sumptionem. Vnde de hac re tres sunt sententiæ.

Prima sententia est sacrificii Missæ essentiam in sola consecratione consistere. Hanc tenent plures recentio-

res, ut Suarez Valquez hic, & alii apud illos.

Secunda sententia est essentiam sacrificii Missæ in vtraque actione consistere, nempe in consecratione, & consumptione. Ita Lugo cum quibusdam aliis.

Nostra sententia sequenti explicatur concussione. Essentia sacrificii Missæ in sola consumptione consistit, ita quod consecratio ea solum ratione supponatur tanquam actio hostiæ consecrandæ productiua. Hanc sequuntur communiter Thomistæ post Sotum 4. dist. 13. quæst. 2. art. 1. Illam tribuit Magno Alberto, & Ledesma Hurtadus difficult. 7.

Prima ratio. Sacrificium Altaris debet esse repræsentatiuum sacrificii Crucis, seu debet in ea actione formalissimè consistere, quæ est repræsentatiua formalissimè rationis sacrificii Crucis; sed hæc actio non potest esse consecratio, sed Corporis, & Sanguinis sumptio; ergò non in consecratione, sed in sumptione, formalissima, & essentialis sacrificii ratio consistit.



Maiores videtur evidens, nam cum sacrificium Missæ sit commemoratiuum, & repræsentatiuum sacrificii Crucis, in eadem actione consistere debet huius repræsentatiui ratio, in qua consistit ratio sacrificii repræsentati; alioqui si semel in diuersa actione sisteret ratio repræsentatiui, ac repræsentati, repræsentatio fieri non posset. Minor probatur, nam sacrificium Crucis formalissimè, & essentialiter consistit in consumptione seu destructione Corporis, & Sanguinis Domini quæ per mortem fuit executæ: sed consecratio non repræsentat formalissimè consumptionem, & mortem Christi, benè autem consumptio Corporis, & Sanguinis Domini quæ media sumptione exequitur; ergò. Minorem hanc optimè probat Sotus hisce verbis: *Mors Christi non repræsentatur in consecratione, imò consecratur, ut immoletur, dum consumitur nam illa (nempe consumptio) est mortis, & sepultura Christi effigies, & in sumptione Sanguinis adhibetur imago effusionis eius. Quæ ratio est adeo*

efficax quod si rectè expendatur soluta manebunt omnia, quæ ex aduersariorum doctrina adduci possunt.

Respondebit ergò aliquis primo ex doctrina Coninchi non esse de ratione sacrificii quod id quod offertur consumatur, seu destruat, sed solum quod mutetur, hæc autè mutatio sufficienter ponitur in Corpore Christi per consecrationem, ut patet. Sed hæc solutio non satisfacit: primò, quia non soluit argumentum factum, quod nimirum sacrificium Missæ in ea actione consistere debeat, quæ sit repræsentatiua mortis Christi, hæc autem non est positio corporis Christi per consecrationem, sed est eius destructio per sumptionem. 2, quia est cōtra communem Theologorum sententiam tenentium de ratione sacrificii præsertim rei viuæ, & quæ per verum offertur holocaustum, quod res oblata destruat; si enim sufficeret mutatio, per rei positionem, certè, & filii generatio, & templi ædificatio, & altarium erectio sacrificia dici possent.



Respondebis secundo cum Vasquez in præsentia, posse Missæ sacrificium in sola consecratione consistere, quia licet de ratione sacrificii abso- luti, sit rei sacrificatæ destru- ctio, non tamen est hoc de ra- tione sacrificii repræsentatiui. Nam contra est, quia nequæ hoc nostrum infringit argu- mentum, nam quidquid sit an sacrificium repræsentatiuum debeat esse destructiuum rei sacrificatæ nec ne, debet ta- men in ea actione talis consi- stere repræsentatio, quæ maio- rem habeat similitudinem cū actione illa in qua crucis sacri- ficium consistit, quæ certè non est Christi sub speciebus posi- tio, sed eius consumptio. De- inde falsum est, quod etiam in sacrificio repræsentatiuo non debeat fieri victimæ des- tructio, quando est rei viuæ oblatio, & est verum, & pro- prium holocaustum.

Respondebis tertio cum Leonardo lib. 12. de perfectio- nibus diuini num. 95. vbi re- tractat id quod docuerat de iust. lib. 2. c. 38. dub. 2. Quod in consecratione vera possit sacrificii ratio intercedere,

quia repræsentatur mors Chri- sti per separationem corporis à sanguine vi verborum con- secrationis. Nam contra est, quia actio consecratiua vi sua non est separatiua Corporis Christi a sanguine, sed est ac- tio positiua Corporis, non positiua sanguinis; aliud nam- que est actionem ponere vi sua Corpus, & vi sua non po- nere sanguinem, aliud est se- parare corpus à sanguine; si- cut aliud est ponere animam secundum quod ponit gradū corporis, & non ponere illam secundum quod ponit gra- dum animati, & aliud est se- parare corpus ab anima. Item aliud est actionem consecrati- uam ponere corpus, & non ponere vi sua Verbi diuini sub- sistentiam, & aliud est separa- re corpus à subsistentia illa: priora ponit consecratio, non posteriora.

Respondebis quarto cum Lugo, Missæ sacrificium in consecratione essentialiter consistere posse, quia licet Corpus Christi per consecra- tionem non destruatür substā- tialiter, destruitur tamen hu- mano modo, quatenus acci-



pit statum decliuorem, & talem quod reddatur inutile ad vsum humanos corporis humani, & aptum ad vsum cibi, unde humano modo idem est ac si esset verus cibus, verus panis, aptatus, & conditus, in cibum. Sed neque hæc Lugana responsio vim nostræ rationis eneruat; nam dato toto eo quod dicit, nostrum non soluitur argumentum, dato namque quod per consecrationem Corpus Christi statum illum acquirat decliuorem ratione cuius id quod non erat panis, fiat humano modo panis, adhuc magis exprimitur, & repræsentatur, ratio sacrificii Crucis per huiusmodi panis consumptionem, quam per eius productionem; Tum quia; consecratio formalissimè non respicit statum hunc decliuorem, corporis Christi, sed eius substantialem, ex pane productionem; secundum D. Thomæ, & nostram sententiam; vel secundum sententiam illius auctoris, terminatur ad introductionem, vel constitutionem Corporis Christi sub speciebus, ad quam postea sequitur ille status decli-

uior; prius namque est quod Corpus Christi sub speciebus introducat, quam quod decliuorem statum acquirat intelligatur, cum introductio sit ratio status decliuoris, non status decliuoris ratio introductionis.

Tum etiam quia, illa ratio status decliuoris potius mutationem inoralem, quam physicam affert, ac vero sacrificii ratio, ut etiam Gentes sentiebant, quando erat rei viuæ sacrificatio, in verba, & reali hostiæ destructione consistere debet, præsertim quando est verum holocaustum, ut in præfenti contingit. Tandem, Verbum Diuinum per carnis assumptionem diceretur æterno Patri sacrificatum, quia statum suscepit decliuorem, iuxta illud exinuiuit semetipsum &c.

Impugnatur deinde absolute illa sententia quod nimirum sacrificii Missæ essentia nequeat in consecratione consistere; nam actio præparatiua victimæ ut offeratur; non potest esse ipsa, & essentialis eiusdem victimæ ut offeratur,



sacrificatio: Atqui consecratio in Missa, est ipsa victimæ sacrificatio; ergò. Maior videtur clara, alioqui Abraham dum sistit filium suum super altare, manibus, pedibusque ligatum, & sic absolutè paratum ut sacrificaretur, verè sacrificasset, quod est plusquam fallum, cum ut colligitur ex Apostolo heb. 11. fuit quidem Isaac oblatus, sed non sacrificatus; vnde fuit *Isaac oblatus* (ut loquitur S. Mediolani Episcopus in Psal. 39. *Aries vero immolatus*. Vnde sicut vnio hypostatica verbi diuini cum humana natura non fuit pars sacrificii per Christum Dominum in Cruce oblatus, sed tantum præparatio materiæ offerendæ; ita, & consecratio. Quæ rationes adeo conuincunt Didacum Nugnum, ut dicat hanc sententiam, nimirum, quod consecratio sit de sacrificii Missæ essentia, esse prorsus improbabilem.

Secunda ratio est: Si Sacerdos in Missa Sacramentum non sumeret, sacrificium non faceret, sed truncum, mutilum, & imperfectum relinqueret; *ob idque inquit Sotus quia rû-*

*ptio vtriusque formæ ad essentiam sacrificij attinet tanta fuit cura Ecclesiæ, ut nunquam Sacerdos consecraret, quin vtramque sumeret.* Ex alia parte in die Parasceues nulla fit consecratio, sed consumptio, & tamen secundum verioremententiam illa Missa est verè sacrificium. Quod sic breuiter discutendo demonstro; nam habet omnes conditiones ad sacrificii rationem necessarias. est enim oblatio rei sensibilis, corpus namque Christi ratione specierum est sensibile; est legitima auctoritate instituta, quia non solum hostiæ præparatio, quæ media fit consecratione, verum etiam eius consumptio, est Christi Domini institutio, per legitimum facta ministrum, scilicet Sacerdotem; fit soli Deo ut patet, fit per veram, & realem mutationem, imo consumptionem, ad testandum eius omnipotentiam, qua est auctor vitæ, & mortis, quia re vera per talem consumptionem id ipsum exprimitur; quod consecrationi nullatenus conuenit, ut ex se liquet. Tum quia negari non potest quin



quin in Missa Parasceues Corpus Christi; verè non offeratur, quod tale sacrificium non sit impetratorium; nō sit pro pænis peccatis debitis satisfactorium, &c.

Tertia ratio: Corpus, & Sanguis Christi Domini per consecrationem non sacrificatur, sed ad Altare sistitur, vt postea sacrificetur; sed hæc sacrificatio non fit nisi per consumptionem; ergò in consumptione, non in consecratione sacrificij Missæ ratio, & essentia, consistit. Maior in qua est difficultas probatur; nam id fit per consecrationem, quod per verba formæ exprimitur; sed verba formæ non aliud formalissimè signant, quam Corpus, & Sanguinem fisci sub speciebus; ergò per consecrationem id ipsum solum fieri potest; quid enim est panem consecrari, quam Corpus Christi verè realiter, & substantialiter, per consecrationem poni sub speciebus panis? &c.

Confirmatur hæc ratio; nā consecratio vtriusque speciei perficitur in instanti, ita quod consecratio panis sit vna in-

diuisibilis actio, quæ in eo instanti in quo perficitur, Corpus Christi sub eiusdem panis speciebus reponitur; & idem dicendum est de actione consecratiua vini; atqui vna, & eadem indiuisibilis actio, non potest esse positio Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus, & eiusdem Corporis, & Sanguinis immolatio; ergò in consecratione consistere non potest ratio, & essentia sacrificij Missæ. Maior nota est. Minor ostenditur, nam implicat actionem productiuam rei, esse in eodem instanti, quo rem producit, eiusdem rei productæ destructio; ergò implicabit actionem consecratiuam esse formalissimam corporis, & Sanguinis Christi positionem, & in eodem instanti esse eiusdem Corporis, & Sanguinis Domini destructionem; cum enim de essentia actionis consecratiuæ, vt supra dicebamus, sit, quod rei sacrificatæ, sit formalissima mutatio, & quando res quæ sacrificatur est victima, quæ simul vt holocaustum offertur, debet etiam esse eiusdem victimæ occisio,



sio, & totalis consumptio, vt docet Angelicus doctor 22. quæst. 85. art. 3. ad 3 sequitur omnino implicare vnam, & eandem actionem esse positionem corporis, & Sanguinis Domini, & simul, & in eodem instanti reali, esse eiusdē Corporis, & Sanguinis Domini totalis cōsumptionē, habentē veram, & perfectissimam holocausti rationem, vt volunt Patres habere. Ideoque Christus Dominus post consecrationis verba addidit illa, *quod pro vobis tradetur: quod pro vobis effundetur*; per quæ denotatur, per consecrationem nō fieri formalissimam illius victimæ sanctissimæ mutationem sed solum victimam poni, seu parari, quæ postea morti tradetur, & effusioni &c. Quæ traditio, & effusio optimè, vt supra dicebamus per Corporis, & Sanguinis sumptionem significantur.

Quarta ratio: ipsa formalissima Sacramenti confectio, non potest esse sacrificatio, sicut nec Sacramentum quæ tale, est sacrificium; sed consecratio est formalissima Sacramenti confectio; ergò non

potest esse sacrificatio. Maior videtur euidens; nam Sacramenti confectio sicut, & ipsum Sacramentum, bonum nostrum respiciunt: sunt namque Sacramenta qua talia, ordinata ad sanctificandos homines; ideoque Sacramentū ab omnibus definitur cum D. Thoma signum rei sacræ sanctificantis homines; at vero sacrificium, & actio ipsa sacrificandi, non bonum nostrum, sed Dei extrinsecum respiciunt, cum actio sacrificandi sit potissimus religionis actus, vt supra docuimus Minor etiam clara est, cum hoc venerabile Sacramentum non alia conficiatur actione, quam consecratione. Nec valet dicere eandem actionem consecratiuam vtramque habere rationē, & consecrandi, & offerendi secundum diuersos respectus, nam prout est Sacramenti cōfectio, est consecratio; prout vero est actio religiosa in Dei honorem, & reuerentiam elicit, est sacrificatio.

Nam contra est, nam ad hoc vt actio aliqua sit sacrificatio, non sufficit quod sit actio religiosa in Dei honorem,



rem, & reuerentiam elicitam, sed vterius indispensabiliter requiritur quid sit transmutatiua victimæ sacrificatæ; requiritur quod sit quædam victimæ maceratio; atqui hoc non reperitur in actione consecratiua; ergo &c. Maior ex dictis liquet. Minor ostenditur. Primò quia consecratio est victimæ productio, non destructio, & postquam victima producta est, per talem actionem non mutatur. Secundò, quia sequeretur, quod omnes actiones Sacramentales essent sacrificatæ, cum non minus religiose sint, aliorum Sacramentorum actiones, quam consecratio; similiter consecratio qua talis refertur quidem in Deum, sed ad eum modum, quo aliæ Sacramentariæ actiones referuntur; ergo &c. Ad quod si semel sacrificii Missæ essentia, in sola consecratione consisteret, non solum frustra Ecclesia esset adeo sollicita de communionem facienda in casu quo Sacerdos post consecrationem communicare non posset, ut supra cum Soto dicebamus; verum etiam permittere posset quod Sacerdos ho-

stiam quam consecrauit in Missa, in sacrario reponeret, & antiquam consumaret, quod tamen non permittitur; unde opposita sententia quam post Henriquez docuit Facundez par. 1. lib. 3. cap. 4. num. 26. communiter improbabilis vocatur. Et Lugo disp. 19. sect. 5. num. 76. dicit Henriquez, & Facundez minus Theologicè fuisse locutos. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum, illa Missæ pars est de essentia Sacrificii inuenti in qua Christus Dominus est principalis offerens, & Sacerdos vice Christi fungitur. similiter ea pars Missæ est essentialis ad quam efficiendam Sacerdotalis potestas, & eius Character directè, & per se primo ordinatur; sed Christus Dominus est principalis offerens in Eucharistiæ consecratione, & in hoc Sacerdos vicem Christi repræsentat, ob hoc potestas, & character datur Sacerdotalis, & non ob communionem; ergo non in communionem, sed in consecrationem Sacrificii inuenti essentia consistit.

Re-



Respondetur cum Nugno hic difficultate 2. in solutione 4. Sacerdotem duas ex æquo exercere actiones in persona Christi, consecrare nimirum, & offerre; & hæc secunda, supponit primam. Ita similiter Christus Dominus in vltima cæna duas exercuit actiones, vnam consecrandi, & aliam offerendi, seu sacrificandi, & hæc, primam supponit; cum prius sit victimam fisci, quam offerri; & sicut in consecratione, Christus est principalis consecrans, & Sacerdos secundus, ita in sacrificando, Sacerdos est secundus sacrificans, & Christus primus. Et sicut in Christo fuit potestas ad sacrificandum & hæc supponebat potestatem ad consecrandum, ita in Sacerdote, potestas ad sacrificandum, supponit potestatem ad consecrandum, & vna sine alia non datur. Et sic Christus est principalis offerens in Eucharistiæ sacrificio, dum hostia offertur, quæ in eius consumptione fieri solet. Vnde Sacerdos in sua consecratione duas recipit potestates, primam consecrandi, se-

cundam offerendi; quænam autem ex istis sit potior, postea dicetur.

Secundum argumentum: vsus, participatio sacrificii, & fructus illius nequeunt esse ipsa essentia sacrificii, in omnium enim sententia vsus rem ipsam supponit; sed Sacerdotis communicatio, est vsus, & participatio sacrificii, & fructus illius; ergo nequit esse ipsum sacrificium. Maior nota est. Minor probatur, quia Sacerdos non aliter fit incurienti particeps sacrificii, quam media communione; ergo.

Respondetur Sacerdotis communionem duplicem habere rationem, & sacrificii, & participationis illius: habet rationem sacrificii, qua parte est sanctissimæ consumptio victimæ, habet rationem participationis, & sacrificii, & Sacramenti confecti, quatenus, qua sacrificium suum prodegit in Sacerdote effectum, de quo infra; & quatenus, qua Sacramentum, gratiam confert recipienti, nisi obicem ponat. Igitur Sacerdotis communicatio dupliciter considerari potest. Primo in ratione de-

E c c e s t r u -



structionis, & consumptionis victimæ, & hoc modo solus Sacerdos eam exercet ratione potestatis, & characteris. Secundo in ratione participationis fructus sacrificii, & Sacramenti, & hoc modo Sacerdotis proprium non est communicare, sed cuiuslibet etiam fidelis, qui in virtute characteris Baptismalis potestatem habet communicandi.

Tertium argumentum: omnino certum est Missæ sacrificium fuisse à Christo Domino institutum, & tamen non est certum Christum Dominum se ipsum communicasse; communicatio namque Apostolorum, non potuit esse illius essentia sacrificii; cum Apostoli, ut alibi diximus, in cæna, non consecraverint, ut nostri faciunt Sacerdotes in eorum prima ordinatione; cum enim non adhuc essent Sacerdotes consecrati, non poterant simul cum Christo consecrari; fuerunt namque (ut omnes docent) consecrati per illa verba *Hoc facite in meam commemorationem*, & sic communicati quidem fuerunt, sed laicorum more; ergo non potest

Missæ sacrificium in communione consistere.

Responderetur certum etiam esse Christum Dominum se ipsum communicasse ut docet D. Thomas supra quæst. 81. artic. 1. & cum eo Theologi omnes. Vnde D. Hieronymus, ad Lesbian apud D. Thomam dicit: *Dominus Iesus Christus ipse conuiuia, & conuiuium, ipse comedens, & qui comeditur.* Et quidam apud Caietanum ibidem metricè dixit.

*Rex sedet in cæna, turba circum  
Eius duodena.*

*Se tenet in manibus, se cibabat, ipse cibus.*

Quod etiam colligitur ex Sacris Euangeliis præsertim iuxta Græcam æditionem: postquam enim dicit Christus Dominus illa verba consecratoria; *Hoc est Corpus Meum: Hic est Calix Sanguinis Mei:* subiunxit, *quod pro vobis datur, frangitur: qui pro vobis funditur*, quæ verba Christi Domini expriment communione; idem enim est frangi, ac destrui, iuxta illud Isa. *Frange esurienti panem tuum, & frangere panem in sacris literis accipitur pro manduca-*



re; nec ista fractio, vel manducatio intelligi potest de fractione, vel manducatione solum per Apostolos fienda; cum Apostolorum communio, ad sacrificii rationem non pertineat, benè illa fractio, cum, ut ex se patet, ad sacrificii rationem requiratur; & ob id, illius mentionem fecerit Christus.

Quartum argumentum. Si communio esset de essentia sacrificii Missæ sequeretur Christum Dominum non esse in hoc sacrificio principaliter offerentem; hoc dici nequit; ergò: sequela probatur; nam si Christus Dominus esset prin-

cipaliter offerens in Missa, porteret quod se ipsum comederet; si enim semel sacrificatio in comestione consistit, principaliter offerens debet esse principaliter comedens.

Respondetur quod ad hoc ut Christus dicatur principaliter offerens, non est necesse quod se ipsum comedit, sed quod se ipsum ad comedendum exhibeat. Sicut ad hoc ut in Cruce dicatur principaliter, imò absolutè omnino offerens, non est necesse quod se ipsum occidat, sed quod libere se ad occidendum exhibeat.

## QVAESTIO V.

*Expediuntur aliquæ difficultates ad perfectam  
Sacrificij Missæ intelligentiam  
necessariæ.*

**P**rima difficultas est, an Eucharistia sit perfectior qua Sacramentum, an qua sacrificium. Et respondeo esse perfectionem qua sacrifici-

um, & ratio est, quia Eucharistia qua sacrificium habet importare Corpus, & Sanguinem Christi; qua vero Sacramentum, habet importare in



recto species panis, & vini, & Corpus, & Sanguinem Domini solum in obliquo, vt supra docuimus. Tum quia, hoc nostrum incruentum sacrificium est idem numero quoad rem oblatam, cum sacrificio Crucis, patet autem quod sacrificium Crucis omnia excedit Sacramenta. Tum etiam quia, Eucharistia prout Sacramentum, ordinatur ad se ipsam, prout est sacrificium tanquam medium ad finem. Tum deinde quia sacrificium ordinatur in bonum extrinsecum Dei, in cultum, scilicet excellentissimum illius, at vero Sacramentum in bonum nostrum. Tum denique quia potestas Sacerdotalis datur potissimè in ordine ad sacrificandum; ob idque dum Sacerdos ordinatur dicitur: *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia Dei, tam pro viuis, quam pro defunctis.* An autem secundum quid, Sacramentum excedat sacrificium: affirmatiuè respondetur, ratione nimirum effectus gratiæ, quem per se producit Sacramentum; non sacrificium; de quo infra.

Sed dices, Ecclesia supposita huius Sacramenti institutione, potuisset hoc Sacrificium instituere, si à Christo Domino institutum non fuisset; & tamen Ecclesia non potuit ipsum Sacramentum instituere; ergò Eucharistia est nobilior qua Sacramentum, quam qua sacrificium; nam qua Sacramentum ab Ecclesia institui non potest, bene qua sacrificium.

Nam respondetur, dato quod Ecclesia potuisset hoc sacrificium instituere, supposita Sacramenti institutione, adhuc non sequitur quod Sacramentum sit dignius; quia licet ab Ecclesia institui posset hoc sacrificium, hoc tamen totum esset ex suppositione productionis victimæ, eo nam que ipso quod hanc nobilissimam victimam sub sua, ex Diuina largitate, habuisset potestate, potuisset illam nobilissimo religionis actu, illam in Dei cultum mactare. Vnde ex illa instantia ad summum sequitur, Sacramentum esse sacrificio nobilius secundum quid, non simpliciter, quod iam admittimus,



Secunda difficultas, an Christus Dominus sit principaliter offerens in Missæ sacrificio.

Apud omnes catholicos omnino certum est Christum Dominum in Missæ sacrificio non solum esse rem oblatam, verum etiam esse Sacerdotem offerentem, ut traditur capit. Firmiter de summa Trinitate, & fide catholica, & clarius in Tridentino sess. 22. cap. 1. & 2. & colligitur, & illo Plal. 109 *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Sæc.* Quo testimonio vititur Apostolus habereor. 5. ad probandam Sacerdotii Christi perpetuitatem, usque ad mundi finem. Est etiam certum apud Theologos omnes, Christum Dominum esse causam principalem moralem sacrificii incruentij, applicãdo sua merita suasque satisfactiones; illa namque in omnium sententia est causa principalis moralis, quæ non vititur mediis ab alia causa præscriptis, sed illis, quæ sibi met ipsi, ipsa præscripsit, quod in hoc casu contingit; Christus nãque Dominus sibi ipsi & nobis præscripsit media qui

bus Deo Patri est sacrificandum, ut patet. Nonnulla difficultas est, an debeat Christus Dominus dici causa principalis moralis mediata, vel immediata. Nam pater Vasquez, nixus auctoritate cuiusdam Simeonis Thesalonicensis, dicentis blasphemiam esse dicere Christum per præces, quæ in Missa dicuntur, semper Mediatorem agere, dicit Christum Dominum solum remotione nobiscum sacrificare, quatenus nimirum sacrificium ab ipso fuit institutum, & sua applicuit merita, ut efficaciam haberet, & suo nomine offerri iussit, Sed potissimum P. Vasquez ruit fundamentum, quia ut notavit Lugo hic disput. 19. numer. 90. ille Simeon est modernus quidam schismaticus, quem ut Ecclesiæ hostem insectantur qui controuersias contra orientalium errores ediderunt. P. Suarez cû vera sententia docet Christum Dominum actu offerre, non solum quia instituit, quia tunc sua merita applicuit; verum etiam quia moraliter actu cum Sacerdote concurrat, actu applicando sua merita &c.



&c Vnde non est audiendus C. de Lugo loco citato, dum dicit, controuersiam inter Suarez, & Vasquez esse de nomine, & solum in hoc conuenire, quod Christus Dominus physicè ad sacrificium offerendum, non concurrat, quia nõ habet aliquam voluntatem actualem, physicè existentem qua nunc offerat, vnde etiam si nesciret, quod sacrificium offeratur, vel non attenderet, vel dormiret, adhuc diceretur sacrificium à Christo offerri: sicut Rex dicitur præstare obedientiam Pontifici, quando eam præstat legatus, etiam si Rex tunc temporis dormiat. Vnde concludit ille, Christum Dominum dici in hoc Sacrificio offerentem, quatenus eius nomine à Sacerdote offertur. Non inquam Lugo est audiendus, quia Concilia, & Patres dum dicunt Christum esse in hoc sacrificio principalem offerentem, non volunt solum concurrere ad eum modum quo rex dicitur præstare obedientiam Pontifici, per dationem videlicet commissionis, sed quod proximè, & immediatè ad sacrificium concurrat. au-

diat ille quid dicat Apostolus Hebræ. 8. *Talem habemus Pontificem qui consedit, in dextera sedis magnitudinis in Cælis, Sanctorum minister, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo. Omnis enim Pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur; vnde necesse est, habere aliquid quod offerat.* Vbi vt vides omnia Apostoli verba contra illum auctorem esse videntur. Sed maior impugnatio dicti Lugonis ex mox subiiciendis habebitur.

Difficultas ergò præsens ad hoc maxime reuocatur, an Christus Dominus concurrat vt causa physica ad sacrificium Missæ offerendum. Et respondeo concurrere Christum Dominum vt causam physicam principalem non instrumentalem. Vnde licet Christus Dominus qua homo sit solum causa physica instrumentalis coniuncta Sacramentorum, & speciatim Sacramenti Eucharistiæ, vt de Sacramentis in Genere cum D. Thoma, & Thomistis docuimus, tamen si loquamur de Eucharistia vt sacrificium, est vera, & propria



pria causa physica principalis, & Sacerdos instrumentalis; quod Sacerdos sit causa instrumentalis admittunt omnes; nam licet Sacerdos sit causa principalis sacrificii, quatenus est actus physicus religionis, non tamen quatenus ille actus est sacrificium, habens virtutem suos producendi effectus physicè, & ex opere operato, vt infra dicitur, secundum namque hanc rationem, Sacerdos est instrumentum Christi, ab ipso eleuatum ad actum sacrificii producendum. Quod autem Christus Dominus sit causa principalis physica, sic discurrendo ostenditur: Nam sacrificium debet habere aliquam causam principalem physicam; hæc non potest esse Christus Dominus vt Deus; ergò vt homo. Maior est naturæ lumine nota, vnaqueque namque res, suam debet habere causam principalem, alioqui effectus excedere posset, suæ causæ, virtutem. Minor etiam est euidentis; nam sacrificium non est Dei ad Deum, vel Dei ad se ipsum, cum sit inferioris ad superiorem, creaturæ ad creatorem, naturæ

iure introductum ad recognoscendum supræmum Dei dominium, vt supra dicebamus. Tum quia, vt supra dicebamus sacrificiū Missæ est idem numero cum sacrificio Crucis, & cænæ; sed Christus Dominus fuit causa principalis illorum; ergò, & huius. Tum etiam quia, sacrificium cum omnibus suis effectibus, Christi Domini virtutem non excedit; ergo potest illius esse causa principalis. Ideo namque diximus de Sacramentis in Genere Christum vt hominem non esse causam principalem Sacramenti, quia non potest esse causa principalis causalitatis gratiæ, & sacrificium, qua tale non ordinatur ad causandam gratiam; ergò, &c.

Sed dices primò cum Lugo: si Christus Dominus esset causa physica, & principalis sacrificii Missæ, deberet per actionem aliquam ad hoc ipsum concurrere; atqui non concurrir; ergò. Minor probatur; nam non concurrir actu neque actione interna, neque externa; ergò nulla. Antecedens ostenditur; non actione interna,



na, quia non videtur credibile Christum Dominum ad tot sacrificia attendere, neque actione externa, ob maximam distantiam; ergo.

Respondetur ad hoc argumentum eodem modo ac ipse Lugo num. 80. ad quoddam Vasquez argumentum respondet: dicebat Vasquez, quod Christus non potest dici principaliter offerens, quia non potest dici, quod se ipsum manducet. Respondet Lugo quod ad hoc, ut Christus dicatur principaliter offerens, non est necesse quod se ipsum manducet, sed quod se manducandum exhibeat; sicut in Cruce Christus Dominus dicitur se ipsum sacrificasse, quia se occidendum exhibuit; atqui Christus Dominus physicè se exhibet sacrificandum in Missa, & hoc per veram, & propriam voluntatem, qua se ipsum exhibet offerendum, imò qua se ipsum per Sacerdotis manum se Deo Patri offert. Igitur Christus Dominus est causa principalis physica sacrificii Missæ, & per liberam volitionem, & per nostram actionem sacrificatiuam,

quam ille nobiscum producit nec sacrificiorum multitudo, nec distantia hoc impedit, cum ad vniuersos actus contingentes attendat.

Nec valet contra hoc dicere Christum Dominum quatenus homo non posse attingere tanquam causam principale actionem indistantem, cum hoc sit solius Dei potentis supplere in actione physica distantiam. Nam respondetur, quod Christus Dominus est causa instrumentalis respectu sacrificiationis materialiter sumptæ, non tamen secundum formalitatem sacrificii, cum secundum hanc rationem non possit esse à Deo, nisi ut à causa vniuersali, non particulari. Adde, & melius, posse aliquam causam principalem producere effectum in distans, Deo rationem distantie supplente; non ne potest Deus, supplendo distantiam, facere quod calor, vel ignis, qui est hic Romæ producat alium calorem, vel ignem Mediolani? cum enim distantia sit, solum conditio necessaria naturaliter ad agendum, sequitur quod ex eo, quod

hæc



hæc suppleatur, non ob id extrahatur causa à ratione causæ principalis, si aliunde effectus eiusdem causæ virtutem non excedat.

Dices secundo Eucharistia vt diximus in prima huius questionis difficultate, est perfectior in ratione sacrificii, quàm in ratione Sacramenti; sed Christus Dominus in quantum homo non potest esse causa principalis physica Eucharistiæ qua Sacramentum est; ergò neque qua sacrificium est; qui enim non potest minus, neque poterit maius ad quod ille minus ordinatur.

Respondetur concessa maiori, & minori negando consequentiam; nam Iudæi non potuerunt Christum Dominum producere, potuerunt tamen occidere; non poterant Iudæi producere animalia, poterant tamen illa Deo immolare; sic non poterat Christus Venerabile Sacramentum in quantum homo, etiam per absolutam potentiam tanquàm causa principalis producere, potuit tamen postquam productum fuit, illud Deo Patri

tanquam causa principalis sacrificare, &c.

Dices tertio Missæ sacrificium est infiniti valoris, vt infra dicetur; ergò non potest à Christo Domino vt homine, tanquam à causa principali produci. Consequentia tenet; nam Christus vt homo non potest infinitum valorem sacrificio communicare, sed solum qua Deus, vt est omnium Theologorum sensus.

Respondetur concedendo antecedens, & distinguendo consequens, non potest sacrificium produci à Christo, vt homine, in quoad valorem, & conceditur; non potest illa actio sacrificatiua, quæ prius valorem habere intelligitur à Diuino supposito, à Christo Domino vt à causa principali offerri, & negatur. Igitur sacrificium Missæ, valorem à Diuino habet supposito, ipsum offerri habet à Christo.

Tertia difficultas est, an res oblata in hoc nostro Missæ sacrificio sit solum Corpus, & Sanguis Christi, an etiam species Sacramentales. Prima est aliquorum sententia, in hoc nostro Missæ Sacrosanctæ



sacrificio, rem oblatam esse solum Corpus Christi, & Sanguinem, non species, hanc sententiam tuentur ferè omnes illi qui tenent Missæ sacrificium in sola consecratione consistere; nam per consecrationem non destruuntur species, sed nobilius esse recipiunt; non acquirant statum decliuorem, sed perfectiorem.

Nostra, circa hanc difficultatem, sententia est. Id quod primario in Missæ sacrificio offertur, est Corpus, & Sanguis Christi; species vero offeruntur secundario, in ordine ad Corpus, & Sanguinem Domini; ita quod ex Corporis, Sanguinis, & specierum oblatione integretur vnum, & totale Missæ sacrificium. Ita tenent omnes, qui nostram sequuntur sententiam. Videatur Nugnus hic difficultate secunda.

Probatur primo hæc conclusio ex cap. *Hoc est*. de consecratione dist. 2. vbi dicitur: *Hoc est quod dicimus, hoc modis omnibus approbare contendimus; sacrificium scilicet Ecclesiæ duobus conficitur, duobus*

*constare, visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi Carne, & Sanguine.*

Probatur secundo ex Tridentino sess. 22. cap. 1. vbi definitur. *Dominus noster etsi semel se ipsum in ara Crucis morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut eternam illi redemptionem operaretur; quia tamen per mortem Sacerdotium eius extinguendum non erat, in cena nouissima, qua nocte tradebatur, ut dilecta spōsa sua Ecclesiæ, visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in Cruce peragendum representaretur, &c.* Vbi vt vides vult concilium Missæ sacrificium visibile esse debere. & sic cum Corpus, & Sanguis Christi Domini præcisis speciebus non sit visibile, species ipse requiruntur vt visibile, & subinde sacrificabile reddatur. Est autem differentia inter Eucharistiam prout est Sacramentum, & prout est sacrificium, quod prout est Sacramentum in recto ratio sensibilis importatur, cum de ratione Sacramenti sit esse signum



gnum sensibile, at vero Eucharistia prout sacrificium est licet debeat esse sensibilis, tamen sensibilitas ipsa non importatur primario, & ratione sui, sed secundo, & ratione

alterius, nempe contenti; cum contentum, nempe Corpus, & Sanguis Christi sit res principaliter inspecta in Cælesti nostra, Missæ, oblatione.

## QV AESTIO VI.

*Vtrum utriusque speciei oblatio, sit de essentia Sacrificij Missæ. Vbi aliæ difficultates curiosæ enodantur.*

**C**onsulto in quæstionis titulo posuimus illam particulam oblatio, non specierum consumptio, vel consecratio, ut quæstionis titulus sit vniuersalior, & sensus sit, an de Missæ essentia, sit utriusque speciei consecratio, & utriusque speciei consumptio; licet enim secundum nostram sententiam consecratio non sit de essentia huius nostri sacrificij, omnino tamen conotatur, omnino requiritur, tanquam vniuersalior adductio, quæ subinde postea maletur. Sunt de hac re tres sententiæ.

Prima sententia quam te-

net Vasquez, Suarez, & alii hic, est quod utriusque speciei oblatio, siue consecratio sit de essentia huius sacrificij.

Secunda sententia ex opposito dicit alterutram speciem sufficere ad completam huius sacrificij essentiam. Hanc sententiam sequitur Nugnus hic dubio. licet velit utriusque speciei oblationem pertinere ad huius integritatem.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Si Missæ sacrificium consideretur secundum expressam proprii significati significationem essentialiter petit utriusque



speciei consumptionem à celebrante factam, per vtriusque speciei consecrationem. Si vero Missæ sacrificium consideretur secundum minus expressam sui significati significationem, sufficit vnus speciei consumptio, vel oblatio, vel consecratio. Hæc conclusio est adeo clara, vt non egeat probatione, sed solum aliquali declaratione. Cum enim sacrificium Missæ sit sacrificii Crucis repræsentatiuum, & ibi fuerit facta, & Corporis, & Sanguinis distincta, & expressa oblatio, & hæc non ita explicetur, nec ita distinctè representetur per vnus speciei oblationem, ac per vtriusque, sequitur patenter, quod si hoc sacrificium consideretur, vt est repræsentatiuum sacrificii Crucis distinctè, debeat essentialiter vtriusque speciei oblationem afferre, secus quando consideratur, prout non ita distinctè, est repræsentatiuum: nam licet sub vna tantum specie, & Corpus, & Sanguis contineatur, non tamè ita expressè, & distinctè, ac sub vtraque: res clara est, maiori non eget elucidatione.

Quæres primo, an sit præceptum de vtriusque speciei consecratione, & consumptione. Conueniunt omnes esse præceptum; dissident de qualitate illius, an nimirum sit diuinum, vel Ecclesiasticum. Magnus Albertus, Adrianus, & Gab. apud Nugnum hic volunt esse præceptum dumtaxat Ecclesiasticum; quibus addi potest Sanctesius repet. 10. c. 3. de Eucharist. Vera tamen, & communis sententia est, esse præceptum diuinum. Colligitur clare ex Tridentino sess. 22. cap. 1. vbi loquens de Sacrificio quod Christus Dominus obtulit, subdit: *Corpus, & Sanguinem suum, sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac sub earundem rerum Symbolis, Apostolis, quos tunc noui testamenti Sacerdotes constituabat, vt sumerent tradidit; & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, vt offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem: vti semper Ecclesia catholica intellexit, & docuit.*

Quæres secundo an Ecclesia; vel Summus Pontifex possit in hoc diuino præcepto dispensare.

Præ



Prima sententia negat: hanc sequuntur Suarez, Vasquez Lugo, & alii.

Nostri sententia sequenti explicatur conclusione. Summus Pontifex ex aliqua graui, & iusta causa, vt esset publica alicuius Prouinciæ necessitas posset dispensare vt Missæ sacrificium in vnica tantum specie offerretur. Ita docent omnes illi, qui docent esse præceptum dumtaxat humanum sub vtraque specie offerre sacrificium. Et ex illis qui tenent esse præceptum Diuinum, illam tenent Alanus, Alensis, & alii quos refert, & sequitur Isambertus hic disput. 4. art. 2. & Amicus, Palau, Fagundes, & alii quos refert & sequitur Diana p. 8. tract. 1. resol. 23.

Probatum primo ex Concilio Tridentino sess. 21. capit. 2. vbi dicitur: *Præterea declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, vt in Sacramentorum dispensatione, salua illorum substantia ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varie-*

*tate, magis expedire iudicaret.* Si ergo Ecclesia circa Sacramenta salua eorum substantia potest ea statuere, vel mutare, quæ suscipientium utilitati, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire iudicantur, idem circa sacrificium fieri poterit; & per consequens poterit dispensare, vt sub vna tantum specie perficiatur, cum ad ipsius essentiam, saltem non ita perfectam, vtriusque speciei oblatio non pertineat. Vnde si in aliqua Prouincia vinum haberi non posset, ne tot animæ, & huius sacrificii fructu priuentur, & Sacramento, poterit vna sola species consecrari, ex Summi Pontificis dispensatione.

Probatum secundo, quia de facto plures casus contingunt in quibus Sacerdos vnâ tantum speciem consecrat, vt quando consecrata hostia deficit Sacerdos, alius qui succedit solum Calicem consecrat. Si Sacerdoti consecrata hostia mortis periculum imminet, potest sumpta hostia fugere. Si post hostiæ consecrationem reperiat in Calice non



non fuisse vinum, nec haberi posse sine mortis periculo, aut graui scandalo; non erit mirum, quod id ipsum Pontificis dispensatione graui urgente necessitate fieri possit. Vnde Raphael Volaterranus lib. 7. capit. 4. refert. Innoc. VIII. cum Noruegiis dispensasse Anno 1490. Idem refert Onuphrius Panuinus in Chrō. eodem Anno. Et Sainctes repet. 10. de Eucharistia refert idem fecisse Innoc. IV. Vnde docent plures Christum Dominum consecrasse sub vna tantum specie cum duos illos discipulos, qui ibāt in Emaus, ex panis fractione ab infidelitate liberauit.

Probatum tertio, quia potest Pontifex in aliis iuribus Diuinis dispensare, vt in voto; in Matrimonio rato; in residentia personali Pastoris; in Ministro Confirmationis, & Ordinis &c. ergo etiam in hoc nostro Diuino iure, dispensare poterit. An autem hæc sit propria dispensatio, an vero declaratio, quod Diuinum ius ad talem casum non extendatur, non est præsentis instituti: in tractatu de legi-

bus Deo dante dicetur.

Quæres tertio, an in casu huius dispensationis, Sacerdos communicans sub vnica tantum specie minorem gratiam recipiat, ac quando sub vtraque specie communicat: hanc quæstionem solent aliqui applicare ad laicos, an nimirum laicus sub vna tantum specie communicans, minorem gratiam recipiat, quam Sacerdos, qui sub vtraque specie communicat, sed eadē est resolutio. Dico ergo communicantem sub vtraque specie maiorem gratiam per se loquendo recipere, quam sub vnica dumtaxat. Et ratio communis est, quia vnica species integrum, & perfectum non significat conuiuium, sed vt ita dicam dimidiatum. Deinde quia non videtur credibile, Apostolos, quando Calicem, Christi D. Sanguinis, bibendū de manu D. in cæna acceperunt, non accepisse eiusedē Sanguinis fructū. Nec est credibile, quod huius sacrificii effectus diuidatur quando vtraque species sumitur. Sed quia, modo iter modernos parū de hac re difficultatur, ad alia trāseo.

DISPVATIO



# DISPUTATIO SECUNDA

*De effectibus Sacrificij Missæ, deque eius  
valore.*

**T**RIA sacrificiorum genera, erant apud Hebræos, ut supra notauimus. Vnum erat holocaustum, quod honorarium vocabant, seu latreuticum, cuius finis erat solus Dei honor, & cultus. Alterum erat propitiatorium, seu sacrificium pro peccato; cuius finis, præter Dei honorem, erat etiam irati Dei propitiatio, & peccatorum remissio. Tertium erat pacificum, & duplicis erat speciei, nam vnum offerebatur ad gratias agen-

das, & vocabatur sacrificium Eucharisticum. Alterum offerebatur, pro alicuius beneficii impetratione, & vocabatur impetratorium. Concedunt nobis Hæretici, nostrum Missæ sacrificium, primum habere effectum, seu esse primi generis sacrificium; non aliorum. Volunt Missam esse sacrificium honorarium, non impetratorium non propitiatorium, non satisfactorium. Sed ut hos, & alios mirabiles sacrificii Missæ effectus clare explicentur, sit.

QVEASTIO



## QVAESTIO I.

*An Missæ sacrificium, aliquos habeat effectus, ex opere operato.*

**H**Abes ex dictis de Sacramenti in Genere quis sit effectus ex opere operato, & ex opere operantis; quod non mirum ille sit effectus ex opere operato, cuius causa est opus factum iuxta ritum, modumque quo Deus faciendum præscripsit, quomocunque ab operante exerceatur, siue bene, siue male. Ille autem est effectus ex opere operantis, cuius causa est ipsa formalis operantis bonitas, & operis meritum quod operans ipse exercet. Exemplum habes in Missa, ille effectus erit ex opere operantis quem habet operans ex Missa, qua est opus bonum & debite exequutum.

Ille vero est ex opere operato qui habetur ex usu, applicatione, & propria ipsius Missæ efficacia. his positis est prima sententia, quam tribuunt aliqui Scoto quod li. 20. quod nimirum Missæ sacrificium nul-

lum habeat effectum ex opere operato, sed sit ex opere operantis, nempe per modum meriti. Sed Scotus ut puto huius non fuit sententiæ; accipe Subtilis verba Doctoris. *Hic præmittendum est unum, hoc scilicet, quod probabile videtur, quod Missa non solum valet virtute meriti, siue ex operis operantis, sed etiam virtute sacrificij; & operis operati.* Unde non bene Maratus contendit illam esse mentem Scoti.

Vera ergo sententia sequenti explicatur conclusione. Missæ sacrificium aliquos habet effectus ex opere operato. Hæc est omnium sententia Catholicorum; quam defendunt Theologi omnes, cum D. Thoma hic quæst. 82. art. 1 & supra quæst. 79. art. 5. ubi habet. *In quantum vero loquitur de Eucharistia) est sacrificium, habet vim satisfactoriam,*



uam, sed in satisfactione magis attenditur affectus offerentis, quam quantitas oblationis &c. Vbi ut vides vult Angelicus hoc sacrificium habere vi suam vim satisfaciendi, sed in hoc munere præstando dispositio offerentis attenditur. Hoc idem clarius docet Sanctus Doctor in 4. dist. 4. quæst. 2. art. 1. quæst. 3. dicens: *Inter sacrificijs quæ sunt per malos, duo possunt considerari. Primo, ipsum opus operatum; sicut sacrificium altaris, &c. & art. 3. eiusdem dist. quæst. 1. ad 3. loquens de Eucharistia qua sacrificium est, ita dicit: Eucharistia est signum Ecclesiasticæ unionis, & ideo ex ipso opere operato, eius efficacia in alterum transire potest.*

Probatum primo Sacrosancti Tridentini Concilii testimoniis; nam sess. 22. cap. 1. sic habetur: *Atque illius (loquitur de Missæ sacrificio) salutaris virtus in remissionem eorum quæ à nobis quotidie committuntur peccatorum applicaretur.* Et post pauca in eodem capite, subdit: *Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nulla indigentia, aut malitia offerenti-*

*um inquireri potest.* Si autem effectum ex opere non haberet operato, ex offerentium malitia inquinaretur, prout, & alia, quæ ex solo operantis opere suos producant effectus. Et cap. 2. eiusdem sessionis sic loquitur Concilium: *Et quoniam in diuino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara Crucis semel se ipsum cruentè obtulit, docet Sancta Synodus sacrificium istud verè propitiatorium esse, per ipsum fieri &c. & paucis interiectis ait: Vna enim eademque hostia est, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in Cruce obtulit; sola offerendiratione diuersa.*

Probatum secundo ex communi Ecclesiæ fideliumque omnium sensu, qui est, hoc sacrificium prodesse tum viuus, tum defunctis capacibus, etiam si offerentes mali sint. Alio qui minoris efficaciam esset nouæ legis sacrificium; quam essent legis antiquæ sacrificia, quæ ex communi & PP. & Theologorum sententia, ex opere operabantur operato.



Probatur tertio, quia nouæ legis Sacramenta suos operantur effectus ex opere operato; ergò etiam hoc diuinissimum sacrificium.

Sed quæres, an hoc sacrificium, effectus quos ex opere causat operato, causet illos physicè, an solum moraliter. Et dico quod physicè, quid quid in contrarium musitet quidam modernus, quem nomine suppresso benè impugnat Nugnus hic dub. 2. Nam indecorè huic negaretur sacrificio, quod concedunt communiter Sacramentis, vt vidimus de Sacramentis in Genere; imo, & Sacramentalibus, vt fusè pr obauimus de illis agentes de Sacramentis in Genere disputat. vltim. quæstione 1. & 2.

Sed dices primo, impetratio est huius sacrificii effectus ex opere operato, & tamen non causatur physicè, sed moraliter dumtaxat; cum impetratio ad genus moris pertineat, non ad genus physicum. Similiter remittere pœnam peccatis debitam, est huius sacrificii effectus ex opere operato, & tamen physicè ab hoc

sacrificio non causetur, sed à Deo pœnam relaxante: si temeratus pœnæ soluendæ, physicè relaxari non potest; cum physicus non sit ergò &c.

Respondetur quod impetratio licet aliquid moralitatis inuoluar, negari tamen non potest, quin etiam suum physicum afferat, Vnde Deus eleuat physicè, & realiter Missæ sacrificium, ad causandam dispositionem in subiecto pro gratia verbigratia recipienda, & hoc sensu dicitur Missæ sacrificium physicè impetrationis effectum causare, non quod physicum aliquid in Deum causet vt rem concedat impetratam. Ad aliam probationem de pœnæ, & reatus relaxatione, dico hanc fieri moraliter tantum, cum non sit capax physicæ causalitatis; vnde non est nostræ sententiæ sensus, Missæ sacrificium omnes quos causat effectus physicè causare, sed solum illos qui physicæ causalitatis sunt capaces.

Dices secundo si hoc sacrificium physicam habere possit causalitatem, id maximè esset secundum quod est actio



ctio Sacerdotis; sed prout est Sacerdotis actio id facere nequit; ergò. Minor ostenditur quia huius sacrificii effectus, causari fræquenter potest in subiectum distans; Atqui Sacerdotis actio in distans age-

re nequit; ergò.

Respondetur quod licet Sacerdotis actio naturaliter in distans agere nequeat; id tamen diuina virtute fieri potest vt alibi sepe docuimus.

## QVAESTIO II.

*Quos nam effectus Missæ Sacrificium causet ex opere operato.*

**S**uppono ex communi Theologorum sensu Missæ sacrificium, non esse causam vniuersalem ex opere operato, concurrens ad omnes gratiæ effectus nisi fortè in genere causæ finalis, ad eum modum quo supra cum D. Thoma, & Thomistis diximus esse Eucharistiæ Sacramentum, quod ni mirum finaliter, sit omnium gratiæ, gloriæ, & resurrectionis, effectuum, causa; non tamen in genere causæ efficientis. Nam hoc sacrificium prout distinctum à sacrificio Crucis, habet suos gratiæ effectus, non omnes; nam vt notum est

etiam Crucis sacrificium, non habet omnem gratiam ex opere operato causare, gratia namque, quæ causatur per actum contritionis, & dilectionis Dei super omnia, est ex opere operantis, licet in virtute Crucis causetur; gratia ergò quæ Cruci ex opere operato correspondet, est gratia omnis quam conferunt Sacramenta, cum à Cruce, seu à Crucis sacrificio suam habeant physicam gratiæ causalitatem. Ita similiter Missæ sacrificiū non habet omnes gratiæ effectus, sicut nec Crucis sacrificium, sed proprios, peculia-



resque . Quinam autem sint breuiter referemus .

Quæres primo, an Missæ sacrificium causet gratiæ augmentum ex opere operato, & aliquando saltem per accidens primam gratiam . Relicto errore Arnaldi de Villanoua, qui dicebat Medicinã ( erat enim ille Medicus, ) & alia misericordiæ opera esse meliora, quã Missæ Sacrificium . Et relicto errore Catharini super Epistolam ad Heb. cap. 10. qui dicebat peccata mortalia commissa ante Baptismum deleri per sacrificium Crucis, commissa vero post Baptismum deleri per Missæ Sacrificium .

Respondeo cum communi Catholicorum sententia Missæ sacrificium qua sacrificium, nempe prout à Sacramento distinguitur, nec producere primam gratiam, etiam per accidens, nec augmentum illius, in Sacerdote sacrificante; neque in eo cui applicatur. Vnde M. Nugnushic dub. 6. oppositum dicit erroneum. Et huius ratio est, quia causare gratiam, & augmentum illius, non est sacrificii, sed Sacramenti; Sacramentum

namque ad hoc ipsum est institutum, non sacrificium; cum non ordinetur ad gratiam producendam, & homines sanctificandos, sed ad cultum Dei . Vnde cum per se non ordinetur sacrificium ad gratiam producendam, sed solum Sacramentum, sequitur quod neque per accidens habeat illam producere; quod enim non habet nec primam, nec secundam producere gratiam nec per accidens potest primam producere; ideo namque Eucharistiæ Sacramentum habet primam gratiam quandoque producere, quia per se habet illius augmentum attingere . Alioquin sequeretur contra totius Ecclesiæ iudicium, quod hoc sacrificium pro parvulo Baptizato oblatum, gratiæ augmentum in eo produceret . Similiter si adulto iustificato applicaretur . Imo si applicaretur adulto attrito in mortali exiite, putaret tamen se esse contritum, primam gratiam reciperet, quod est falsum . Ideoque Tridentinum sess. 22. cap. 2. aduertenter dixit hoc sacrificium conferre gratiam, & ingentia di-

mit-



mittere peccata, quia habet diuinam mouere misericordiã ad hoc faciendum, in quantũ nimirum impetratur, medio hoc Sacrificio, vt Deus conferat peccatori locum penitentiæ, seu dispositionem, per quam gratia acquiatur, & peccata deleantur. & sic hæc sola dispositio erit ex opere operato; non gratia, &c.

Quæres secundo, an hoc sacrificium habeat ex opere operato peccata delere venialia. Et respondeo affirmatiuæ; & sic hoc sacrificium, & in Sacerdote offerente, & in eo cui hoc sacrificium applicatur, peccata habet venialia relaxare. Ita M. Cano quem refert, & sequitur Nugnus supra. contra Suarez, Vasquez, & Lugo hic disp. 19. num. 152 qui volunt solum remitti mediatè. Habetur nostra respõsio in cap. *Iteratur*, de consecratione dist. 2. vbi dicitur: *Iteratur quotidie hac oblatio, quia profecto sapientia Dei Patris pro multis causis necessarium hoc prouidit. Primo quidem, quia quotidie peccamus, saltem in peccatis sine quibus mortalitas infirmitas viuere non*

*potest. Et ideo, quia quotidie labimur, quotidie Christus pro nobis mysticè immolatur, & passio Christi in mysterio traditur. Vbi Gloss. quotidie sumimus, quia quotidie propter somitè originalis peccati reciduiamus* Idem decernitur in ca. *Vtrum* eadem distinctione. Nec deest sufficiens ratio, quia Sacramentalia, vt quæst. 2. disput. ult. de Sacram. in Gen. docuimus habent peccata venialia remittere; ergò à fortiori hoc præstabit Venerabile sacrificium. Consequentia probatur; nam hoc sacrificium est magis institutum ad tollendos amicorum defectus, quam Sacramentalia; ergò: per sacrificium namque magis Deo appropinquamus, magis illi placemus, magis Deus redditur nobis placabilis &c.

Sed dices, peccata venialia sine gratiæ infusione non delentur, sed per nostrum hoc sacrificium gratia non datur; ergò peccata venialia per illud deleri non possunt. Respondetur peccata venialia deleri posse sine gratiæ infusione, vt diximus loco proxime



mè citato, quod etiam aduertit hic Nugnus, assignans differentiam inter mortalia, & venialia, quod illa requirunt specialem retractationis motum, non ista. Sed videantur omnino dicta à nobis loco citato.

Quæres tertio, an Missæ sacrificium pœnam remittat temporalem peccatis debitã ex opere operato. De pœna procedit temporali, non de æterna, interrogatio; nam cum Missæ sacrificium ex opere operato gratiam non producat, nec peccata mortalia dimittit, nec pœnam æternam illis debitum remittere potest non enim pœna remittitur, nisi culpa relaxetur. Respondeo ergò affirmatiuè: ita docet D. Thomas supra quæst. 79. art. 5. cuius in corpore sic loquitur: *Quamuis ergò hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna, tamen fit satisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, secundum quantitatem suæ deuotionis, & non pro tota pœna.* Et Tridentinũ sess. 22. cap. 2. habet; *quare non solum pro fidelium uiuo-*

*rum peccatis, panis, satisfactoribus, sed & pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis ritè, iuxta Apostolorũ traditionem, offertur.* & sess. 25. in Decreto de Purgatorio definitur: *Purgatorium esse, animasque ibi detentas, fidelium suffragijs, potissimum uero acceptabili Altaris sacrificio iuari.* Et Catechismus Romanus de Sacram. Pœnit. num. 61. dicit: *Qui Diuina gratia præditi sunt, alterius nomine possunt, quod Deo debetur persolvere: nec hoc cuiquam fidelium dubitandi locus relictus est.* Si ergò vnus potest per alia bona opera, pro aliis satisfacere; quare id ipsum per hoc venerabile sacrificium nõ poterit?

Quæres tertio, an hoc sacrificium habeat ex opere operato bona temporalia impetrare, vt pluuiam, serenitatẽ, sanitatem corporis &c. quando pro his obtinendis offertur.

Et respondeo affirmatiuè, & hoc infallibiliter quando id tamen expedit, vt in simili de Sacramentalibus diximus disput. ult. quæst. 2. Vnde

ualet



valet hoc venerabile Sacrifici-  
 um, ad illa omnia à Deo ob-  
 tinenda, ex opere operato, &  
 infallibiliter, quando id expe-  
 dit, pro quibus obtinendis ab  
 Ecclesia offertur, secundum  
 diuersas necessitates, vt colli-  
 gitur ex diuersis collectis, quæ  
 in Missali reperiuntur, vt pro  
 pace, pro serenitate, pro peti-  
 tione lacrimarum &c. Et ra-  
 tio est, quia hoc sacrificium  
 fuit à Christo Domino insti-  
 tutum, vt ad ipsum factum, &  
 Deo Patri exhibitum, idem  
 Deus Pater attendens, quam-  
 uis alias à malo fiat Sacerdote  
 omnes illos conferat effectus  
 pro quibus offertur. Est ergò  
 Missæ sacrificium instrumen-  
 tum diuinitatis ad præstan-  
 dos omnes effectus, pro qui-  
 bus applicatur.

Quæres quarto. An Missæ  
 sacrificium conferat aliquem  
 effectum ex opere operato om-  
 nibus offerentibus illud. Plu-  
 res sunt hoc sacrificium offe-  
 rentes. Primus est Christus  
 Dominus, qui vt supra vidi-  
 mus, est causa principalis, nò  
 solum moralis, verum etiam  
 physica, offerens hoc sacrifi-  
 cium, & huic offerenti, licet

correspondeat valor, qui ap-  
 plicatur, non tamen correspõ-  
 det effectus, quem recipiat,  
 cum non sit capax. Secundus  
 offerens est Sacerdos, & huic,  
 fructus ex opere operato, cor-  
 respondet, nisi impediatur;  
 quod omnes docent, & colli-  
 gitur ex Magistro Angelico  
 supra quæst. 79. art. 5. & 7.  
 Ratio est, quia ita fit in Sacra-  
 mentorum adionibus, & in  
 aliis omnibus bonis operibus;  
 licet differentia sit, quod in  
 illis, vt præcisè est minister,  
 fructum solum ex operantis  
 opere habet, hic tamen ex o-  
 pere operato; quia id quod  
 faciunt Sacramenta in susci-  
 pientibus, faciunt sacrificia in  
 ministris. Tertius offerens est  
 Ecclesia, offert namque cum  
 omnibus Sacerdotibus Eccle-  
 sia, tum quia omnes Sacer-  
 dotes dum ordinantur, ad id  
 officium ab Ecclesia, vt mini-  
 stri illius eliguntur; & veluti,  
 pro ipsa legati, ad Deum de-  
 putantur. Tum quia Sacer-  
 dos, vt in plurimum ipsius Ec-  
 clesie nomine loquitur. Vnde  
 conueniunt omnes, Ecclesie  
 vt offerenti, correspõdere im-  
 petrationis fructum ex opere

ope-



operato; cum hæc impetratio non in Sacerdotis bonitate fundetur, cum hæc ponatur etiam si Sacerdos offerens sit iniquus, sed in meritis, & sanctitate Ecclesiæ. Nonnulla difficultas est, an Ecclesiæ vt offerenti, correspondeat etiam aliquis satisfactionis fructus, cum enim satisfactio fundetur in pœnalitate, & hæc cū personalis sit, in Ecclesia vniuersali esse nequeat, sequitur quod nec satisfactio. Verius tamen dicendum est correspondere. Primò quia hæc satisfactio, non est ex opere operantis, sed ex opere operato; applicatur namque satisfactio Christi, vnde etiam si in Ecclesia vt offerente nulla detur pœnalitas, satisfactio tamen dari potest, & idem dicendum est de aliis huius sacrificii fructibus. Secundo, quia, etiam in satisfactione ex opere operantis pœnalitas non requiritur in omni offerente, sed sufficit quod supponatur in aliquo; vnde docent Thomistæ, vt videre est apud Nugnum quæst. 25. supplem. art. 1. difficult. 2. quod suffragia totius Ecclesiæ nomine fa-

ctæ, vt est recitatio in choro, non est solum impetratoria, verum etiam satisfactoria, quia licet ille cantus non sit pœnalis respectu Ecclesiæ, est tamen pœnalis respectu illorū particularum in choro cantantium. Quanta autem sit illa satisfactio, & quomodo Ecclesiæ membris distribuatur Deus scit.

Quartus offerens est ille qui facit Missam celebrare, & huic duplex opus operatum, correspondet nimirum quatenus est offerens, & quatenus illi à Sacerdote applicatur illa portio, quæ correspondet Christo Domino offerenti, quia licet Christus Dominus modo per talem oblationem non mereatur, non satisfaciatur, ex suis tamen applicat satisfactionibus. Potest tamen modo Christus Dominus per talem oblationem impetrare, quia explicat per illam suam voluntatem aeterno Patri id quod fieri desiderat. Sicuti hoc modo dicitur in Cælo orare, non quatenus oratio affert potestatis defectum in orante, sed quatenus representat Deo Patri suam voluntatem,



tatem, de eo quod vult fieri.

Quia tus offerēs sūt ministri & adstantes, & istis etiam proprius effectus ex opere operato correspondet, vt satis clare colligitur ex illis verbis can. Missæ: *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*. Et ex illis: *Et omnium circumstantiarum quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*. Et istis duplex fructus ex opere operato correspondet; primò vt sunt totius Ecclesiæ membra, & simul cum illa offerunt, vt diximus. Secundò quatenus proximè, & modo magis speciali cum Sacerdote offerunt.

Quæres quinto cui ex istis offerentibus maior fructus correspondeat. Et dico quod mihi rationabilius videtur, quod excellentior, dignior, maiorque fructus sit ille qui

correspondet principali offerenti, nempe Christo Domino, qui fructus ex facultate, ab ipso Christo concessa aliis potest à Sacerdote applicari. Secundo loco est fructus qui ipsi Sacerdoti correspondet, cum Sacerdos tanquam Christi Domini instrumentum immediatè, & proximè hoc sacrificium offerat. Tertio loco, est fructus correspondens Ecclesiæ. Quarto ministris, & inter istos qui proximius Sacerdoti deseruiunt, & sic Diaconus Subdiacono præcedit, iste acolytis &c. Quinto loco est fructus adstantibus correspondens, qui omnibus aliis inferior est, vt ex se liquet. Hæc procedunt per se loquendo, nam per accidens ratione nimirum melioris dispositionis, possunt esse primi nouissimi, & e contra nouissimi primi.





## QV AESTIO III.

*Quosnam effectus causet hoc Sacrificium ex opere operantis.*

**N**ulli dubium est Missæ sacrificium, sicut & quodlibet opus bonum, in gratiæ statu effectum, esse æterni premii meritorum, impetratorium, & satisfactorium; quodlibet namque opus bonum ab homine in gratia existente factum, hi tres consequuntur effectus, nempe meritum quod habet respicere Deum ut iustum bonorum operum retributorem: Impetratio respicit Deum ut liberalem, & sic tendit ad Diuinam mouendam liberalitatē, ut bona nobis conferat. Et sic licet meritum totum ius boni operis exhauriat, qua habet Diuinam respicere iustitiam, qua ex pacto se obligauit ad illud præmiandum, non tamē exhaurit Diuinam liberalitatē, quam adhuc respicit ut bona impetret. At vero satisfactio ad Diuinam tendit clementi-

am, ne nobis indignetur, irascatur, & malum pænæ peccatis commissis, & quoad culpam relaxatis, nobis inferat. Sacrificium ergo Missæ ex opere operato meritum non confert, cum hoc sequatur, non operis dignitatem, sed operantis gratiam, ut omnes fatentur. Confert tamen ex opere operato impetrationem & satisfactionem, ut in præcedentibus vidimus. Confert etiam ista ex opere operantis, sicut & quodlibet aliud bonum opus. In hoc conueniunt omnes, dissident in aliis, quas subiicimus, difficultatibus.

Prima difficultas est, an Sacerdos ut exercet Missæ sacrificium, qua actus virtutis est, seu qua actus bonus est secundum quod est ab Ecclesia deputatus, seu secundum quod est Sacerdotali dignitate



re insignitus, habeat effectum operis operantis satisfactionis & impetrationis, pro se, si sit in gratia, quantum ad satisfactionem: & pro se, & pro aliis, si sit in peccato mortali, quoad impetrationem; & pro aliis quoad utrunque.

Certum est personæ dignitatem conferre ad meritum, ad impetrationem, & satisfactionem, in homine existente in gratia; ut in tractatu de merito fusè docuimus, quando tamen operans talem dignitatem quodammodo tali subiicit operationi, seu quando talis personæ dignitas se habet ut talis operis circumstantia. Est etiam certum, quod Sacerdos in mortali existens, talem exercens virtutis actum, ut ita dicam nomine suo, seu ut persona particularis, nec meretur ut patet, nec satisfacit, nec impetrat, nec pro se, nec pro alijs, cum tunc, tantum abest quod Diuinam moueat liberalitatem, vel clementiam, quod potius Diuinam excitat iram ad vindictam sumendam. Solum ergò difficultas est, an Sacerdos in mortali existens, ratione di-

gnitatis Sacerdotalis, qua etiam nomine Ecclesiæ offert, fructum impetrationis, & satisfactionis, ex opere operantis habeat. Et respondeo affirmatiuè: si enim ut præcedenti quæst. §. quæres 4. docuimus, Missæ sacrificium à malo Sacerdote oblatum prout est Ecclesiæ nomine factum, tales effectus ex opere operato producit; à fortiori debet eisdem effectus ex opere operantis producere, prout sacrificium à Sacerdote, etiam malo, offertur Ecclesiæ nomine. Vnde licet Sacerdos in peccato celebrans mortali, Diuinam excitat contra se indignationem, ut tamen illud nomine offert Ecclesiæ, Diuinam pro se mouet clementiam, & liberalitatem.

Secunda difficultas. Vtrum eiusdem sacrificii Missæ aliquis effectus operis operantis correspondeat Christo Domino principali offerenti. Affirmatiuè respondeo: ratio plana est ex dictis; cum enim Christus Dominus sit in Missæ sacrificio principalis offerens, & hæc oblationis actio non possit non esse bona, debet esse



non quidem meritoria, cum non sit hominis viatoris, potest tamen esse impetratoria, & satisfactoria, ad modum quo quæstione præcedenti S. Quartus offerens, docuimus.

Tertia difficultas est, utrum Ecclesia, & alii offerentes habeant aliquem effectum ex opere operantis. Tanta est Sacerdotis dignitas, ut licet Christus Dominus dum per Sacerdotem offert, offerat per inferiorem, Ecclesia tamē, & alii omnes dum per eundē offerunt Sacerdotem, per superiorem offerunt, Sacerdos namque ut maior reliquo populo est, cum tunc temporis ut mediator ad Deum per se accedit, Ecclesia vero per Sacerdotem tanquam per suum ad Deum mediatorem. Ideoque ad calcem præcedentis quæst. notauimus fructum Sacerdoti correspondentem præcedere illum qui ipsi correspondet Ecclesiæ, ob id aliqui dicunt duas Sacerdotis portiones correspondere vni, principali agentis. Vnde merito Ecclesia ad significandam hanc Sacerdotis excellentiam in Missæ canone dicit:

non

s d d d d

*Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cuncta familia tua &c.* quæ cuncta familia alia non est, quam vniuersalis Ecclesia, sicut oblatio seruitutis, quam simul facere cum Sacerdote dicitur, nil aliud est quam Missæ sacrificium. Hoc in gratiam dignitatis Sacerdotalis, posito.

Respondeo ad difficultatem propositam affirmatiuè; patet ex dictis quæst. præcedenti, si enim offerentes omnes fructum ex opere operato habēt secūdū distributionē tamen accomodam, à fortiori id habebunt ex opere operantis. Adde id esse fidelium sensum, qui putant orationes quas inter sacrificandum, Sacerdos non tantū suo nomine sed totius Ecclesiæ fundit esse maioris virtutis ad impetrandum à Deo aliquod gratiæ donum, quam alioqui essent. Vnde non benè Maratius hic se&. 6. num. 1. dicit tales orationes non habere maiorem vim, nisi quatenus Sacerdos videns se totius Ecclesiæ personam sustinere, & negotia illius apud Deum agere exciatur ad orandum attentius,

aut



aut ardentius. Non inquam  
benè hoc dicitur, quia etiam  
si Sacerdos huius considera-  
tionis oblitus, imo & volun-  
tariè distractus, & suis pecca-  
tis Deo exosus, vt tamen tales  
recitat orationes nomine Ec-  
clesiæ, seu prout tales recitan-  
tur orationes ab Ecclesia per  
talem ministrum, à Deo ac-  
ceptantur; sicut acceptat Pon-  
tifex Regis supplicationes per  
legatum, licet alias legatus  
ipse esset Pontificis inimicus.  
Hoc tamen non haberet ve-  
rum in Sacerdote degradato,  
vel excommunicato, vel quo-  
uis alio modo prohibito, in-  
quit Lugo; quod non placet;  
licet enim Ecclesia talem pro-  
hibeat, eo tamen ipso quod  
celebrat, puto intentionem  
Ecclesiæ esse, etiam per talem  
celebrationem Deo placere  
velle, imò & sperare, ipsi  
taliter celebranti, placibilem  
reddi, vt conuertatur, & ho-  
nus fiat.

Sed dices primò; non po-  
test esse impetratio, nec satis-  
factio; per illam actionem,  
quæ solum remotè ad actionem  
bonam moraliter concur-  
rit; sed Ecclesia, & alii offe-

rentes, solum remotè ad actio-  
nem sacrificandi concurrunt;  
ergò nec Ecclesia, nec alii of-  
ferentes possunt aliquid ex  
opere operantis, satisfacere,  
vel impetrare. Maior clara  
videtur, nam qui dedit pecu-  
niam seruo, quam in eleem-  
osinam daret non meretur, non  
satisfacit, non impetrat per  
ipsam serui dationem, sed per  
illam qua pecuniam seruo de-  
dit. Minor etiam satis clara  
videtur, quia Ecclesia videtur  
solum concurrere ad actionem  
sacrificandi qua Sacerdotem  
consecrando deputauit, ad eum  
modum, quo res publica suos  
constituit ministros. Tum  
quia, nec Ecclesia, nec alii  
consecrant, nec offerunt, nec  
rem oblatam consumunt; er-  
gò &c.

Respondetur concedendo  
Maiorem, quando quis purè  
remotè concurrat; ad hoc enim  
vt actio, illos habeat effectus,  
requiritur, quod aliquo mo-  
do proximè ab operante pro-  
cedat, vt possit esse libera, vt  
ab interno procedat volunta-  
tis affectu. Deinde neganda  
est Minor, licet enim Ecclesia  
physicè, nec consecret, nec ho-  
stiam



stiam consumat, moraliter tamen id præstat; alioqui errasset Ecclesia dum ordinavit, quod Sacerdos vertatur ad populum, & dicat *Orate Fratres ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.*

Dices secundo, nulla est bonitas, aut malitia moralis actionis, quæ dum sit liberæ nõ subiacet agentis potestati; sed actio sacrificandi non subiacet liberæ potestati Ecclesiæ, vel cuiuscunque alterius, sed Sacerdotis solius; ergò sacrificandi actio solum potest esse moraliter bona, ut à Sacerdote procedit, non ut ab aliis, ac subinde non erit satisfactoria, vel impetratiua, nisi prout à Sacerdote pendet, nõ prout ab Ecclesia, vel ab aliis. Maiorem supponit Mæratius; Minorem probat, quia dum Sacerdos sacrificat, dum hanc exercet actionem, nihil de ea uniuersalis cogitat Ecclesia, & nullus alius nisi ipse sacrificans.

Respondetur quod in Sacerdote cogitante, & ipsa cogitat Ecclesia; cum enim Sacerdos, non solum proprio, ve-

rum, & maximè, Ecclesiæ nomine sacrificet, & personam repræsentet Ecclesiæ, sequitur quod Ecclesia in Sacerdote sacrificet, in Sacerdote recogitet, in Sacerdote attendat; unde qua parte cogitatio, attentio, sacrificatio, se tenent ex parte Sacerdotis, mala esse possunt; qua vero parte se tenent ex parte Ecclesiæ, quæ est sponsa, sine ruga, Cælestis sponsi, mala esse non possunt.

Quarta difficultas an Missæ sacrificium aliquem habeat effectum, qui nec sit ex opere operato, neque ex opere operantis: affirmat Suarez hic disputat. 79, sect. 2. ratio videlicet impetrationis, quæ non est ex opere operato, cum nõ sit infallibilis, alioquin quis posset vna Missa omnium existentium in mortali iustitiã obtinere. Neque est ex opere operantis cum Christus Dominus modo non mereatur, non impetret. Sed hæc sententia ab omnibus communiter falsa, reputatur, & colligitur ex dictis, quo modo impetratio, & satisfactio Christo Domino conueniat. Tum quia, inter hoc,



hoc, quod est esse, ex opere operato, & ex opere operantis medium non datur, cum vnū alterius afferat contradictorium, vt ex se liquet. Tum etiã quia, quod sacrificium Missæ sit impetratorium prout est à Christo Domino principali offerente, non prouenit ex Sacerdotis dignitate, sed ex ipsius principalis offerentis excellentia; & prout sic, debet

esse impetratorium, vel ex opere operato, vel ex opere operantis. Nec fundamentū Suarez aliquid euincit; nam licet talis impetratio sit ex opere operato, non sequitur quod sit infallibilis, sed solum sequitur, quod quando res impetrata conceditur, in virtute talis impetrationis datur.

## QVÆSTIO IV.

*De ijs quibus sacrificij effectus, seu fructus applicari potest.*

**C**ertum est huius sacrificij fructum siue ex opere operato, siue ex opere operantis non prodesse damnatis cum non sint capaces nec satisfactionis, nec impetrationis; idem dicendum est de animabus illorum paruulorū, quæ in limbo reperuntur. Certum est etiã non posse Missæ sacrificium applicari beatis, secundum quod est satisfactorium, & impetratorium,

cum horum fructuum non sint beati capaces, offertur tamen vt est sacrificium honorarium, quia per illud maximè sancti honorantur; offertur vt est sacrificium Eucharisticum, seu pro gratiarum actione, agendo nimirum per illud gratias Deo qui tales sanctos, ad tantam extulit beatitudinem in Cælis, & in terris honorem. & quod de sanctis in Cælo existentibus diximus, dicendum



dum etiam est de N. S. P. Propheta, & Parente Elia qui licet adhuc mortalis uiuat in terris, honoratur tamen, tū proprio officio, & Missa, sicut alii sancti, qui de facto regnant in Cælis.

Est etiam certum prodesse hoc admirabile sacrificium animabus in Purgatorio existentibus ut definit Tridentinum sess. 22. cap. 2. his uerbis *Quare non solum pro fidelium uiuorum peccatis, penis. satisfactionibus, & alijs necessitatibus, sed, & pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis &c.* & ita colligitur ex 2. Machab. 12. *Sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare.* Et habetur ex Apostolica traditione, ex usu, & communi Ecclesiæ consensu & sanctorum PP. iudicio, ut ostendit Belarm. lib. 2 de Missa cap. 7.

Similiter certum est iustos Baptizatos esse tum satisfactionis, tum impetrationis capaces. Peccatores uero, seu in mortali existentes, sunt capaces impetrationis, non satisfactionis, ut ex se liquet, his positis ea de quibus ali-

qua est inter scribentes difficultas ponenda sunt.

Prima difficultas est, an Sacerdos possit Missæ sacrificiū offerre pro uiuis non baptizatis. Pro uiuis dixi non baptizatis, quia pro defunctis non baptizatis in Purgatorio existentibus Missæ sacrificium, secundum commune Theologorum iudicium offerri potest, Verbigratia pro anima cathecumeni. Ratio est quia ad hoc faciendum nulla requiritur in Sacerdote iurisdictio, cum sacrificii applicatio non sit actus iurisditionis, sed potestatis Sacerdoti à Christo Domino concessæ; & aliundæ nulla sit de hoc Ecclesiæ prohibitio, sicuti est de defunctis excommunicatis, licet si offeratur, validè offeratur, sed nō licitè, valide quidem quia hoc non est ut dixi Ecclesiæ potestatis, sed Christi, illicitè uero quia est contra Ecclesiæ prohibitionem cap. à nobis & cap. Sacris. de sent. excommunicat. licet aliqui nouiores Theologi uelint, istas prohibitiones, quod sacrificium excommunicatis non offeratur, siue uiuis, siue defunctis, intelligi debe-



re de non contritis; unde per istos, si quis excommunicatus esset contritus, posset pro illo Missæ sacrificium offerri; hoc tamen non placet, tum quia est contra cõmune Theologorum iudicium, tum quia Ecclesiæ prohibitio ad oppositum vocat; Tum etiam quia hoc modo facilius sollicitatur ad absolutionem obtinendam.

De viuis ergò non baptizatis præsens procedit difficultas; ad quam aliqui sine vlla distinctione, negatiuè respondent; alii variis vtuntur distinctionibus. Quid ego sentiam, breuiter promam; si loquamur de Cathecumenis & licitè. & validè potest offerri sacrificium, secundum quod est impetratorium, secundum vero quod est satisfactorium, potest validè quidem, sed non licitè, cum sit contra expressam Concilii Brachar. 1. can. 25. prohibitionem, & contra Ecclesiæ morem dimittendi Cathecumenos ad offertorium. Validè quidem, quia licet non sint adhuc intra Ecclesiam visibilem, per Sacramentum baptismi; sunt tamen

intra Ecclesiam inuisibilem, per fidem, & gratiam; & sunt membra Christi viua; quod est sufficiens ad hoc, vt Sacerdos portionè Missæ, Christo Domino correspondentem, & sibi commissam vt distribuatur, illis concedat.

Quod si loquamur de infidelibus, dico posse quidem Missæ sacrificium illis applicari, qua impetratorium, vt illis gratiæ auxilia impetrentur, quibus cum conuertantur; nõ tamen qua satisfactorium, est; de hoc secundo nulla est difficultas, cum non sint capaces, vt ex se liquet. Primum ostendo, tum exemplis, tum ratione: exemplis quidem sacræ scripturæ, quæ etiam pro infidelibus sacrificia offerri exemplis demonstrat. Vt pro Dario 1. Esdre 6. Pro Spartiatibus 1. Machabæorum 12. Pro Eliodoro 2. Machabeorum 3. Ratione quidem ex dictis testimoniis, vel exemplis deprupta; nam non minoris vniuersalitatatis, & efficacis quoad impetrationem, est nostrum Missæ sacrificium, quam illa essent legis antiquæ; Atqui illa, vt ex exemplis allatis con-



star, pro infidelibus viuis, offerantur; ergò, & nostrum; quis enim dicet quod Missa offerri non possit, pro totius mundi salute; pro omnium infidelium, hereticorum, schismaticorum conuersione? &c.

Addit Tamburrinus Opus de sacrificio Missæ lib. 3. cap. 2. S. 2. posse Sacerdotem recipere elemosinam ab infideli vt offerat pro se Missæ sacrificium, quia audiuit quod habet vim obtinendi inspirationes pro fidei veritate dignoscenda, pro sanitate impetranda &c. quod non videtur incongruum. Addit Leander tract. 8. disput. 4. quæstio 10. posse tunc temporis Sacerdotem duplicem accipere elemosinam, vnâ pro applicanda Missa, vt est impetratoria, & aliam, pro applicanda eadem alteri, vt est satisfactoria quod in aliis etiam casibus fieri posse putat ille; sed non placet, cum contra illum clemare videatur S. C. decretum de celebrat. Missarum, sub Urban. VIII.

Secunda difficultas est, an Missæ sacrificium applicari possit pro Energumenis. Ali-

qui hoc negant eo quod videtur esse id vetitum in Concilio Eliberitano can. 29. sed verius est id fieri posse, nec tale concilium id vetate, sed solum vetat, quod si Sacerdotes sint, à celebratione abstineant, & si non sint Sacerdotes non ministrent.

Tertia difficultas, an hoc Sacrificium si pro existentibus in mortali applicetur, habeat aliquem effectum satisfactionis. Certum omnino est, non posse satisfactionem fieri, peccato nondum de missis; non enim potest dimitti pæna, non relaxata culpa: difficultas solum esse potest, de pæna correspondente peccatis dimissis, siue mortalibus, siue venialibus, an nimirum possit dimitti per sacrificii applicationem; aliqui enim inter quos est Martinus Nauarrus apud Suarez disput. 79. sect. 10. affirmant id fieri posse, sed verius respondetur quod non, qui enim est in peccato mortali, est incapax remissionis pænae etiam peccatis alias dimissis debitæ: immitatur enim hoc sacrificium naturam Sacramentorum viuorum, quæ



quæ suos non producant effectus, nisi in subiecto grato. Sed huius occasione inquireret aliquis, an ablato postea peccati mortalis obice, sacrificium suum producat effectum satisfactionis. Affirmat Nauarrus apud Lugum hic disput. 19. num. 193. Negat ipse Lugo cum Suarez. Sed Nauaris sententia mihi magis placeat, cum magis commendet huius sacrificii excellentiam: sed videantur ea, quæ diximus de Sacramentis in Generale disput. 4. quæst. 5. vbi argumenta in oppositum fuscè dissoluimus.

Quarta difficultas est, an Sacerdos possit propriam sacrificii portionem aliis applicare. Negat Scotus apud Nugnum hic, dub. 3. sed verior, & communior sententia affirmat, & ratio est, quia Sacerdos potest aliorum operum satisfactionem aliis applicare; ergò etiam poterit applicare satisfactionem ex hoc sacrificio sibi prouenientem. Vnde notat benè Nugnus, quod Sacerdos prudenter aliis suam applicans satisfactionem ex opere operato ex sacrificio

prouenientem, correspondet illi alia maior ex opere operantis, nempe ex actu excellentissimæ virtutis, quo talem aliis applicat satisfactionem: dubium circa hoc esse potest, an possit Sacerdos pro tali applicatione accipere stipendium, vel eleemosinam, affirmant plures apud Dianam de celebrat. Missar. resol. 14. vbi dicit hanc sententiam esse probabilem, & p. 10. tract. 12. resol. 21. refert P. Leandrum id ipsum asserentem. Sed communis sententia oppositum tenet, & est magis conformis Decreto S. C. de celebrat. Miss. vetantis ne pro vna Missa duplex pitantia accipiantur.

Sed quæres, an laicus possit sacrificii fructum sibi correspondentem applicare alteri? Et respondeo affirmatiuè cum Nugno vbi supra, iste enim est fidelium usus, ut vnus pro alio audiat Missam, sicut & ieiunat &c.

Quinta difficultas, an in eo cui sacrificii fructus applicatur, aliqua dispositio requiratur. Ad recipiendum fructum impetrationis dispositio



non requiritur. Ad recipiendum vero fructum satisfactionis, gratiæ dispositio exigitur, ut ex dictis liquet. Solum dubium esse potest an requiratur acceptatio, & deuotio ad talem fructum satisfactionis percipiendum. Et dico quod aliqua saltem virtualis, vel eminentialis requiritur acceptatio, sicut ad Sacramenta, & ad illorum fructus percipiendos aliqua requiritur intentio, ita enim se habet intentio in Sacramentis sicut acceptatio in pœnarum remissionibus talis enim videtur mens Christi interpretanda, quod noluerit suas applicare satisfactiones illis, qui nullomodo illas volunt; per quæ explosa videtur Lugonis sententia hic nu. 197. quod etiam nolentibus, huius sacrificii valeat satisfactio. Quoad deuotionem vero dico, quod si quis nullam haberet erga hoc sacrificium deuotionem, haberet tamen sufficientem intentionem accipiendi illius fructum, minimam perciperet satisfactionem; si vero habeat deuotionem, maiorem, vel minorem

recipiet fructum, iuxta deuotionis mensuram. ita Angelicus doctor supra quæst. 79. art. 5. cuius in corpore sic loquitur. *Quamuis ergo hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna, tamen fit satisfactoria illis, pro quibus offertur, uel etiam offerentibus secundum quantitatem suæ deuotionis, & non pro tota pœna.* Ex quibus optima deducitur differentia inter huius sacrificii satisfactionem quæ est ex opere operato, & propriam, quæ est ex opere operantis, quam quis alteri applicat, nam satisfactio ex opere operantis, non habet meliorem effectum ratione melioris subiecti dispositionis cui applicatur, cum totum suum valorem ab operantis dignitate recipiat, nõ à dignitate illius cui applicatur; at vero satisfactio ex opere operato, oppositum facit, quia sui valoris maiorem non attendit ex parte operantis, sed ex parte deuotionis, seu melioris dispositionis illius cui applicatur.



## QVAESTIO V.

*Qualis in Sacerdote applicatio requiratur.*

**H**uius quæstionis titulus duo certa supponit; vnū est, fructum huius sacrificii ex opere operato, qui non Sacerdoti, sed principali agenti, nempe Christo Domino correspondet, vt supra aduertimus, nulli certæ personæ ex Christi Domini institutione esse additum, sed esse indifferentem, vt huic, aut illi personæ applicetur. Alterum est hanc applicationem soli Sacerdoti offerenti à Christo Domino esse concessam; non enim congruum videtur quod huius fructus applicatio alteri, quam essentialiter sacrificanti concedatur; quod ex Sacramentorum conficiendorum similitudine probari potest, nullus namque potest Sacramenta cōficere eorumque fructus ex opere operato causare, nisi minister conficiens. Hocque clare colligi videtur ex ordinationis Sacerdotis forma. *Accipe potestatem offe-*

*rendi sacrificium pro viuis, & defunctis.*

Aliqui disputant hic, an intentio quam debet habere Sacerdos, applicans Missæ sacrificium, debeat esse saltem virtualis, an sufficiat habitualis, sed quia hoc sufficienter explicuimus de Sacram. in Genere disputat. 7. quæst. 8. ideo sistimus, & ad alias huius loci magis proprias difficultates accedimus.

Prima difficultas, an valida sacrificii Missæ, seu quod idem est, fructus Missæ applicatio, fiat secundum eam intentionem, quam Sacerdos re ipsa habet, an secundum illam quam habere deberet, vel ex promissione, vel ex contractu, vel quasi contractu, vel ex superioris mandato, vel ex alio capite, ex quo ad Missæ sacrificium, pro certa persona offerendum, obligatur, cum tamen non pro hac, sed pro alia liberè, & peccando offerat.

Ali-



Aliqui hoc modo hanc proponunt difficultatem: an possit Sacerdos validè Missam applicare alicui contra Prælati præceptum, seu an in Missæ applicatione Prælati intentio vincat Sacerdotis intentionem, vel è contra. Sed modulus noster est vniuersalior, de quo.

Prima sententia est, illam applicationem tenere, non quam habet Sacerdos, sed quam habere deberet, vel ex Prælati mandato, vel alio modo. Hanc sententiam sequitur Scotus, Corduba, Ledesma, Frazinellus, & Gavantus quos refert, & probabiliter sequitur Diana de celebrat. Miss. resol. 72.

Nostri sententia sequenti explicatur conclusione. Solius Sacerdotis est Missam applicare, vnde illa Sacerdotis applicatio valet, quam Sacerdos habet, non quam habere deberet, licet peccet. Ita Syluester, Angelus, Henriquez, Fagundez, & alii apud eundem Dianam quibus adde Suarez, disput. 79. sect. 9. Mæratium disput. 38. sect. 8. Lugum disput. 19. num. 210.

Ratio communis est, quia Sacramentorum confectio, à Prælati, vel alterius cuiuslibet intentione non pendet, sed à sola ministri intentione; ergo etiam sacrificii applicatio.

Respondent aliqui, subditi intentionem, adeo Prælati intentioni subordinari, quod etiam in Sacramentorum administratione, & receptione ab illa dependeat, & sic si subditus, vel ministret, vel recipiat Sacramentum, verbigratia Ordinis, sine Prælati licentia, Sacramentum erit nullum, & subinde sacrificii applicatio.

Sed hæc sententia prorsus explodenda est, cum non solum Theologi, & Patres, verù & ipsa Concilia, non aliam quam ministri intentionem requirant, in Sacramentorum confectio; & in susceptione eorundem Sacramentorum, non aliam intentionem requirant, quam ipsius susipientis, nec verum est quod subditi intentio, quoad validitatem subordinetur intentioni Prælati, cum respectu Sacramentorum subditus sit suus, non Prælati, cum non sit instrumentum Prælati, sed Christi, cum



repræsentet tunc tēporis Personam Christi, non Prælati.

Respondet Diana concedendo Antecedens, & negando Consequentiam, & differentiam esse dicit quia intentio Sacerdotis Sacramentum conficientis, verbigratia consecrantis, est de essentia Sacramenti, & sic à Prælato irritari non potest; At vero intentio applicandi sacrificii valorem, huic, vel illi non est de sacrificii essentia; sed extra. Nam contra est, quia non minus est Christi minister Sacerdos, in sacrificii applicatione, quam sit in Sacramenti Eucharistiæ consecratione; nec minus Christi Domini personam repræsentat Sacerdos ut consecrans, quam ut sacrificans, & applicans sacrificii valorem; Atqui ob primum prævalet subditi, non Prælati intentio; ergò etiam ob secundum. Tum quia facultas quam habet Sacerdos applicandi portionem illam sacrificii, quæ principali correspondet agenti, eiusdem debet esse rationis, in omnibus Sacerdotibus, sed in Sacerdotibus liberis, talis applicatio ab al-

terius non pendet voluntate; ergò neque in subditis.

Secunda difficultas, an Sacerdos validè applicet Missæ sacrificium alicui, suam referendo intentionem, in intentionem alterius. Inprimis dico nullam esse applicationem si quis suam referat intentionem in Christum, vel Deum, & ratio est, quia nec Christus, nec Deus applicant sacrificium, nec aliter volunt applicari, nisi per Sacerdotem, cui talem dederunt potestatem; unde, & Christus, & Deus suam transtulerunt intentionem in Sacerdotem, & eo solum medio huius sacrificii valorem applicant; si tamen Sacerdos suam non referret intentionem in Deum, vel Christum, sed illi determinatæ applicaret personæ, hoc Sacrificium, quam Deus, vel Christus Dominus vel B. V. Maria designaret, vel determinaret, valeret applicatio. Deinde dico validam esse applicationem, quam facit Sacerdos, ad intentionem Prælati, vel amici, ita quod semper Sacerdos sit ille, qui Missæ applicet sacrificium, & solum suam

refe-



referat intentionem, non ad alterius applicationem, sed solum ad alterius determinationem. Unde si Sacerdos suorum relinqueret sacrificiorum applicationem, verbigratia, Prælato, & ipse non applicaret, nulla esset applicatio, & ratio plana est ex dictis, quia potestas applicandi sacrificia, soli, data est à Christo Domino Sacerdoti, & non alteri, nec potest hoc ius Sacerdos alteri communicare, cum non possit facere quod alius à sacrificante personam Christi representet.

Tertia difficultas est, an sacerdos teneatur hoc sacrificium pro omnibus applicare. Respondeo Sacerdotem triplicem representare personam, Christi nimirum, Ecclesiæ, & propriam, & secundum omnes tres representationes suas correspondet fructus. Ut ergo Sacerdos Christi representat personam correspondet ille valor qui solet alteri communicari, & hunc non tenetur Sacerdos pro omnibus applicare, sed solum cui voluerit. Similiter non tenetur alteri sibi correspondentem va-

lorem applicare, & multo minus pro omnibus fidelibus. At vero valor ille qui correspondet Ecclesiæ, vel sibi ut Ecclesiæ repræsentat personam, secundum Ecclesiæ intentionem applicare tenetur, quæ est omnibus fidelibus, secundum accommodatam distributionem, subuenire.

Sed petes, an si Sacerdos hanc Ecclesiæ portionem contra Ecclesiæ intentionem applicaret, factum teneret; affirmatiuè respondeo, quia, etiam si Sacerdos Ecclesiæ personam repræsentet, & nomine Ecclesiæ offerat, tamen ipse est, qui offert; ipsius est dispositionis, valoris Missæ partitio, ut ex dictis clare satis habetur.

Quarta difficultas, quid fiet de sacrificii Missæ valore in casu quo Sacerdos nulli illum applicet. Et dico breuiter, quod si loquamur de valore, principali offerente correspondente, in thesauro remanere Ecclesiæ, cum Christus Dominus non aliter, ut dicebamus, hunc fructum applicet, nisi media Sacerdotis applicatione. Si vero loquamur



mur de fructu ipsi Sacerdoti correspondente, adhuc erit Sacerdotis, cum semper illius sit, nisi positiuè alienetur. Idè dicendum videtur de illa portione, quæ ipsi correspondet Ecclesiæ.

Quinta difficultas est, quid fiet de illius sacrificii fructu quem Sacerdos bona fide applicat pro aliquo qui non est illius capax, quia verbigratia est in Cælo, vel in inferno &c. Mihi videtur dici posse talem fructum ipsius esse Sacerdotis iuxta illud Luc. 10. *In quamcunque domum intraueritis dicite primum, Pax huic domui; & sibi fuerit filius panis, requiescet super illum pax vestra, sin autem ad vos reuertetur: id est vobis proderit.* In casu namque præcedenti ab Ecclesiæ thesauro talis fructus non fuit extractus per Sacerdotis intentionem, cui Christus Dominus huius sacrificii fructum subiici voluit, & sic ad Sacerdotem non reuertitur; at vero in casu præsentis fuit talis fructus quantum est ex Sacerdotis intentione extractus, & sic videtur ad ipsum Sacerdotem reuerti. Opti-

mum tamen consiliū est, quod Sacerdos subditus, habeat intentionem applicandi sacrificia illis, quos superior designauerit, si capaces sunt, secus vel sibi, vel cui maluerit applicet. Quoad Prælatum etiam consilium erit, quoad illos subditos, qui præcedentem ignorant doctrinam, sed absolute applicent secundum Prælati intentionem; quod si illi quibus sacrificia applicantur incapaces sunt, alii designentur, quibus ex charitate aliquid debetur, vt sunt Religiosorum parentes, tum viui, tum defuncti; benefactores, amici, &c.

Sexta difficultas, an Sacerdos possit applicare Missam dum celebrat primo offerenti eleemosinam, hoc modo: applico Missam illi quem Deus scit primo daturum eleemosinam. Affirmant plures apud Dianam de celebratione Missarum resol. 15. At alii melius negant apud eundem auctorem. Primo ob Decretum S. C. ex mandato Clem. VIII. sub die 15. Nouemb. 1605. quod talem sententiam tamquam pluribus nominibus pe-



riciosam damnat. Secundo quia, cum huius sacrificii applicatio, nequat manere suspensa, sequi potest, quod dum Missa applicatur, primo eleemosinam offerenti, quod ille non sit capax. Si tamen scirem talem, esse eleemosinam allaturum, pro Petro defuncto, posset talis fieri applicatio.

Sed hic quæret aliquis, quid teneatur Sacerdos applicare de Missæ sacrificio, illi pro quo sacrificare tenetur. Et breuiter dico solum teneri

applicare fructum ex opere operato, qui correspondet Christo vt principali offerenti, vt iam diximus. Vnde nõ est obligatio offerendi orationes, & alia quæ fiunt in Missa, quæ sunt ex opere operantis, vel etiam ex opere operato, sed vel Ecclesiæ, vel ipsius Sacerdotis. Alioquin Sacerdos in mortali celebrans suæ non satisfaceret obligationi, cum tunc non adsit nisi fructus correspondens principali offerenti, & Ecclesiæ.

## QV AESTIO VI:

*An Missæ Sacrificium, valorem habeat infinitum.*

**P**rocedit quæstio de valore operis operati, principali correspondente agenti, nam de aliis, nulla est difficultas; certum est enim portionem Ecclesiæ correspondentem, & ipsi celebranti, finitam esse, siue sit operis operati, siue operis operantis.

Prima sententia est, Missæ sacrificium, quoad dictam portionem Christo Domino correspondentem, non habere valorem infinitum, sed finitum, & limitatum. Hanc sententiam sequitur Suarez hic disput. 79. sect. 12. Coninch. hic dub. 3. Lugo disputat. 19. sect.



sect. 12. & alii,

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Missæ sacrificium quatenus est actio Christi Domini principalis offerentis, est infiniti valoris quo ad sufficientiam; licet quoad actualem influxum, & efficientiam finitè applicetur. Hæc conclusio quoad secundam partem docetur ab omnibus, & est ex se evidens; evidens namque est non fieri vnquam per hoc sacrificium infinita pænæ satisfactio, cum omnis satisfactio, quæ per hoc sacrificium fieri potest, sit temporalis, & hæc cum finita sit, eui denter sequitur hoc sacrificium non habere de facto nisi finitum influxum. Id ipsum etiam docet Ecclesiæ vsus, qui est pluries iterandi hoc sacrificium pro eadem re. Primam nostræ conclusionis partem, quod nimirum non solum res oblata, de qua non dubium, sed ipsum formalissimum sacrificium nempe actio principalis agentis, & valor illius intrinsecè, quantum est in se, & quoad sufficientiam sit valoris infiniti, docent D. Thomas, & Caietanus mox refe-

rendi, Scotus quodlibeto 20. Corduba lib. 1. quæst. Theologicarum quæst. 3. Margarita Confessorū in quæst. moral. Sylu. V. Missa primò q 9. Angelus quæst. 20. Cano lib. 22. de locis, fusè Dominicus Montagnolus cap. 30. tract. de Miss. Bea. p. p. cap. 12. Camerota de sacrificio Missæ dub. 10. concl. 8. Petrus Sotus de Eucha. lect. 7. Nauar. de restit. lib. 2. capit. 2. num. 263. Nugnus hic dub. 7. vbi testatur de communi. Hur tadus hic difficult. 8. qui plures refert. Isamb. hic disput. 7. art. 1. & alii plures,

Probatum primo, D. Thomæ testimoniis: art. 5. quæst. 79. in corpore habet: *Quamuis hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pænâ, tamen fit satisfactio illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus secundum quantitatem suæ deuotionis.* Vbi Caietanus dicit. *In articulo 5. duo valde notabilia sunt. Primum est, quod oblatio Eucharistiæ ex sui quantitate sufficit ad satisfaciendum pro omni pænâ. Secundum est, quod hæc oblatio sit satisfactio*



ria offerentibus, vel pro quibus offertur secundum quantitatem suæ deuotionis. Ex primo dicto habes, quod vnâ Missa ex parte sui est satisfactoria pro peccatis omnium peccatorum tam uiuentium, quam mortuorum, quoniam ut sic est infiniti valoris. Vbi ut vides vult uterque Thomas Missæ sacrificium valorem habere infinitum quoad sufficientiam, quia potest conferre excellentiorem, & excellentiorem effectum, usque in infinitum synchegorematicè; atque adeo esse absolutè infinitum dicendum, cum secundum quod tale, non habeat à se, aliquam sui valoris limitationem, sed tota limitatio ab extrinseco oriatur.

Articulo 7. eiusdem quæst. ad 2. habet. Sicut passio Christi prodest quidem omnibus quantum ad sufficientiam, & ad remissionem culpæ, & adeptionem gratiæ, & gloriæ, sed effectum non habet, nisi in illis, qui passioni Christi coniunguntur per fidem, & charitatem; ita & hoc sacrificium, quod est memoriale Dominicæ passionis, nõ habet effectum, nisi in illis, qui

coniunguntur huic Sacramento per fidem, & charitatem &c. Vbi ut vides æquiparat sacrificium Altaris cum sacrificio Crucis, quod sicut illud prodest omnibus quoad sufficientiam, licet non quoad efficaciam, ita & hoc &c. quid enim est sacrificium Altaris, quam quædam sacrificij Crucis applicatio?

Probatur secundo nostra conclusio. Nam sacrificium Crucis, sacrificium cænæ, & sacrificium nostrum sunt vnũ, & idem numero sacrificium quoad rem oblatam, & oblationes licet sint actiones numero distinctæ, eiusdem tamen sunt valoris; sed oblatio Crucis est infiniti valoris; ergo etiam oblatio Altaris. Maior patet ex dictis supra. Minor est de fide.

Confirmatur hoc argumentum ratione desumpta ex Tridentino sess. 22. cap. 2. vbi loquens de hoc Sacrificio sic factur: vna enim eademque Hostia (intellige cum sacrificio Crucis) Idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa, cuius



*ius quidem oblationis, cruenta inquam, fructus per hanc incruentam uberrime percipitur.*

Sacrificium nostrum per concilium est eiusdem virtutis, ac valoris cum sacrificio Crucis, & solum differunt ratione diuersæ oblationis, quia oblatio Crucis fuit cruenta, hæc vero incruenta; ergò si per Concilium hac sola ratione differunt sacrificium Crucis, & sacrificium Altaris, sequitur, quod si illud fuit infiniti valoris, & hoc eiusdem valoris infiniti esse debet, alioqui non benè diceret Concilium, sola offerendi ratione diuersa.

Dices cum oppositum sentientibus esse disparem rationem inter sacrificium Crucis, & sacrificium Altaris; quod in Cruce Christus Dominus erat immediatè offerens, & nihil erat per quod talis Christi oblatio limitaretur, & finiretur; at vero in sacrificio Altaris Christus Dominus est solum mediatè offerens; media videlicet Sacerdotis oblatione, & sic datur aliquid per quod sacrificii valor determinetur, & finiatur, & est ipsa Sacerdotis oblatio finita, & determinata.

Sed contra est, quia in primis falsum est, Christum Dominum non esse etiam immediatè offerentem, cum enim sit causa principalis, debet, & per instrumentum offerre, & per se ipsum, vt supra disput. præcedenti quæst. 5. S. secunda difficultas, ostendimus. Sed quidquid de hoc sit, adhuc nostrum argumentum manet in sua vi, quod nimirum Sacerdotis oblatio non possit huius sacrificii valorem limitare: quod sic ostendo; nã id quod se habet per modum applicantis actiua passiuus non potest agentis virtutem limitare; Atqui Sacerdos in Missæ sacrificio, se habet vt applicans actiua passiuus; ergò non potest virtutem Christi Domini agentis limitare. Maior ex Philosophia satis liquet, qui namque applicat actiua passiuus, seu agentia naturalia passis, vt ignem ligno, eiusdem ignis virtutem non limitat, sed vt est applicat. Minor etiam videtur euidens Primo ex Tridentino dum vult sess. 22. c. 1. *Hanc mundam oblationem nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari; certè ali-*

quo



quomodo inquinaretur, si semel per Sacerdotem limitaretur, & finiretur, limitatio namque, & finitio; aliqua inquinatio est. Secundò, quia videmus eleemosinam à Domino per seruum etiam iniquum factam, non limitari, sed suum retinere valorem, quem ex Domini habet affectu. Tertio quia, cum Sacerdos in persona sacrificet Christi, & personam illius repræsentet, sit eius actio tantæ virtutis, & excellentiæ, quantæ est immediata Christi Domini actio, cum verum sit, actionem instrumenti eleuari ad excellentiam principalis agentis, non actionem principalis agentis descendere ad instrumenti ignobilitatem. Quarto quia effectus non limitatur ab instrumento, sed à virtute causæ principalis, si est limitata; cum enim instrumentum sit quoddam vehiculum, seu delatium virtutis principalis agentis non habebit illam limitare, sed illam ut est deferre.

Probatur tertio; Missæ sacrificium habet vim, & virtutem ad producendum effectum

infinite, tum intensiue, tum extensiue; ergò absolute infinite. Quod sacrificium Missæ habeat virtutem ad producendum effectum infinite, extensiue, & intensiue ostenditur; nam idem numero sacrificium potest se extendere ad plures, & plures in infinitum, similiter ad intensiorem & intensiorem effectum usque in infinitum in eadem persona; ergò est infinite, tum intensiue, tum extensiue. Antecedens ostenditur; Nam non minorem in finitatem, ut ita dicam, habet hoc sacrificium respectu Sacerdotum offerentium, quam respectu illorum pro quibus offertur, & contra; Atqui respectu Sacerdotum offerentium hanc habet infinitatem; ergò etiam respectu aliorum. Minorem demonstro, nam quando plures Sacerdotes ordinantur, & simul cum Episcopo offerunt, omnes, tantum fructus percipiunt, quantum perciperent si vnusquisque solus offerret, ut omnes admittunt; ergò signum est hoc sacrificium non limitari; si enim semel finitum haberet valorem, quo plures es-

sent



sent sacrificantes, eo minus de sacrificii fructu haberent.

Probatur quarto ratione Caietani Opus de celebrat. Missæ. *Missæ rogata à pluribus, plus satisfacit ceteris paribus, quam rogata à paucioribus quia ex pluribus deuotionibus offertur; & similiter Missæ rogata pro aliquibus, plus valet illis, quam si ex sola deuotione Sacerdotis, pro illis diceretur, quia ibi effectus est iuxta deuotionem etiam rogantium, non hic. Et ex hac doctrina quam accepi ex 3. part. D. Thom, quæst. 79. art. 6. soluuntur omnes difficultates accidentes in hac materia, quoad valorem sacrificij. hinc saluatur infini-*

*tas sacrificij secundam se, & finitas effectus in vnoquoque. Hæc Caietanus. Vbi vt vides profundâ assignat ex D. Thoma rationem conclusionis nostræ, quod nimirum Missæ sacrificium sit infinitum, quia habet vberiore[m] producere effectum, si vberior sit dispositio, & proportionali modo quo faciunt Sacramenta, quorum actio gratiæ productiua à ministro non limitatur, sed tanto maior producitur; quanto maior est dispositio, & si hæc cresceret in infinitum, & ipsa gratia cresceret. Argumenta non adducuntur in contrarium quia ex dictis satis superquæ soluta manent.*

## QVAESTIO VII.

*An Missæ sacrificium pro pluribus oblatum, tantum profit singulis, quantum si pro vno solo offerretur.*

**V**T certa ab incertis separentur prius necesse est ea referre de quibus vel nulla, vel parua est inter scri-

bentes disceptatio. Conueniunt ergo omnes, Missæ sacrificium, qua ratione imperatorium est, ita prodesse multis,



tis, ac paucis, ac vni, & ratio est, quia impetratio, diuinæ innitur misericordiæ, & liberalitati, non autem pacto, ac promissioni, prout innitur satisfactio. Vnde cum Deus sit æquè potens, ac liberalis respectu plurium, ac paucorū, ac vnius; sequitur quod huius sacrificii intuitu, non minus possit plures exaudire, ac paucos, ac vnum, & sic beneficia concedere pluribus, ac paucis, ac vni. Benè verū est, quod cum huius sacrificii impetratio non sit infallibilis, ad modum quo supra notauimus, multum proderit eiusdem sacrificii replicatio, pro diuina inclinanda misericordia, ad beneficia petita concedenda.

Conueniunt secundo, hoc sacrificium respectu ipsorum immediate offerentium, ita multis prodesse, ac vni, vt quando Sacerdotes in sua ordinatione simul cum Episcopo offerunt, vt præcedenti quæst aduertimus, pro quo videri potest Cordubensis li. 1. quæstionarii quæst. 3. opinione 5. conclus. 3. vbi plena manu auctores refert. Et ratio est,

quia quando sacrificium ita offertur, sunt plures oblationes, & tot, quot sunt offerentes, & vnusquisque offerentium, vt causa totalis offert, & in solidum. Vnde licet sit vna victima tantum, sunt tamen plures eiusdem victimæ oblationes. Et hoc idem de aliis offerentibus dicendum est, secundum quod præcisè offerunt.

Conueniunt 3. Missæ sacrificium non æque prodesse illis multis, quibus generatim offertur; ac illi pro quo nominatim offertur, pro quo nota hoc sacrificium, vel ex Christi institutione, vel Ecclesiæ, pro omnibus fidelibus offertur, vt constat ex can. Missæ, & etiam offerri potest nominatim pro aliquo in particulari, & sic dico, quod hæc particularis applicatio est maior, quam sit illa vniuersalis, & plus prodest huic particulari, quam illis multis: huius ratio est, quia causa ad vnum effectum applicata, plus agit, quam si pluribus applicetur subiectis. Tū quia; hæc videtur communis fidelium sententia, communis que sensus, & iudicium. Tum  
etiam



etiam quia illa generalis applicatio forte non Christi est institutionis, sed Ecclesiæ, quia portio Christi illa solum esse videtur quæ particularibus applicatur. Et sic difficultas solum reuocatur ad illos quibus in particulari Missæ sacrificium applicatur. De qua re duæ sunt extremæ sententiæ.

Prima sententia quam defendit Lugo, Suarez, & alii præcedenti quæstione citati est, quod hoc sacrificium pro pluribus determinatis oblatum minus prodest, quam si vni solum offeratur.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Missæ sacrificium pro pluribus particularim oblatum, ita illis prodest, ac si vni soli applicaretur. Hæc est aperta D. Thomæ, & Caietani sententia, quam defendunt Thomistæ præsertim Nugnus doctissimè. Si enim semel verum est quod hoc sacrificium sit infiniti valoris, vt quæstione ostendimus præcedenti; sequitur non minui ex eo, quod pluribus applicetur. Videatur Diana p. 5. tract. 14. re-

sol. 81. vbi duo notabilia corrolaria infert. Primum est, Sacerdotem vna Missa satisfacere posse pluribus petentibus illam, dummodo plura non accipiat stipendia, hoc enim nullo modo licet ob S. C. Decretum, cui omnino est parendum. Secundum est, eodem Sacrificio posse Sacerdotem satisfacere, & proprio voto, & pro eo qui elemosinam dedit ad tale, offerendum pro se, vel pro alio sacrificium. Vnde optimè ad rem dicit Caietanus quæst. 79 art. 5. *quod arguendi instruendique sunt homines ignorantes petentes, vel exigentes pro sua elemosina totam sibi Missam dari, aut suo defuncto, nihil enim minus ipse habebit, si mille alij petant eandem Missam pro se ipsis, & alijs defunctis, quam si pro ipso solo celebrari dicatur, imo ex huiusmodi in deuotione sic petens videtur incurrere, quod minus sibi producit.* Hæc ille.

Probatur conclusio, primò Missæ sacrificium pro pluribus generali intentione oblatum æquè singulis prodest, ac oblatum pro paucioribus;



ergò etiam oblatum particulari intentione. Consequenter videtur evidens, tum ex rationis paritate, tum ex communi Scribentium sensu, qui enim volunt Missæ sacrificium esse finitum; vtrumque negât, & qui volunt esse infinitum. vtrumque concedunt; si enim semel secundum vnam rationem, hoc sacrificium habet vim infinitam, & tantum prodest vni, quantum pluribus, & è contra, etiam secundum aliam esse poterit, dummodo in eadem ratione virtutis satisfaciendi maneamus. Antecedens ostenditur, quia vt constat ex canone Missæ hoc sacrificium generali intentione pro omnibus offertur, tum vivis, tum defunctis, vt patet ex illis verbis: *Suscipe Sanctè Pater aternè Deus hanc immaculatam hostiam: & paulo post pro omnibus fidelibus Christianis vivis, atque defunctis.* Et ex illis. *In primis qua tibi offerimus pro Ecclesia tua Sancta, vna cum famulo tuo Papa nostro N. & Antistite nostro N. & omnibus Orthodoxis, atque Catholicæ, & Apostolicæ fidei cultoribus.* Si autem hoc

sacrificium minus valeret pluribus applicatum immerito Ecclesia pro tot applicaret. Similiter audiens Missam vbi est maior audientium numerus, minus de sacrificio haberet, cum in partes maiores illius fructus divideretur.

Respondet Lugo disput. 19 num. 253. Sacerdotem non applicare illa generali intentione fructum satisfactionis, sed impetrationis dumtaxat. Sed contra. Primo quia hoc omnino gratis dicitur; nec puto esse Sacerdotem, qui suâ restringat intentionem, ad solam impetrationem; nec puto hanc esse Ecclesiæ intentionem, dum in vtroque memento pro vivis, & defunctis hoc applicat sacrificium, certè animæ in Purgatorio existentes nihil satisfactionis haberent ex sacrificiis, nisi determinatè pro illis applicentur, quantum vis Ecclesia in proprio memento pro illis intendat satisfacere.

Secundò quia vt colligitur ex illa parte canonis quæ incipit *Communicantes* nobis, & omnibus fit Sanctorum communicatio, quæ non solum in



impetratione, sed & maximè in satisfatione consistit. Sanctorum namque communio, quam in symbolo credimus potissimè in satisfatione consistit. Tertio quia videtur omnino incongruū quod quis possit satisfationem operis operatis, verbigratia, ieiunii generali intentione pluribus applicare, & non possit id ipsum facere Sacerdos de sacrificio Missæ. Vnde merito Maratius eiusdem societatis Scrip- tor dicit disput. 40. sect. 4. num. 4. esse cōmunem Theologorum sensum Christum Dominum instituisse, Sacerdotem posse fructum satisfationis ex opere operato duplici intentione applicare, generali pro omnibus, & particulari pro aliquo, vel aliquibus.

Probatur secundo, quia Missæ sacrificiū à Christo Domino est institutum, vt instar Sacramenti effectum conferat ei pro quo offertur, siuè generali, siuè particulari intentione; ergò non minus prodest vni quam multis. Antecedēs videtur certum. Consequentiā probatur, quia non minus

sacrificium integrum singulis applicatur, quam Sacramentum; ergò sicut idem numero Sacramentum pluribus applicatum non minuit effectum; neque sacrificium id faciet. Dicant mihi aduersarii si quis Eucharistiæ Sacramentum recipiat, & postea euomat, & alter recipiat, minuetur ne huius Sacramenti effectus in secundo recipiente, quia iam illum causauit in primo? nul- lomodo, id dicent; dicant ergò idem de sacrificio.

Probatur tertio. Summus Pontifex, vt omnes admittunt, dispensat, vt pro vna Missa, quis pluribus satisficiat obligationibus, reducendo onera Missarum ingentia, ad minorem numerum; ergò signum est, ex rei natura; vnica Missa pluribus satisfieri posse obligationibus; si enim hoc ex rei natura fieri non posset, neque per Pontificis dispensationem fieri posset, nisi ex grauissima causa; non enim Pontifex est bonorum temporalium fidelium Dominus, neque illorum, quæ Ecclesiis relinquuntur, sed dispensator; & sic non potest bona tempora-



lia vnus, absque ipsius consensu alteri concedere, in præiudicium Domini: nec potest aliquem absoluerè, & liberare ab obligatione legis Diuinæ, & naturalis in præiudicium tertii; cum non habeat potestatem in destructione, sed in ædificationem; ergò non potest Pontifex aliquem absoluerè, & liberare ab obligatione qua iure naturali tenetur tot Missas celebrare, quot stipendia accepit, si semel verum est vnica Missa ex rei natura non posse pluribus satisfieri obligationibus. Cum ergò videamus Pontificem id facere, & alias fecisse vt videre est in multarum priuilegiis religionum, modo per S. C. decretum reuocatorum, signum est id fieri, ex rei natura posse.

Sed dices, quod licet hæc sententia ante S. C. Decretum de celebratione Missarum esset probabilis, non tamen modo, quia licet expræsse illam non damnauerit, virtualiter tamen tanquam falsam reprobauit. Cum enim S. C. expræsse prohibuerit vnica Missa pluribus stipendiis quan-

tumuis incongruis posse satisfieri, & hoc sub graui peccato, & obligatione restitutionis, sequitur nostræ conclusionis oppositum. Tum quia, ratio condendi hoc decretum fuit ex eo quod ex huiusmodi celebratione defunctorum animæ debitis priuantur suffragiis, hoc autem signum euidentis est, falsam esse illam sententiam, quæ dicit vnica Missa pluribus posse satisfieri obligationibus.

Respondetur primò falsum esse nostram sententiam per S. C. decretum fuisse reprobam; ratio est, quia Pontifex non censetur aliquam reprobare opinionem, nisi de ea aliquam faciat mentionem arg. cap. lit. 13. de rest. spol. ibi, *nos ad præsens nullam de prædictis sententijs reprobamus*

Tum quia vt testatur Bordonus resol. 25. num. 13. ad reprobandam aliquam sententiam solet Ecclesia facere illam discutere à Theologis, si ad Theologiam pertinet, vel à iurisperitis si ad illos &c. postea habito illorum voto per suum decretum eam opinionem expræsse reprobat, vel dā-

nat;



nat; vt patet ex modo quæ tenuit in aliis reprobâdis o pinionibus, & seruauit Clemens VIII in reprobatione opinionis de confessione faciendâ absenti.

Respondetur secundo, quod sacra Congregatio nostram non reprobauerit sententiam, reprobauit tamen illorum Sacerdotum abulum, qui pluribus stipendiis vnica Missa satisfaciebant, id enim numquã fuit licitum, nec id docuerunt qui nostram sententiam tradiderunt, quia vt optimè aduertit Lugo disput. 19. num. 258. licet sit probabile principium, non tamen est probabile consequens, & ratio est quia petentes Missam, dant stipendium certum, & sic debet Sacerdos satisfacere per solutionem certam, ob id optimè dixisse Sacram Congregationem fideles suam intentione frustrari, & animas fidelium debitis fraudari suffragiis, cum deberent dari certa, & dentur solum probabilia, nullus namque vult debito certo satisfieri solutione probabili, sed, si potest, certa.

Dices secundo si vera esset nostra sententia, sequeretur, quod vnica Missa possent librari omnes anime existentes in Purgatorio, & quod frustra Missæ ob id multiplicarentur pro vna eadèq; anima; contra omnium fidelium sensum; ergò.

Respondetur primò multiplicari sacrificia, quia illorum applicatio secundum multorum sententiam, non est infallibilis, nec Deus semper applicat sacrificia pro eo pro quo celebrantur, nec semper acceptat pro tota pœna, sed solum secundum suæ providentiæ dispositionem. Quod impetrationis exemplo explicari potest, quæ etiam in aduersariorum sententia est infiniti valoris, vt fatetur Lugo hic disput. 15. sect. 12. num. 242. & tamen hic effectus nec est omnino infallibilis, vt testatur prædictus auctor sect. 9. num. 142. nec totalitet habet placare Deum, sed solum eo modo, & ea mensura; quam Deus secundum placitum consilii sui disposuit, & tamen non ob id tollitur impetrationis infinitas; ergò nec ex eo quod sacrificium



ficiū non placat Deum in ordine ad totam p̄nam dimittendam, sed ad suæ prouidentię mensuram, non sequitur quod non sit in ratione propitiatorii infinitum. Vnde sicuti Deus rectè non semper vult placari omnino quoad impetrationem per vnicū sacrificiū, sed vult quod multiplicentur, vel quia illa sibi maximè placent, vel alio altissimo, sed occulto consilio suo, vt sic paulatim per illa, deposita per clementiam indignatione, ex liberalitate concedat, quod antea implacatus negauerat: Ita eodem modo vult quod multiplicentur sacrificia quoad p̄næ expiationem, vt sic etiam quoad p̄nam, seu quoad ius, quod habet ad p̄nam infligendā paulatim placetur, quoad vsque tota dimittatur p̄na.

Respondetur secundo quod cum hoc sacrificiū, vt supra cum D. Thom. & Caiet. dicebamus, suū producat effectum ad mensuram dispositionis, & animæ Purgatoriæ, cū

non sint in via, hac careant dispositione, sequitur, quod minimum in illis, hoc sacrificiū, producat effectum; ad eū modum, quo docent Theologi, & nos sepe docuimus, Sacramenta causare gratiam ad mensuram dispositionis, quæ si non adsit, minimam causant gratiam, vt videre est in Eucharistiæ Sacramento, cui hoc sacrificiū assimilatur. E sic primum sacrificiū, cum dispositione vt 4. causabit effectum remissionis, in viatoribus vt 8. & per secundam Missam ampliolem, & sic deinceps, In animabus vero Purgatoriū primum sacrificiū, causabit p̄næ remissionem, vt 4. secundum vt 4. & sic deinceps. Imò dato quod animæ purgatoriæ, suas haberent dispositiones; adhuc deberent sacrificia multiplicari, vt plurificantur in viatoribus, quando p̄na dimittenda, excedit virtutem vnus Missæ, cum vna sola dispositione, vel remissa.



# DISPUTATIO TERTIA

*De circumstantijs Sacrificij Missæ, & alijs  
adiunctis.*

**P**OTISSIMAE circumstantiæ de quibus in hac disputat. agemus est circumstantia *quis*, seu circumstantia personæ; occasione cuius, summistæ induendo personam, ad modum summi-

starum, de hac, & alijs agemus circumstantiis. Alia est circumstantia temporis huius sacrificij; alia loci; alia finis, ad quas omnia, quæ de hoc tractantur hic sacrificio breuiter referendo, reducemus, sit ergò.

## QVAESTIO I.

*De Sacerdotis obligationibus circa Missæ  
sacrificium.*

**P**ures sunt Sacerdotis obligationes quas oportet breuiter referre, vt sciat Sacerdos quid agere debeat. Debet Sacerdos de necessitate esse ieiunus, & in gratia, vt

supra ostendimus; debet ex consilio ante Missâ Matutinas recitare præces, licet aliqui antiqui voluerit Sacerdotem ad id sub mortali teneri, & aliqui moderni velint id esse veniale,



niale, sed non placet cum nullo de hoc detur præceptum, licet enim in Missali Romano dicatur, quod Sacerdos sacrum non peragat, nisi absoluto matutini penso, non tamen est hoc præceptum, sed consilium. Debet Sacerdos ex consilio ante sacrum se recolligere, & mentem in tanti mysterii considerationem intendere, quod ibi Christi Domini personam sit gesturus, & Sacrificium illud tantæ excellentiæ, & maiestatis, tam pro vivis, quam pro mortuis sit oblaturus: consideret quod Dei, & Ecclesiæ minister existit, cuius nomine inter Deum, & homines mediatorem se exhibet, ut eos diuinæ conciliet maiestati, & huius generis alia meditetur. Sed ut ad particularia descendamus.

Quæres primò an Sacerdos teneatur aliquando celebrare. Diana de celebratione Missarum duas refert extremas sententias, prima peccatum agnoscit mortale in Sacerdote, nullo detentus impedimento, non celebrante. Hanc tenet Ioan. de la cruz, Villalobos, & alii satis communiter, alii nul-

lum agnoscunt peccatum, dummodo communicet in Paschate, & absit scandalum, vel contemptus. Hanc tenent Caietanus, Victoria, & alii ab eodem Diana relati. Ambæ sententiæ probabiles sunt. Mihi tamen media videtur incedendum via, & dicentur aliquando Sacerdotem in vita celebrare, ut ex Tridentino sess. 22. cap. 1. satis clare colligitur, imo ex illo Christi Domini. *Hoc facite in meam commemorationem.* Tum quia cum Sacerdos sit ab Ecclesia deputatus, ut sit medio sacrificio, mediator ad Deum, aliquando ad id obligari videtur; tamen cum hoc præceptum, vel obligatio non sit ad certos dies determinatum, nec iure Diuino, nec Ecclesiastico, videtur id ipsum dicendum de hac obligatione, quod dicitur de obligatione communicandi, si Ecclesia tempus non coarctasset, nimirum teneri hominem tertio, vel quarto quoque anno: tutius tamè est semel in anno, imo & pluries, festis præsertim solemnioribus, & ita consulendum est.

Quæ-



Quæres secundo, an possit Sacerdos licitè celebrare Feria V. maioris hebdomadæ: & respondeo affirmatiuè, vt cõstat ex vsu, & praxi Ecclesiæ. Oppositum tamen est dicendum de die Veneris Sancti, ex Doctorum consensu, & cõsuetudine recepta. An autè possit Sacerdos pluries in die celebrare, excepto die Natalis Domini, iam patet, quod non, exceptis illis casibus, de quibus tractatu præcedenti disput. 14. quæst. 7. Nota vnum de quo alias interrogatus fui, quod Sacerdos qui in die Natalis Domini semel tantum vult celebrare, debet illam dicere Missam quæ correspondet tempori, quo solet ab Ecclesia celebrari.

Quæres tertio, an Sacerdos teneatur recitare submissa voce ea, quæ in Missa solemni dicuntur in Choro, vt Gloria, Credo &c. Et respondeo negatiuè, est tamen consilium id facere, vt rubricæ Missalis præscribunt, præsertim cum sit probabilis multorum sententia quos affert, & sequitur Diana de celebratione Missarum resol. 55. rubri-

cas Missalis, quæ ad Missæ substantiam non pertinent, ad mortale non obligare, vnde si quis vnã, vel alteram ex læuioribus relinqueret, saltem grauius non peccaret. Hinc sequitur primò, quod si Sacerdos aliqua infirmitatis causa celebret capite cooperto, præciso scandolo &c. non peccaturum. Secundo si voluntariè omitteret Credo, vel Gloria, secus si omitteret proportionatam canonis materiam, cum hæc sit grauior valde. Tertio ob hanc rationem tenet Diana vbi supra resol. 43. cum pluribus non peccaturum Sacerdotem, qui in magna necessitate, Missam celebraret, sine ministro, & resol: sequenti, cum Nugno, & aliis docet, posse protali ministerio faminam deseruire. Quarto posse Sacerdotem in hebdomada Sancta recitare Missam votiuam de passione loco Missæ tunc temporis occurrentis; non tamen placet quod alicubi obseruauit, nimirum dicendi Missam de requiem ad fugiendum laborem recitandi Missam currentem. Quinto non esse pec-



catum saltem graue relinque-  
re orationes, quæ in Missali  
prescribuntur, pro præpara-  
tione, & gratiarum actione,  
imò puto neque esse veniale,  
si aliæ orationes dicantur. Se-  
cus dicendum est de lotione  
manuum ante Missam, nam  
communiter veniale reputa-  
tur, secus post Missam.

Quæres quarto, an Sacer-  
dos habeat obligationem non  
repetendi ea, quæ recitantur  
in missa vti faciunt scrupulosi,  
qui plura in Missa, facili repe-  
tunt negotio, præsertim mag-  
is sacra, scrupulis, vel nimio  
timore oppressi; vnde non  
semel obseruaui scrupulosum  
pluries repetentem, modo  
aliqua formæ verba, modo  
totam formam. Et licet ali-  
qui ipsum peccati condemna-  
rent, ego tamen cum aliis il-  
lum excusabam. Et sic ad  
dubium breuiter dico, Sacer-  
dotem taliter repetentem, dū-  
modo scandalum absit, & po-  
puli admiratio (tunc enim  
temporis publicè celebrare  
permitti non deberet) non  
peccaturum, curare tamē de

bet ne hoc ex leui causafaciat

Quæres quinto, quam ob-  
ligationem habeat Sacerdos  
circa ea, quæ secreto dicun-  
tur in Missa, & idem est de  
Diuino officio. Respondeo,  
quod si loquamur de regula-  
ribus, est aliquorum senten-  
tia, vt Tamburini opus. de sa-  
crif. Missæ lib. 2. cap. 9. §. 3.  
Ioannis de le Crux de stat.  
Relig. lib. 2. cap. 8. concl. 1.  
Sanctorii cap. 3. statut. 2. du-  
bio 3. quod satisfaciunt reci-  
tando illa mentaliter ex priuilegio  
legio Leo X. Si vero loquamur  
de aliis Sacerdotibus, est Na-  
uarri apud Sanctorium, & ali-  
orū sententia, quod etiam sa-  
tisfaciant recitando mentali-  
ter non virtute priuilegii Leo-  
nis, sed quia mentalis recita-  
tio, cum sit nobilior, dignior  
que vocali, & illam eminent-  
ter contineat, pro illa est sa-  
tisfactiua. Sicut enim potest  
quis votum se ipso in melius  
commutare, ita, & orationem  
vocalem in mentalem; sed à  
contraria opinione non est re-  
cedendum, cum communior,  
veriorque sit.



## QVAESTIO II.

*De circumstantia temporis quoad Missæ  
celebrationem.*

**C**ertum est vt patet ex dictis quæst. præcedenti posse Missam omni die celebrari, excepto die Veneris Sancti, de hora solum aliquæ sunt proponendæ difficultates.

In primis certum est Missã solemnem Natiuitatis Domini statim post mediam noctem posse celebrari; id ipsum concedunt Magis communiter de Missis priuatis, quod nimirũ omnes tres Missæ illius diei, possint statim, post mediam noctem celebrari; vt vsus ipse docet, vbi enim est tanta Sacerdotum multitudo, vix posset ea die dari locus celebrandi, nisi statim celebrari incipiantur, post mediam noctem.

Est etiam certum horam celebrandi, vt est Ecclesiæ vsus, à Maximo Pio V. Pontifice, in Missalis regulis approbatus, esse ab aurora, vsque ad

meridiem, nisi vel necessitas vrgeat ad anticipandum, vt pro viatico infirmo ministrando, vel priuilegium extet in contrarium, vt habet Episcopus causa itineris, & regulares ex Pontificis priuilegio, vt habent Patres Societatis à Greg. XII. Causa itineris, vel alterius impedimenti. Et Patres benedictini ab Alex. 6. in Bullario, Rodriguez Bulla 13. habent priuilegium, quod possint, duabus post mediam noctem, horis celebrare sine tali restrictione; quo priuilegio gaudent alii communicantes, nec fuit reuocatum vnquam, vt post alios testatur Diana de celebratione Missarum resol. 33.

Sed quæres primò, quid auroræ nomine intelligatur, *Aurora* dicitur quasi aurea hora, quia tunc temporis ex prima solis irradiatione veluti orientis pars inaureatur. Vel



dicitur *Aurora*, quasi auium hora, quia tunc primò dulcissimus auium cantus auditur. Vel etiam dicitur *Aurora* quasi aura rerans, eo quod campi, eo temporis cælesti rore cooperiantur. Sed quidquid sit de nominis *Aurora* Etimologia, de re ipsa loquamur. Pater Suarez in præsentilicet velit per auroram intelligi primam solis irrediationem tamen in ordine ad Missam celebrandam vult venire tempus duarum horarum ante ortum solis, & sic illi, qui ex privilegio possunt per horam anticipare, poterunt tribus horis ante solis ortum celebrare & hoc communiter à recentioribus tenetur. Quod si addatur dimidia hora pro paruitate materiæ secundū aliquos vel vnus quadrans secundum alios, quod verius videtur, poterit sine mortali, Missa celebrari horis tribus cum quadrante ante solis ortum. Qui vero privilegio non gaudent per duas horas cum quadrante ratione paruitatis materiæ

poterunt celebrare.

Quæres secundo quid nomine meridiei intelligatur, quantum ad huius præcepti, obseruantiam pertinet de non differenda Missa. Aliqui volunt Missam sine privilegio posse inchoari vna ferè hora post meridiem, Nauarrus in manuali cap. 25. num. 85. extendit ad tres horas secundum morem antiquum celebrandi hora 9. quæ est tertia post meridiem, sed contraria consuetudo est in oppositum, à Pio V. in Missali approbata; vnde puto sine privilegio non posse Missam inchoari ultra vnâ ferè horam, post meridiem. Dixi sine privilegio, quia ex privilegio cōcesso ab Eugenio IV. Congregationi S. Iustitiæ, & habetur in Bullario Rodriguez possunt regulares communicantes, celebrare post tres horas à meridiæ, ita quod possit missa incipi statim post tres illas horas, vt notat Diana de celebrat. Missarum rel. 34. post alios.



## QV AESTIO III:

*De circumstantia loci ad Missæ sacrificium per  
agendum.*

**L**icet Deus vbique existat locorum, nec loci ambitu circumscribatur, sed in omni loco reperitur, vbique suorum voces exaudiat, cum non locus, sed affectus à Deo exigatur, vnde Moysem in mari exaudiuit orantem. Iob in sterquilinio. Ezechiam in cubili, Ieremiam in luto, Ionam in ceto, Daniele in lacu, Pueros in fornace ardenti, Latronem in Cruce. Petrum, & Paulum in carceribus. Nihilominus orationes publicæ, & sacrificia, non nisi in certis locis Diuinæ Maiestati dicatis, celebrantur, vt decernitur cap. *sicut non alijs*. cap. *nullus*. cap. *Missarum*. & cap. *Tabernaculum*. de consecratione distinctione 1. vbi decernitur Missæ sacrificium in Ecclesia debere celebrari, quæ debet esse ab Episcopo consecrata, vel benedicta ab eodem, vel ab eo qui talem

ex priuilegio habet potestatem, vt sunt Regularium Prælati. Fallit tamen hoc primò in casu necessitatis; quia tunc liceret extra Ecclesiam sine Episcopi venia, celebrare: vt cap. *consecrat* & cap. *concedimus*. de consecrat. decernitur; quod intelligi debet, quando Episcopi venia facile haberi non posset. Vnde in bello celebrare licet in tentorio, vel subdio, cum tabula Altaris consecrata, & ceteris necessariis. Secundo quando ad hæremum populus confluat, licet Altare in campo extruere, vt Missam queat audire. Tertio quando esset magnus populi concursus, ita quod in Ecclesia capi non possit, vt contingit quandoque in ruribus vbi vnica celebratur Missa.

Nomine autem Ecclesiæ venit omnis locus ad celebrandum deputatus: pro quo nota



ta hunc locum vocari quandoque *Ecclesiam*, eo quod ibi fiat fidelium congregatio ad Diuina peragenda. Vocatur *Basilica*, eo quod ibi Deo omnium Regi, cultus, & sacrificium offeratur; Basilica namque est nomen Græcum quod Regem significat. Vocatur *Domus Dei*, eo quod ibi modo quodā speciali Deus habitat, & colatur. Vocatur *Oratorium*, eo quod ibi ad orandum populus conueniat, licet modo ex usu, hoc nomen ad priuata loca, ubi celebratur, applicetur. Vocatur *Templum* vel quia tectum habet amplum, & altum; vel melius, quasi à contemlo, vel contemplatione, cum sit hic locus contemplationis Mysteriorum Dei. Vocatur quandoque *tabernaculum Dei*; quia est locus Deo sacratus. Turre *Crem.* in cap. *Ecclesia*, notat quod in templo sunt 18. partes nempe fundamentum, quatuor parietes, longitudo, latitudo, altitudo, pavementum tectum, columnæ, fenestræ, sacrarium, Chorus, Corpus, Altare, Pulpitum, Ostium, turris, claustrum, & cryptæ;

quæ significant totidem partes Ecclesiæ militantis. Fundamentum est Christus Dominus, muri fideles; longitudo, Ecclesiæ patientia; latitudo, charitas; altitudo spes futuræ retributionis; pavementum, martyres; columnæ, Ecclesiæ Doctores; fenestræ, Diuinæ Scripturæ; Sacrarium, Virgines; Chorus cantantes, seu Confessores; Corpus, conjugatos significat; Altare, Deum; pulpitum, Prædicatores; Turris perfectos; Claustrum, contemplatiuos; & Cryptæ, Eremitas, notat.

Ecclesia dum ædificatur Crux figitur, & locus fundamenti aqua benedicta aspergitur, & primus lapis, vel ab Episcopo, vel ab alio de eius licentia ponitur: dotatur si nõ sit mendicantium, vel Monasteriorum diuitum, pro eius manutentia. Pro Ecclesia ædificanda, sicut pro Monasterio ampliando, pro via ad sepulchrum, potest quis à Diæcesano cogi vendere, vt post alios tradit Lamb. de iure par. lib. 1. quæst. 3. Solet Ecclesia si fieri potest, & olim erat magis in usu, taliter constructui,



strui quod orantes, orientem respiciant, vel quia prima nostra patria à qua recessimus, nempe Paradisus Terrestris, est versus orientem, vel quia pedes Domini in Monte Oliueti ad Orientem respiciunt; vel quia Christus Dominus in Cruce ad occidentem respiciebat, ideo oramus ad orientem vt ipsum inspiciamus, vel vt differentiemur à Iudæis, qui ad occidentem orare solent. His positis.

Quæres primò, an quilibet Sacerdos possit in quacunque Ecclesia celebrare. Et affirmatiuè respondeo, per se loquendo, nisi Ecclesia sit polluta; celebrare namque in Ecclesia polluta non solum graue est peccatum, sed etiam incurritur suspensio ab ingressu Ecclesiæ cap. *Episcoporum* de privilegijs in 6. & si taliter celebrans suspensione durante diuinis se immiscuerit, fit irregularis cap. *isqui* de sent. excom. in 6. Nota tamen Ecclesiam nõ nisi improprie pollui, quæ enim sancta sunt coïnquinari non possunt, capit. *fin. is. quæst. fin.* Sed ob hominum opinionem, qui eam pol-

luunt; & ideo reconciliatur, videntes homines Ecclesiam reconciliari, quæ non peccauit, maiorem ipsi adhibeant diligentiam ad suorum lauatiõnem peccatorum: & etiam vt ad maiorem excitemur reuerentiam erga Ecclesiam.

Quæres secundo quod modis Ecclesia polluat. Polluitur Ecclesia siue sit consecrata, siue benedicta; quando Ecclesia consecrata polluitur debet reconciliari; quando vero Ecclesia benedicta polluitur debet rebenedici, non tamen reconsecrari, reconsecratur in s. casibus. Primus est quando ignoratur, an Ecclesia fuerit consecrata, tunc potest sub conditione reconsecrari. Secundus quando Ecclesia sic comburitur, quod comburantur parietes, vel diruantur cap. *Ecclesijs* de consecratione diff. 1. secus si solum tectum sit combustum cap. *lignis* extra de consecratione Eccle. Tertius si tota Ecclesia est diruta, vel decrustata. Turrecem. in cap. *Ecclesia* citato. Quartus si fuit Ecclesia consecrata à notorio excõmu-

nica.



nicato cap. *consulisti*, quod debet intelligi quando est publicus clericus percussor, vel nominatim excommunicatus, cū hii solum sint vitandi, non alii, iuxta Martini V. constitutionem. Quintus quando paganus, in ea sepelitur; quo casu non solum est Ecclesia reconsecranda, sed etiam parietes abradendi c. *Ecclesiam* 1. & 2, de cons. dist. 1.

Ultra casus dictos in quibus Ecclesia polluitur, & eget reconsecratione, dantur alij casus in quibus polluitur quidem, sed eget solum reconciliatione, vel rebenedictione.

Primus est enormis Sanguinis effusio, quæ sit peccatum mortale; secus si modica, etiam si aliunde esset peccatum mortale, ut ex cap. *reuertimini*: dicitur sanguinis, quia non polluitur Ecclesia per carniū contusionem, vel etiam ossium fractionem, vel per quamcunque aliam percussionem, nisi etiam sit magna Sanguinis effusio. Polluitur tamen per suspensionem, vel suffocationem etiam sine sanguinis effusione, ob horrorem facti, ut notauit Abb. in cap. *propo-*

*suiti*, & alii Canonistæ ibidem, debet tamen talis occisio esse iniuriosa, nam si fiat ob defensionem cum modamine inculpatae tutelæ non polluitur. Idem dico si casu contingat, ut ludo, vel ioco, ut quando repræsentationes fiunt &c. Item si fiat à furioso, vel puero, vsum rationis non habente, licet aliqui id extendant ad pueros, vsque ad annum 14. inclusiuè, ut fuit decisum Cræmonæ, dum esset ibi, ob facti contingentiam, quod vnus puer, qui nondum annum 14. compleuerat cultro alium in Ecclesia, dum rixerentur occidit. Similiter debet vulnus infligi in Ecclesia, nam si extra Ecclesiam vulnus accipiat, & in Ecclesia magna fiat Sanguinis effusio, vel etiam ipsa mors sequatur, Ecclesia non polluitur; quod idem probabiliter dicunt aliqui, quando quis recepit vulnus in Ecclesia, & moritur extra. fit similiter Ecclesiæ pollutio per martyris occisionem licet enim mors Martyris sit Deo gratissima, actio tamen est pessima.

Aduerte tamen quod si ista sint



sint secreta, Ecclesia non egeret reconciliatione; cum hæc reconciliatio non fiat, ob ipsam Ecclesiam, sed ob hominum cautelam &c. ita docent communiter Canonistæ cum glossa in cap. 1. de consecratione Ecclesiarum, & alteriū in 6.

Secundo pollitur Ecclesia per humani seminis effusionē in ea factam, iuxta, contra, vel præter naturam effusum, etiam ab infideli, etiam coniugaliter, nisi secundum Syl. diu vxorati in Ecclesia obsideantur. Hoc tamen non procedit quando non est voluntaria, vt in somnis, vel in vigilia etiam contingere potest. Similiter hoc non procedit quando talis pollutio est occulta, vt post alios notat Lugo hic disput. 20. num. 55.

Tertio polluitur Ecclesia si in ea excommunicatus nominatim, vel publicus clericus percussor sepeliatur. Cæmeterium polluitur polluta Ecclesia non e contra. polluitur autem cæmeterium iis modis quibus ipsa polluitur Ecclesia.

Quarto polluitur Ecclesia per sepulturam infidelis, vel

pagani, & vniuersaliter per sepulturam non baptizati, etiam infantis si separatus à Matre sepeliretur. Nomine autem Ecclesiæ non veniunt oratoria priuata etiam Pontificis, vel Episcopi auctoritate fundata, neque Claustrum, neque Sacristia, neque Campanille, sed solum ipsa præcisè Ecclesia, & Capellæ etiam subterraneæ, Chorus pariter, nisi sit ab ipsa Ecclesia muro separatus. An autem Ecclesiæ nomine veniant Oratoria publica, & Hospitalia non consecrata, nec benedicta, Episcopi tamen auctoritate deputata ad Missam celebrandam. Affirmat Lugo cum alii. Melius loqui videtur, & magis ad mentem Sacrorum Canonum Nauar. cap. 16. num. 32. Sotus dist. 32. quæst. vnica, art. 3. & alii plures, quod non; eo quod Sacri Canones loqui solum videantur de Ecclesia consecrata, & benedicta.

Quæres tertio, quo modo Ecclesia polluta reconcilietur. Respondetur, quod si Ecclesia sit consecrata, debet eo ritu recunciliari, qui in



Romano Pontificali præscribitur, nempe à solo Episcopo, vel ab alio de eius licentia. Vel ab habentibus privilegiū, vt sunt Minores, & alii communicantes, per privilegium Leonis X. apud Rodriquez Bullar. Bulla 6. Leonis X. & apud Lugonem disputat. 20. num. 61. Quod si Ecclesia nō sit consecrata, sed solum benedicta, per simplicem Sacerdotem, per aquam à se benedictam, potest rebenedici, etiam sine Episcopi licentia, licet optimum consilium sit illam habere.

Quæres quarto, an Ecclesia polluta reconcilietur per Missæ celebrationem in eo factam. Negat Lugo loco citato post Layman; affirmat, & melius Diana de celebrat. Missarum, resol. 69. post Castro, Sa, & Auilam; tanta enim est Missæ sacrificii excellentia, dignitasque, quod quamcuque ab Ecclesia habeat explodere pollutionem; sicut enim est valde probabile, quod si Sacerdos in Calice celebret non consecrato, maneat ille consecratus, cum vi-

deatur rationi absolum dicere, quod magis habeat Calicem consecrare Oleum, vel Chrisma quo contingitur Calix, quam Christi Domini Sanguis; ita pariformiter absolum eidem rationi esse videtur dicere, quod magis reconcilietur Ecclesia per aquam benedictam, vel per aliud quodcunque, quam per Diuinissimum Missæ sacrificium.

Quæres quinto, an Episcopus possit necessitate urgente veniam concedere celebrandi in Ecclesia polluta. Negat Lugo vbi supra num. 63. Concedunt communiter omnes, & merito, quia non minus habet Ecclesia polluta, quam habeat locus, qui nunquam fuit nec benedictus, nec consecratus; atqui Episcopus potest veniam concedere celebrandi in loco, qui nunquam fuit Diuino cultui deputatus; ergo etiam in illo qui iam erat deputatus, & solum in hominum opinione maculatus; præsertim cum ex tali venia, talis macula sufficienter abstergetur.



QVAESTIO IV.

*De loco in quo immediatè sacrificium peragitur,  
nempe de Altari, & alijs ad celebrandum  
necessarijs: ubi etiam an in Mari,  
vel fluminibus possit ali-  
quando celebrari.*

**L**icet Ecclesia sit sacrificij peragendi locus, nõ tamen immediatus, sed mediatus dumtaxat, locus vero immediatus est Altare, sic dictum, quia alta ara, eo quod antiqui Gentiles Diis superis in ædificiis à terra eminentibus sacrificarent; terrestribus in terra, & infernalibus in cauernis, vel terra effosa, vt notauit Seruius 2. Aenead, Ara vero dicitur vel ab ariditate, quia ibi aridus ignes adolebatur; vel ab alendo, quia ibi ignis alebatur, vel conseruabatur; vel quia victimæ Diis mactatæ ardebant. Debet Altare esse lapideum cap. *Altaria*: de consecrat. dist. 1. licet ante Constantinum Altaria lignea essent, ob infidelium

persecutionem. Est duplex; viaticum, seù portatile, & fixum. Hoc tandiu retinet consecrationem, quandiu fixum, manet. At portabile tandiu retinet consecrationem, quandiu taliter non frangitur quod possit maiorem Hostiæ, & Calicis partem sustinere.

Sed quæret aliquis, an particulæ, quæ à Sacerdotibus consecrantur debeant esse super aram non solum quando consecrantur, verum etiam consecratione peracta, an vero sufficiat, quod sint super corporale immediatè, vel mediatè, nimirum super Patenam, vel in Pixide, vel in aliquo Calice; Lugo hic num: 69. vult debere semper manere super aram, cum sint pars



hostiæ immolata; unde repræhendit illos Sacerdotes, qui statim post illarum particularum consecrationem, dant illas alteri Sacerdoti, vt ad aliud Altare distribuunt, vel distribuendas recondant. Sed mihi dicendum videtur sufficere, quod super corporale maneant, cum non sint pars hostiæ immolatae, secundum nostram sententiam, qui sustinemus consecrationem nec esse ipsam actionem essentialem sacrificii, nec partem essentialem illius, sed solum victimæ adductionem, & essentialem sacrificii rationem consistere in hostiæ consumptione, unde illa sola victima debet super aram poni, quæ à sacrificante debet macrari, non alia, quæ pro populo adducuntur: ob idque patet non rectè repræhendi illos Sacerdotes, qui (vt ita dicam) victimas ad aram adducunt, non vt macrentur, sed vt populo distribuantur statim postquàm adductæ sunt, distribuendæ largiuntur, vel reconduntur.

Ornatur Altare primò Cruce in altum erecta ad denotandam Christi victoriam, & tri-

umphum, ponitur inter candelabra, quia est *lapis angularis, qui facit utraque vnum*; super candelabra poni debet candele cereæ: licet aliqui velint in necessitate sufficere vnam, vel oleum, vel ex seuo quod est probabile. Aliqui etiam volunt nullum esse peccatum, Missam celebrare sine Cruce, vbi venerabile conseruatur Sacramentum, in aliis vero Altaribus volunt solum esse veniale, sine Cruce celebrare. Vult etiam Diana de celebrat. Miss. resol. 46. posse quem Missam sine Missali celebrare si nullum sit erroris periculum, quod probabile reputat Lugo num. 78.

Secundo ornari debet Altare tribustobaleis, vel duabus vna duplicata, vt est Ecclesiæ Romanæ vsus, & præscribitur in Missali reformato iussu Pij V. quæ debent esse lineæ, & benedictæ, quam benedictionem facit Episcopus, & Regularium Prælati, suorum virtute priuilegiorum.

Riquiritur prætera Calix, & patena, quæ debent esse ex auro; vel argento; saltem cuppa Calicis, licet ratione

pau:



paupertatis admittantur etiam exere, vel cupro vulgo Rame, inaurato: debent esse ab Episcopo cōsecrata, vel ab alio priuilegiato. Hanc consecrationem amittit Calix per separationem cuppæ à pede, nisi quando tornatilis est, tunc enim per talem separationem, consecrationem non amittit, sicut neque quando de nouo inauratur, vt post Dianam, & alios tenet Lugo hic num. 95. ratio est, quia consecratio nihil est aliud quam realis quædam rei deputatio ad cultum Dei facta per tales cæremonias; atqui Calix, & per amissionem inaurationis, & per nouam illius acquisitionem talem non amittit deputationem, hæc enim non amittitur quã diu res eadem numero manet; ergò &c. De praxide ad conseruandum venerabile Sacramentum, tenetur communiter non esse necesse, quod sit consecrata, vel benedicta.

Requiritur etiam corporare, & palla ad Calicem cooperiandum, quæ ex lino mundo esse debent, sicut, & purificatorium. Vnde repræhen-

dendi valdè sunt, qui vtuntur istis valde immundis, ea apponentes ad Mēsam Cælestis regis, quæ non apponerent ad Mensam vnius rustici.

Sunt deinde vestes quibus induitur Sacerdos, nempe amictus, alba, Cingulum Manipulus, stolla, & planeta, quæ debent esse benedicta, vt dictum est de tobaliis, an possit aliquando Sacerdos sine aliqua ex istis celebrare diximus alibi, quod sic, vt sine cingulo vtendo alia stola, vel manipulo. Tenent etiam aliqui nullum esse peccatum celebrare cum cingulo non benedicto vel amictu. De cingulo similiter dicitur, non amittere benedictionem quando frangitur, si iterum accomodetur, dummodo fractio non sit valde notabilis, sicut & idem de aliis vestibus dicunt.

An autem Sacerdos teneatur vti crepidis, vel possit cum sandaliis celebrare: dicendum hoc pertinere ad decentiam, non ad præceptum. Alia leuia in aliis videri possunt.

An autem licitum sit in mari celerare, & in fluminibus du-



dubitant aliqui : quoad flumina communiter negant, quoad mare communiter affirmant, præsertim in Oceano & in nauibus magis, vbi dicunt

nullum esse irreuerentiæ periculum. Ita obseruatur modo in nauibus Portugaliæ dum vadunt ad Indos, & redeunt.

## QVAESTIO V.

*Aliqua notabilia recensentur de Oratorijs priuatis.*

**O**ratorium priuatum illud dicitur, quod in priuatis domibus reperitur, cuius ostium non est patens in via publica, nec habet campanam prominentem ad vocandos alios extra domum; quod debet benè notari vt dignoscatur an immunitate gaudeat Ecclesiastica, & an in profanos vsus conuerti possit: nam quod ostium habet in via publica, & campanam, non est oratorium priuatū, sed publicum, & nomine Ecclesiæ venit, & sic; & immunitate gaudet Ecclesiastica, & in profanos conuerti nō potest vsus; secus quando nec ostium dictum, nec campanam habet:

Vnde ob id iudicati fuerunt in quadam ciuitate, carcerati immunitate gaudere Ecclesiastica, qui fracta fenestra, qua Missam audiebant, in Oratorium ingressi sunt, quod & hostium dictum, in viam patentem habebat, & campanam.

In Oratorijs ergò non nisi de venia Pontificis celebrari potest, quæ debent esse decenter ornati, & visitati, & approbati ab Episcopo, vt statuit S. C. sub die 10. Maii 1615. Hoc tamen fallit in regulariū Oratorijs, quæ per solam Prouincialis approbationem erigi possunt in suorum virtute priuilegiorum, ad quod licentia præsumpta sufficit, secundum omnes.

Con-



Conceditur autem talis licentia, cum aliquibus limitationibus. Prima quod fiat sine iurii Parochialium præiudicio. Secunda quod Missa celebrari non possit in diebus Paschatis, Resurrectionis, Pentecostes, & Natiuitatis D. Tertia quod alii præter familiares illius cui tale est concessum priuilegium non satisfaciant præcepto Missæ audiendæ, si illam audiant in diebus festis. Quæ ut melius intelligantur aliquæ difficultates sunt breuiter proponendæ, & dissoluendæ.

Prima difficultas est, an illi qui non sunt de familia illius cuius intuitu priuilegium concessum est, satisfaciant præcepto audiendæ Missæ in die festo, si illam in tali oratorio audiant. Affirmant aliqui inter quos est Pellizzarius Man. tom. 2. tract. 8. cap. 2. num. 151. dicentis illam prohibitionem, & declarationem Pontificis esse iuxta formam antiquam audiendi Missam in Parochia. Sed alii melius negant, quos refert, & sequitur Diana p. 9. tract. 1. resol. 3. ubi testatur de praxi Romanæ

curiæ. Secus dicendum est de Oratoriis Regularium, & Episcopi, ibi enim plenè præcepto Missæ audiendæ satisficit &c. An autem qui sunt de familia solum satisfaciant quando est præsens dominus, an etiam quando est absens; cõmunis sententia tenet vtrouis modo satisfacere.

Secunda difficultas, an quoad facultatem vtendi beneficio priuati oratori sufficiat habitare in eadem domo priuilegiati, an vero requiratur, quod sint eiusdem priuilegiati commensales. Primum affirmat Pellizzarius, & probabiliter, quia fauores sunt ampliandi L. cum quidem ff. de lib. & posthum. secundum, & tutius affirmat Diana loco citato, resol. 6. quia illi propriè de familia dicantur alicuius, qui aliquam ad eum habent subiectionem. Nec verum est illud priuilegium esse fauorabile cum à iure exorbitet; nec ratio fauoris debet desumi per ordinem ad priuilegiatum alioqui omne priuilegium esset fauorabile, sed videndum est an à iure exorbitet, & an inter tii cedat præiudicium. Licet enim



enim Oratorium sit priuilegium personale, cum in personæ fauorem concedatur, ob idque personam sequatur; vnde si priuilegiatus mutet domicilium, mutare etiã potest Oratorium, nec tunc temporis noua requiritur episcopi approbatio, tamen semper verum est à iure exorbitare, & subinde non esse absolutè fauorabile, sed odiosum. Ob hoc tenet Diana vbi supra res. fol. 17. contra Pellizzarium Oratori ius ad hæredes non transire, cum & sit odiosum, & in personæ fauorem concessum, secus esset si esset in fauorem familie.

Tertia difficultas, quid sibi velint illa verba, quæ in indultis Pontificiis apponuntur, dum oratorium conceditur, *sine iurium parochialium præiudicio*. Respondeo illa verba denotare non posse exerceri in Oratoriis priuatis iura parochialia, vt est sacramenta ministrare, eleemosinam petere, dare pacem, festa, ieiunia, Matrimonia, denunciare, & huius generis cetera.

Quarta difficultas. quid sibi velint illa indulti verba,

quod Missa dici possit per quæcunque Sacerdotem secularem, & regularem de proprii veniæ superioris. Respondetur quoad Sacerdotem secularem debere ab ordinario esse approbatum, & quoad regularem requiri proprii veniæ superioris, vel expressa, vel saltem tacita, vel præsumpta.

Quinta difficultas, an habēs priuilegiū Oratorii domestici teneatur eo vti ad audiendam Missam indiebus festis, quando non potest domo exire, & etiam tempore, quo in Ecclesia non celebratur ratione interdicti vel ob alia causam. Respondetur magis communiter, negatiuè, ratio communis est, quia priuilegium cum sit à iure exorbitans, nõ est obligatorium, sed iuris relaxatorium, non inducit obligationem, sed indulgentiam; vnde est commune prouerbiũ quod nemo suo vti priuilegio obligatur.

Sexta difficultas, an regulares non solum possint habere Oratoria priuata in eorum Monasteriis, verum etiam in eorum grangiis, seu prædiis, quibus



quibus recreationis causa, vel utilitatis, vel alia quacunquē vadunt, vel morantur. Et respondeo affirmatiuē cum Doctissimo nostro P. Lezana summa. tom. 1. cap. 22. num. 15. & tom. 3. V. *Altare*, vbi addit hoc posse facere Regulares etiam reluctantē Episcopo; eo quod Tridentinum solum concedat Episcopis, ne celebrare permittant, in priuatis domibus, aut extra Ecclesiam; Religiosorum vero grangiarū nō sunt priuatarū domus, seu nō sunt domus personarū priuatarū, aut saecularium, sed communitatū Religiosorum. Et hanc Lezanae sententiam sequuntur Ioan. de la Cruz de frat. Relig. lib. 2. cap. 5. dub. 7. Rodriguez 99. Regul. tom. 2. q. 75. art. 1. & alii.

Sed inquires, an regulares possint Missas celebrare etiam in aliis locis extra oratoria, & grangias, cum Altare portabili? Et respondeo affirmatiuē, nisi ab Episcopis prohibeantur, quando extra Regularium septa celebrarent, nam si hoc faciant intra Monasterium videtur nō posse ab Episcopo prohiberi: vnde posset superior localis facere celebrare in cellis infirmorum, vt Missas queant audire, & sufficeret tunc voluntas seu consensus interpretatiuus Prouincialis. Et cum moniales suorum fruuntur Religiosorum priuilegiis, possent dicta vti facultate. Ita deducitur ex cap. *in his* de priuilegiis, & tradunt communiter omnes. Videatur N. Lezana loco citato.





## QVAESTIO VI:

De iusto Missæ stipendio, & alijs de stipendio  
notabilibus.

**I**ustum Missæ stipendium illud est, quod vel lege Prælati Ecclesiastici, vel loci cōsuetudine taxatum est; quo autem titulo detur maiorem continet difficultatem. In primis certum omnino est, nō dari, vt prætium Missæ; hoc enim simonia esset, grandisque iniquitas. Tum quia, cum Missa infiniti sit valoris, vt supra dicebamus, nullum sibi prætium potest correspondere. Est etiam certum Missæ stipendium non dari solum ex obedientia, quia vt constat ex Apostolo 1. ad Cor. 9. non solum Dominus ordinavit, quod: *qui Euangelium enunciat de Evangelio viuat*, sed etiam innuit hoc esse de iure naturæ, per illa verba: *quis militat suis Stipendijs utinam? &c.* Et Mart. 10. Dominus dicit: *dignus est operarius mercede sua*. Hoc posito.

Prima sententia satis communis, & valde probabilis est, Missæ stipendium dari quidem ex iustitia, ita quod si aliquis faciat sibi Missam celebrare promisso stipendio teneatur illud ex iustitia dare, & hoc non tanquam prætium, sed ob ministri sustentationem. Hanc sententiam post alios sequitur Lugo hic disputat. 21. num. 13.

Nostri sententia sequenti explicatur conclusione. Missæ stipendium non datur pro Missa; non datur pro sustentatione, sed pro obligatione, qua Sacerdos obligat se ad celebrandum. Ita Sanchez tom. 1. consil. lib. 2. cap. 2. dub. 10 num. 6. & alii plures. Quod stipendium nō accipiatur pro missa admittunt omnes. Quod non accipiatur pro ipsa Sacerdotis sustentatione.

Probatur primo. quia ex  
op-



opposita sententia sequitur, quod solum Sacerdos pauper posset eleemosinam, vel stipendium Missæ accipere. Sequitur quod Sacerdos in die Natalis Domini non posset tria recipere stipendia, item quando ex aliis occasionibus pluries Sacerdos in die Missam celebrat, vt quando vnus Parochus duas, vel plures habet Parochias pauperes, &c. Sequitur beneficiarios diuites, non posse pro Missis eleemosinam, vel stipendium accipere, &c. Nam isti sustentatione non egent; ergò.

Respondet Lugo, Sacerdotem diuitem posse stipendium recipere, sicut & pauperem, quia vterque in gratiam alterius confert suam operam ad quam sicut necessarius est panis, vinum, cæra, &c. sic etiam est necessaria persona Sacerdotis sustentata, & vterque potest nolle ex suo dare illa. Ad illud de die Natalis dicit, posse accipi tria stipendia, quia licet non plusumat illa die ad sui sustentationem, quam aliis diebus, atque adeo per vnicum stipendium videatur illis satisfactum, aliunde

tamen, totum quod fit ex illis tribus stipendiis, & aliis, quæ accepit toto anno, non excedit quod requiritur ad victum pro toto anno. Ad tertium respondet vt ad primum.

Sed neutra solutio satisfact: non quidem prima; primò quia licet verum sit, Sacerdotem non teneri conferre suam operam, qua Missam facit; non tamen potest pro ipsa opera stipendium recipere, sicut non potest Sacerdos illud recipere pro ipso eiusdem operæ labore, vt vult auctor ille nu. 12. ergò licet non teneatur Sacerdos sustentare se ipsum in gratiam alterius, seu vt operam pro illo præstet: eo tamé ipso quod operam præstat, & sustentationem gratis præstare debet; alioqui si posset recipere stipendium pro sustentatione, id ipsum facere posset pro opera, l- pro labore illius, quod tamen non admittit ille. Secundo quia indignum certè videtur virum nobilem, diuitem, animo generoso, nobilique præditum, stipendium velle suæ sustentationis, pro breui Missæ celebratione; facilius nobiles, di-



ui telque inducentur, vt stipem accipiant pro obligatione, quæ in homine libero satis extrimatur, quam pro sustentatione.

Neque secunda solutio satisficit, nam omnes supponunt commune stipendium esse ade quatum pro Missa hodierna, & sic de aliis; ergò frustra accipiuntur in die Natalis tria stipendia quorum vnum correspondeat sustentationi illius diei, & alia duo pro sustentatione totius anni; nunquid Petrus, qui sibi celebrare facit illas tres Missas Natalis, debet ob hoc soluere stipendium pro aliqua sustentatione totius anni? certè nec Sacerdotis intentio ad hoc se extendit, nec intentio stipendium largientis; sed vtriusque intentio ad hoc extenditur vt stipendium detur, & accipiatur pro obligatione illa Sacerdotis dicendi tres Missas pro illo, quæ certè non est parua.

Probatum secundo, quia facilius secundum nostram sententiam saluatur quomodo Sacerdos possit stipendium accipere anticipatè; nam secundum nostram sententiam dici-

mus id posse facere, quia ante celebrationem re ipsa obligatur ad missam dicendam, ob idque potest ante ipsam Missam stipendium accipere; at vero in sententia Lugonis absolutè id facere nequit, cum nullus teneatur Sacerdotem sustentare, vel stipem tribuere qua sustentetur, antequam pro illo Missam faciat.

Probatum tertio quia facilius saluamus nos, quare possit Sacerdos agere coram iudice, vt sibi detur stipendium pro Missis, quas quis sibi fecit celebrare; nam ridiculum esset, Sacerdotem diuitem, iudicem interpellare, vt sibi dentur Missarum stipendia, pro sua sustentatione, non vero si interpellat, vt sibi detur, quod sibi fuit promissum pro obligationibus, quibus pro illo se subiecit.

Sed obiicit aliquis in fauorem Luganæ sententiæ, quod si esset vera nostra sententia, sequeretur posse Sacerdotem pro vnica Missa plura recipere stipendia; hoc dici nequit cum sit contra manifestam S. C. declarationem ergò; Maioris sequela probatur ex illa genera-



nerali doctrina quam habet  
 Lessius lib. 2. de iust. cap. 24.  
 dub. 5. num. 28. quod quando  
 quis se obligat ad præstandū  
 aliquid pro alio, potest exige  
 re stipendia etiam ab aliis, si  
 etiam pro illis se obliget, quā  
 do ex tali obligatione nihil  
 damni resultat aliis, sed illa  
 sua obligatio est ita utilis vni,  
 ac pluribus, nec fit minus uti  
 lis primo, ex eo quod etiam  
 pro aliis exhibeatur; quia, quod  
 vna eademque opera æquè  
 possit commodari multis, ac  
 vni, non minus estimatur; nā  
 que opera mea non minoris  
 tibi valet, quia dum tibi im  
 penditur, simul aliter prodest  
 & ita se habet, ac tibi prodest,  
 ac si pro te solo fuisset exhibi  
 ta Vnde si quis proprii nego  
 tii causa deberet Bononiam  
 ire, potest pacisci cum alio,  
 qui eum suo nomine cupit ire,  
 quantum si propria causa itu  
 rus esset. Et sic videmus tan  
 tum exigi pro equo reductiuo  
 Bononiam verbigratia quam  
 pro non reductiuo, quia uter  
 que tibi satisfacit. Cum ergo  
 Missæ sacrificium sit infiniti  
 valoris est omnibus æquè uti  
 le &c.

Respondetur hoc argumen  
 tum ab omnibus solui debere  
 ita enim militat contra nostrā  
 ac contra Lugonis sententiam  
 supposita Missæ infinitate; cū  
 enim hac posita sit Missæ sa  
 crificiū æquè utile vni ac plu  
 ribus, ab omnibus sustentatio  
 nis stipendium exigi poterit.  
 Et sic omnes respondere de  
 bent nullo modo stipendia plu  
 ra exigi posse pro vnica Missa  
 siuè ratione plurium obliga  
 tionum, siue sustentationum,  
 quia id Ecclesia rationabiliter  
 prohibuit, vt ex supradictis li  
 quet.

Sed quæres primo, an sit  
 probabilis illorum sententia,  
 qui dicunt stipendium Missæ  
 accipi pro labore, vel opera  
 Sacerdotis, quæ interuenit in  
 ipso Missæ sacrificio. Et res  
 pondeo affirmatiuè, quod pa  
 tet ex rationibus à nobis su  
 pra allatis, & insuper quia,  
 quis negare potest non posse  
 Sacerdotem vendere illum  
 laborem quem facit in Missa  
 recitanda? si enim vendere  
 potest laborem pro Missa can  
 tanda, pro Missa in loco di  
 stanti recitanda &c. quare eti  
 am non poterit vendi labor ip  
 sius Missæ?  
 Di-



Dices disparem esse rationem, nam labor Missæ cantandæ, vel recitandę in tali distantia &c. est labor extrinsecus, & à Missa separabilis, at vero labor ille qui est in ipsa Missa recitanda est illi intrinsecus, & inseparabilis, & subinde inuendibilis.

Nam contra est, quia aliud est Missam non posse recitari, vel esse non posse sine illo labore, seu non posse ab illo separari, & aliud est, illum laborem non esse secundum rem materialem, & vendibilem. Primum est verum, secundum falsum; nam etiam in aliis rebus multis, spirituale, & materiale, seu temporale, sunt in separabilia, & tamen vnum venditur non aliud, vt quando venditur Agnus benedictus, Calix consecratus

&c. non enim dari potest consecratio, vel benedictio sine illis materiis, & tamen materia venditur non benedictio, vel consecratio,

Quæres secundo an sit probabilis illorum sententia, qui dicunt Missæ stipendium dari non titulo iustitiæ, sed religionis in quantum quod virtus religionis obligationem inducat in fidelibus sustentandi illos, qui altari deseruiunt. Et respondeo affirmatiuè, colligitur satis clarè ex citatis Christi Domini, & Apostoli testimoniis. & ex communi modo dicendi fidelium; nam non vocant Missæ stipendium, ius aliquod iustitiæ, sed elemosinam; nec Sacerdotes petunt stipendium vt ius iustitiæ, sed vt elemosinam.





**QVAESTIO VII.**

*Aliquot difficultates de Stipendio resoluntur, &  
aliae connexae.*

**A**Nte Urbani VIII. decretum de celebratione Missarum plures erant sententiae probabiles circa quantitatem stipendii, quae modo tales non sunt. ut quod Sacerdos vnica Missa posset pluribus stipendium dantibus satisfacere, quando illa stipendia erant exigua, & sic tot poterat Sacerdos pro vnica Missa stipendia accipere, quot erant sufficientia ad vnum integrandum, secundum vel legem taxantem, vel consuetudinem. Erat etiam aliquorum sententia quod Sacerdos poterat tot stipendia accipere, quot erant sufficientia non solum pro congrua ipsius Sacerdotis sustentatione, verum etiam suorum, imo pro libris sibi necessariis emendis. Alii volebant posse Sacerdotem elemosinam quam ipse pro missis celebrandis acceperat, aliis

tribuere retenta sibi eiusdem parte; quod modo fieri non potest, nisi ut testatur Lugo disput. 21. num. 21. num. 32. ex libera recipientis condonatione. Item aliquae religiones priuilegia habebant diuersa, satisfaciendi pro pluribus stipendiis, ut diuersis collectis, imo, & per reductionem; quae omnia modo sunt reuocata; restant tamen aliquae difficultates examinandae de quibus diuersae sunt scribentium sententiae adhuc post S.C. decretum.

Prima difficultas est, an Sacerdos possit duobus stipendiis satisfacere applicando vni portionem illam, quae communiter aliis solet applicari, quam diximus supra correspondere Christo Domino principali offerenti; Et alteri propriam portionem, de qua diximus supra posse aliis applicari.



cari. Affirmant plures apud Dianam de celebrat. Miss. resol. 14. & p. 10. tract. 12. resol. 21. Verius tamen negandum est, cum eodem Diana locis citatis, quia S. C. absolute id vetat. Sed petes an saltem possit Sacerdos duplex accipere stipendium pro missis festiuis: affirmant plures apud Dianam de celeb. Miss. resol. 5. & ita fuit decifum à Pænitentiaria Mediola. Sed obstat supradictum Congregationis decretum. Potest tamen maius accipi stipendium pro Missa cantata, quia illud non solum datur pro Sacerdote, verum etiam pro in Choro cantantibus, tanto maius peti potest stipendium, quanto plures sunt cantantes vt ex se liquet. Similiter non potest Sacerdos accipere duplex stipendium applicando vni partem solitam, & alteri indulgentiam, verbigratia, V. Sanctorum, vel Altaris priuilegiati, licet de hoc plures valde dubitent, quando Missa pro defunctis celebratur, sed à cõmuni opinione non est recedendū. Secunda difficultas, an Sacerdos possit plura accipere

stipendia pro missis quibus nõ nisi post longum tempus potest satisfacere. Procedit difficultas quando non adest stipendium dantis, consensus. Et dico quod non, id enim, & ratio dicitur naturalis, & S. C. decretum præcipit: quantum autem possit Missæ celebratio differri, dependet ex intellectu illius particulæ *modicum tempus*, in S. C. declaratione positum. Nam Thesaurus in praxi par. 2. V. missarum onera ca. 1. putat *ly modicum tempus*, non extendi vltra octo, vel decem dies, quod mihi rationabile videtur, quãdo Missa petitur pro aliqua instanti necessitate; quo in casu Pellizza. Manu. tom. 1. tractat. 5. cap. 9. sect. 3. num. 72. putat extēdi posse ad 15. vel 20. dies Sed proh miseria seculi nostri in laxandis habenis in morali materia: audiat lector quid dicat de hac re Peyrinus super Vibani VIII. constitutionem. *Per modicum tempus*, inquit, *intelligo spatium trium annorum, quo spatium terminantur officia vt plurimum Regularium: cum enim hæc decreta sint odiosa, attenda præsertim*  
men;



*mendicantium paupertate debent ita interpretari, ut minus ladant, quam fieri potest; & cum quod sit modicum tempus sit arbitrarium, ut docent Tuscus lit. T. concl. 37: numer. 12. Menochius de arbitrar. lib. 2. cas. 31. num. 5. ideo per modicum tempus hic intelligo spatium trium annorum. Hæc ille sed quis non videat nimiam huius sententiæ laxitatem, & certè si ly modicum tempus est arbitrarium cum accipiat aliquando pro spatio triū annorum, aliquando pro 10. aliquando etiam pro 20, & amplius apud Ciuilitas, præsertim in materia præscriptionis, si Peyrinus determinat spatium trium annorum, quod est tempus Usucapionis, alter restringet ad spatium 10. annorum; alter ad 20. & alter nihil faciet. Afferamus ergò sententiam rationabilem per se loquendo, quod nimirum in materia præsentis, extendatur ly *modicum tempus*, ad spatium duorum mensium, ita post alios noster Lezzana tom. 4. V. Missa num. 93. quã sententiam approbat etiam Lugo hic. nu. 34. & alii communiter.*

Tertia difficultas, an Sacerdos qui accepit stipendium pro dicenda tali. vel tali Missa, cum talibus, & talibus orationibus satisfaciatur dicendo aliam quamcunque, præsertim currentem. Et respondeo affirmatiuè cum multis, quos refert, & sequitur Diana de celebrat. Miss. resol. 31. præsertim, si dicatur Missa secundum Missalis præscriptum & ratio à priori desumitur ex dictis à nobis supra, quod Sacerdos non tenetur applicare illi, qui stipendium dedit, nisi illam Missæ portionem, quæ ex opere operato correspondet, in actione sacrificatiuæ, Christo Domino.

Sed quæres, an idem dicendum sit quando Sacerdos verbigratia secularis accepit stipendium pro dicenda missa Sanctissimæ Rosarii, vel Beatæ Mariæ Virginis de monte Carmelo. Et dico posse dicere loco harum missarum, Missam ad Niues, vel Natiuitatis Beatæ Virginis, vel etiam aliam quamcunque: an autem hæc Missæ possint à quocunq; recitari extra horum Ecclesias communiter negatur, an vero



in propriis Ecclesiis partem affirmatiuam vidi obseruari quantum ad Missam Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo de quo aliqui volunt esse S. C. decretum talem indulgētem recitationē, quod non vidi; non tamen hoc currit de Beatorum Missis, speciatim regularibus ipsis concessis; licet de hoc aliqui dubitent, cum fauores sint ampliandi ex cap. olim. de verb. signific. L. *benef* ff. de constitut. L. *hoc modo* ff. de condit. & L. *cum quidam* ff. de lib. & post. vbi Gl. & scribentes, sed non est recedendum à communi sententia.

Quarta difficultas est, an qui ex fondatione, vel alio titulo debet in aliqua Ecclesia, vel capella celebrare, satisfaciatur, si alio quoquo loco celebret. Respondetur peccare alibi celebrantem si id frequenter faciat, quando testator talem Ecclesiam, vel cappellam determinauit ob peculiarem illius cultum, vel ob populi commodum, vel ob suę familię memoriam, quod solet contingere in particularium Cappellis. Secus si ad hoc

testator non aspexit, tunc testatoris intentio non transgredatur, nisi materialiter. Adde facilius excusari talem Cappellanum, quando Cappella in Ecclesia regularium posita, per eisdem regularium Sacerdotes frequenter Missatur. Eodem modo respondetur quando Cappellanus habet obligationem celebrandi certis quibusdam diebus vt feria 2. 4. & 6. an possit aliis diebus latifacere. Similiter anticipare, vel postponere talium Missarum celebrationem, nam est eadem ac præcedentis difficultatis ratio, præterquam, quoad rationē positionis; quæ non ita facile fienda est, sicut fieri potest anticipatio.

Sed petes primo, an quando Ecclesia est violata teneatur Cappellanus alibi pro fundatore Cappellanię celebrare; Et respondeo affirmatiuè, si id comodè fieri potest, secus non vt si cogeret ad aliam Ecclesiam distantem pergere pro celebratione faciendâ.

Petes secundo, an Cappellanus teneatur. Missas supplere quando est infirmus. Et respon-



respondeo negatiuè dummodo infirmitas duorum mensurum spatium non excedat, ita Lugo, post Dianam, & alios hic, num. 48.

Petes tertio, an possit Capellanus, qui habet obligationem celebrandi quotidie relinquere vnam, vel alteram Missam in hebdomada, causa honestatis. Affirmatiuè respondet Nauar. to. 1. consil. lib. 3. de præben. consil. 6. num. 5. sed Naldus summa V. Missa num. 6. illam non admittit tanquam nimis laxam, admittit tamen id posse facere Capellanum ex aliqua urgente necessitate, quæer, vel sexies per annum, etiam celebrando pro se, vel pro sibi coniuncto. Alij distinguunt, & dicunt attendi debere ad modum institutionis, nam si dicatur eligatur Capellanus, qui quotidie celebret, tunc posse honestatis causa aliquam Missam relinquere, secus si dicatur eligatur qui quotidie, vel per se, vel per alium celebret, vel dicatur Missa quotidie, in tali Ecclesia, vel Capella. Bononiæ est vsus quod Capellanus singulis hebdomadibus acci-

pit exemptionem, & alibi celebrat, accepto etiam stipendio, quod alibi non obseruauit.

Quinta difficultas, an Sacerdos qui accepit stipendium pro celebranda Missa in Altari priuilegiato, possit sine peccato alibi celebrare, applicando indulgentiam alicuius Medagliæ. In primis concedunt communiter Theologi, quod Sacerdos, qui talem suscepit obligationem, teneri illam seruare, ex debito fidelitatis, non iustitiæ, cum non priuè, verbigratia, testatorum sacrificii fructu, qui solet communiter applicari, nec tenetur ad eleemosinæ restitutionem alibi celebrando, nisi forte ob id data fuisset maior eleemosina. Hoc posito dico affirmatiuè, & ratio est, quia tunc licet non adimpleat mentem testatoris materialiter, adimplet tamen formaliter, cū applicet eiusdem rationis indulgentiam.

Sed hic inquireret aliquis, an indulgentia, seu priuilegium Altarium priuilegiatorum, quam concessit Paulus V. & Gregorius XV. nostris Eccle-



fiis, extendatur ad Ecclesias quæ post tale indultum fuerunt ædificatæ. Et respondeo affirmatiuè. Primò quia si est probabilis sententia Rodriquez compen. 99. regul. resol. 116. num. 52. quod fiat communicatio indulgentiarum ab vna Religione ad aliam, à fortiori fiet intra eandem Religionem. Secundo quia ex generali concessione veniunt ea quæ quis esset concessurus, si fuisset de eo interpellatus; atqui Pontifices illi cum summo pere nostram diligerent Religionem id certè præstassent, si interpellati fuissent; ergò. Tertio quia dato non esse probabile, quod gratia per speciale breue concessa vni domui regulari, ad alias domos non extendatur, quod tamen plures negant dicentes non solum extendi ad alias eiusdem Religionis domos, verum etiam subinde ad alias Religiones communicantes, vt tenet Marchinus tom. 2. tract. 2. p. 2. tit. 4. quæst. 2. resol. 5. Garzias tract. 3. diffic. 10. dub. 4. num. 22. & alii, est tamen valde probabile quod gratia concessa toti

Religioni extendatur postea ad particulares domos, quæ paulatim ædificantur, vt omnes tradunt; ergò cum priuilegium Altaris, fuerit ab illis Pontificibus toti Religioni concessum, etiam ad alias domos quæ postea fuerunt ædificatæ transibit. Videatur Diana, p. 6. tract. 6. resol. 11. vbi priuilegium reductionis Missarum vnius domus ad alias extendit.

Sexta difficultas, an stipendium pro Missa perpetua relictum, possit in bonis Monasterii inuestiri. Dixi stipendium pro Missa perpetua, quia de hoc solum extat obligatio ex S. C: Decreto, illud implicandi; non sic stipendium pro Missa celebranda ad tale tempus. Ad difficultatem propositam affirmatiuè respondet Peyrinus in formulatio littera A. cap. 11. num. 2. Cum enim Decretum dicat pecuniam pro Missis perpetuis relictam debere inuestiri in bonis fructiferis, & non dicat debere, hæc bona esse nouiter acquisita, sequi videtur posse talem pecuniam inuestiri supra hortum, vel vineam, vel domum,



ex qua Monasterium fructum percipit. Magis audeo Peyrinus posse etiam in aliquo casu talem pecuniam non inuestiri, ut pro ædificatione domus in usum, & commodum ipsius Ecclesiæ, pro restauratione eiusdem Ecclesiæ, & domus, quando minaretur ruinam, pro extinctione alicuius census, quod etiam docet Bordonus tom. 1. ref. 25. num. 34. panes Tamburinum opus. de Sacrificio Missæ. lib. 3. cap. 1. §. 6. num. 14.

Sed verius videtur, neutrum posse fieri: non primum; quia cum S. C. Decretum pecuniæ requirat implicationem, & hæc afferre videatur nouorum fructuum acquisitionem ex re frugifera nouiter acquisita, sequi videtur, non posse talem pecuniam in bonis frugiferis Monasterii implicari. Non secundum, quia in tali decreto decernitur pecuniam datam pro oneribus perpetuis Missarum inuestiendam esse in bonis immobilibus frugiferis, sequitur non posse dissipari in domus ædificatione, in Ecclesiæ reparatione, &c. si tamen periculum esset in

mora posset id fieri, & deinde aliis subrogatis pecuniis Congregat. Decretum obseruare, hæc enim videtur benigna S. C. intentio.

Septima difficultas est, an quando in Cappellaniis præsertim antiquis non constat an Sacerdos teneatur Missam applicare, an vero solum Missam celebrare, teneatur Cappellanus, & celebrare; & Missæ valorem applicare. Negat Marchinus tract. 2. part. 2. c. 24. n. 5. alii affirmant ut Bonacina de Sacram. disp. 4. q. ult. punt. 7. §. 2. nu. 13. Ghilinus V. Missa nu. 22. & alii. Mihi videtur distinctione utendum: Nam si loquamur de Cappellaniis antiquis de quibus scripturæ de sola celebratione loquuntur, facile Marchini sententia admitti potest; secus quando nulla reperitur scriptura. Tunc enim temporis præsumitur, mentem institutoris fuisse, ad vtrumque Cappellani obligare voluisse, licet scriptura temporis iniuria amissa sit; at vero quando scriptura extat, & nullam, de valoris Missæ applicatione, mentionem facit, videtur præsumi posse,



posse, testatoris mentem fuisse solum vel Ecclesiæ cultum, prætendisse, vel Populi commoditatem. Hanc doctrinam facilius, & probabilius admitterem, si ageretur de obligatione celebrandi in aliqua Ecclesia, sine Cappellæ determinatione, nam tunc videtur talis obligatio, nisi de opposito constet, solum esse, ne Ecclesia perpetuo maneat clausa, sed frequentetur, colatur reuereatur, & Populus audiendi sacri, commoditatem habeat.

Vltima difficultas de qua pluries interrogatus fui, an sit melius per se loquendo dare 10. scuta pro vna Missa, an pro 100. ita quod ampliolem effectum causet vna Missa pro qua data fuerunt 10. scuta, quam 100. Et respondi affir-

matiue; & ratio est ex Sancto Doctore, & Caietano quæst. 79. art. 5. quia Missæ sacrificium suum causat effectum ad mensuram dispositionis; atqui ille, qui cum tanta liberalitate dat 10. scuta pro vna Missa, censetur magis dispositus, quam sit ille, qui vult pro 10. scutis, 100. Missas, & si posset illas habere gratis, id faceret, sequitur, quod per se loquendo, sit melius date 10. scuta pro vna Missa, quam pro 100. Vnde dicebam, Christum Dominum habere in suo Thesauro, nostro modo loquendi, diuersa Missarum genera, liberalibus, & magis dispositis applicat Missam vt ita dicam maiorem, illiberalibus vero minorem, nempe secundum minorem illorum dispositionem.





## QV AESTIO VIII.

*De præcepto audiendi Missam, ubi plures,  
& curiosa difficultates  
resoluntur.*

**C**onueniunt Catholici esse præceptum Ecclesiasticum in Diuino iure fundatum audiendi Missam in diebus Dominicis, & Festis, omnes sub mortali obligans, qui ad annos discretionis peruenerunt, dummodo baptizati sint, & vsum habeant rationis, per quod paruuli, amentes, & catechumeni excluduntur. Est hoc præceptum Ecclesiasticum, vt habetur in cap. *quid die*. & cap. *Missas*, de consecratis dist. 1. & cap. *omnes fideles* dist. eadem. Est præceptum fundatum in iure Diuino, supposita huius sacrificii institutione, & obligatione colendi Deum, cultu aliquo visibili. Et ratio potissima est, quia huiusmodi canones, nouam non videntur inducere præcepti formam seu Diuinam determinare,

quæ includitur in illo præcepto Sabata sanctifices, Sabatum namque sanctificare, est Diuinis vacare officiis, quod Ecclesia de Missa audienda, consulto est interpretata. Tū quia cum Missa sit sacrificium, præceptum habere videtur annexum, vt audiatur à populo, qui suo ordine, & gradu sacrificare tenetur. Hoc posito aliquæ difficultates sunt proponendæ, & dissoluendæ.

Prima difficultas est, quam & quantam Missam audire debeamus. Et dico ad primum, sufficere quamlibet Missam audire, siue in Parochia siue extra, licet optimum consilium sit Parochianos festis præsertim diebus, in propria Parochia Missam audire, quia sic facilius à proprio instruantur Parochos, de Festis, ieiun-

niis,



niis, &c. Ad secundum dico obligationem esse audiendi integram Missam, ut constat ex iuribus supra allegatis.

Sed petes primo; quænam sit pars notabilis, qua relicta Missæ audiendæ obligationi non satisfacit: & respondeo cum Nugno, Azorio, Navar. & aliis quos refert, & sequitur Bonacina de Missæ sacrificio disput. 4. quæst. ult. punct. 11 num. 17. non esse partem notabilem si quis relinquat à Missæ principio usque ad Euāgelium inclusivè. Similiter si quis totam Missæ recitationē audiret non tamen consecrationi adesset adhuc satisfaceret, quia licet illa pars sit gravissima, per aliarum partium auditionem compensaretur; secus esset, si abesset à consecratione, usque ad communionem inclusivè.

Petes secundo, an qui non potest Missam integram audire teneatur ad partem: aliqui negant, & aliqui affirmant apud Dianam tom. 2. tract. 6. resol. 69. Lugo dicit quod qui non potest adesse consecrationi, non tenetur adesse ceteris Missæ partibus, eo quod

putet sacrificii essentiam in consecratione consistere; nos autem qui probabilius existimamus, sacrificii essentiam in sola communionem consistere, & consecrationem esse solum victimæ adductionem, oppositum putamus; unde ob hoc Missa in die Veneris Sancti, si in die cadat Annunciationis, per se loquendo est audienda, ut Nugnus, & alii docent, & tamen nulla est ibi consecratio sed sola victimæ consumptio, ut patet.

Secunda difficultas, an possit quis, satisfaciendo præcepto Missæ audiendæ, audire ab vno Sacerdote Missam à principio usque ad consecrationem, & ab alio à consecratione usque ad finem, & è contra affirmat Diana cū pluribus p. 1. tr. 17. res. 18. nō solum successivè, verum etiam simul, & p. 5. tract. 14. res. 52. & est ferè sententiæ communis & ratio est, quia Missæ partiū ordo inter se se ad præcepti substantiam nō pertinet, sicut in divino officio est videre, nā si quis Laudes ante matutinū recitet satisfacit; item si completorium ante vespèras &c.



ob hanc rationē Faustus apud eundem auctorem putat satis facere præcepto, si quis simul Missam secundum diuerſas partes à tribus audiat celebrātib. Sed nullum horum admittit Lugo hic disp. 22. nu. 8. quia ex illis Missæ partibus vnum non integratur sacrificiū, cum sacrificii vnitas ab vno desumi debeat sacrificante; quod probat, quia sicut non est vnum sacrificium, si hodie Sacerdos consecret panem, & cras vinum, ita neque duarum Missarum partes, vnum non integrant sacrificium. Similiter si hodie Sacerdos post consecrationem panis, ab altare recederet, & post mortalem interruptionem ad sanguinis consecrationem rediret; vnum non faceret sacrificium. Deinde quia, si quis posset satisfacere Ecclesiæ præcepto audiendo Missam à duobus, posset etiam à tribus, à quatuor, à sex, à decem; & cū non sit maior ratio de hoc præcepto quam de præcepto recitandi diuinum officium; posset quis à tribus sociis tres lectiones audire, vel à 9: omnes simul, quod tamen non dicitur.

Quid ego sentiam expono: licet putem semper hanc Lugonis sententiam esse suadendam, & oppositam non posse sine rationabili causa practica ri, puto tamen quod si quis vellet ad praxim primam sententiam deducere, etiam sine rationabili causa, præcepto satisfaceret, non solum ob principia extrinseca, vt concedit Lugo, sed etiam per principia intrinseca, vt patet ex ratione dicta, & ex solutionibus argumentorum. Nam licet verum sit duas illas Missæ partes vnum non integrare sacrificium physicè loquendo, integrant tamen moraliter in ordine ad præceptum morale, vnde diuersa est ratio Sacerdotis, & audientis, quod Sacerdos teneatur integrū ponere sacrificiū absolutè audiēs autem, solū in ordine ad Deum cultum, quem ponit audiens etiam si à pluribus Missam audiat. Adde quod dato, quod ille Missæ partes vnum, nullo modo, integrarent sacrificium adhuc audiens illas, Ecclesiæ præcepto satisfaceret: cū enim Ecclesia in audiente non requirat, nisi Deum cultum, per



diuini officii auditionem, seu per auditionem rei diuinæ, & iste hoc exequatur, sequitur talem audientē Ecclesiæ intē-  
tioni, & præcepto satisfacere. Adde magis, quod cum sacrificii essentia in sola victimæ consumptione consistat, connotando consecrationem, tãquam actionem victimæ addu-  
ctiuam, sequitur Missæ cetera solum per accidens, vel ad sũ-  
mum ex integritate ad Missæ sacrificium pertinere, & sub-  
inde non ita rigidè ab Eccle-  
sia præscribi, & ob id Ecclesi-  
am contentari, quod à fide-  
libus Missa, & partes eius au-  
diantur, licet non ab eodem  
sacrificante.

Tertia difficultas, an si fe-  
stum Annunciationis in Sa-  
bato Sancto incidat debeant  
plures Missæ celebrari, ad hoc  
vt populus præceptum Missæ  
audiendæ facilius impleat. Dia-  
na de celebratione Missarum  
resolut. 2. 1. vtramque partem  
probabilem vocat, & ita vidi  
vtrumque obseruari. Optimũ  
consilium tunc temporis esset  
Episcopum, quid agendum,  
determinare, vt sic omnes cõ-  
ueniant vel in celebrando, vel

in, à celebratione, cessando.

Idem dicendum aliquibus  
videtur si illud, festum in die  
Iouis sancti contingeret, quod  
alii probabilius negant, cum  
tunc soleant Sacerdotes, de  
manu celebrantis communica-  
re. In die autem Veneris nul-  
lo modo id licet. Quænam  
autem Missa tunc temporis di-  
cenda esset, notant Gauantus  
& alii esse eo tempore curren-  
tem.

Quarta difficultas, quænam  
causæ excusent eos qui in di-  
ebus præcepti Missam non a-  
udiunt. Respondetur multas  
esse, quæ ad sequentes redu-  
ci possunt. Prima est impo-  
tentia corporalis, vt dum quis  
propter ægritudinem ad Ec-  
clesiam se conferre nequit, ad  
quam reducitur grauis diffi-  
cultas etiam in sano, se ad Ec-  
clesiam conferendi, vt nimia  
distantia.

Difficultas est quænam cen-  
seatur nimia distantia. Dico  
primò regulam certã assignari  
non posse, sed debere attendi  
circumstantias loci, seu viæ, an  
facilis, vel aspera sit; tempo-  
ris, an serenum, vel pluuiosum  
& personæ, an delicata, vel  
fortis



fortis, vnde ea distantia, quæ est leuis respectu vnus, grauis censetur respectu alterius. Dico secundo quod præscindendo ab omnibus circumstantiis, distantia trium Milliarium est sufficiens ad excusandum à Missæ audirione, tria namque miliaria ad eundem, & tria ad redeundum res grauis videtur. Alii volunt sufficere vnum milliare, Marchinus, & Otiz apud Dianam part. 10. tract. 15. resol. 35. sed nimis laxè loquuntur; sufficeret tamen hoc in debilibus, & mulieribus delicatis, secus in rusticis.

Secunda causa excusans est impotentia moralis, vt cū quis Missam audire nequit sine grauis iacturæ periculo, vt vite, boni temporalis, &c. quæ ratione excusantur qui graues habent inimicitias. Tertia causa est impotentia spiritualis, vt si quis sit excommunicatus, vel interdictus; an autem peccent isti contra hoc præceptum si non curant ab-

solutionem; dico quod non, cum hoc præceptum non obliget, vt habiles ad sui obseruantiam homines reddantur, sicut nec alia præcepta, sed illos, qui sunt habiles, ligat.

Quarta causa est obedientia, vt dum famulus Missam audire nequit, & simul, quod sibi ab hero committitur, exequi; dummodo tamen herus id in præcepti contemptum non faciat. Quinta causa est Ecclesiæ recepta, & approbata consuetudo, vt dum mulier diebus aliquot à partu, domi manet, vel etiam, vt in aliquibus locis est in vsu, tempore luctus. Sexta est Caritas, vt dum quis sacrum omittit, vt ægrotato deseruiat. Idem de matræ, & nutrice dicitur, si non potest infantulum domi relinquere, sine aliquo ipsius periculo, & si deferatur, clamoribus, & celebrantem, & alios adstantes perturbat, tūc enim melius est domi manere quam alios inquietare.



## QVAESTIO IX.

*Resoluantur aliquæ difficultates de præsentia,  
intentione, & attentione requisita,  
ad Missæ auditionem.*

**A**D hoc ut quis præcepto Missæ audiendæ satisfaciat requiritur ex parte corporis præsentia humana, quæ non consistit in hoc, quod Missa visu, percipiatur, cum possit sufficienter haberi absq; eo quod videatur, alioqui cæcus Missæ assistens, præcepto non satisfaceret, nec requiritur quod audiatur, alioqui surdus non satisfaceret; sed requiritur, & sufficit assistentia corporalis, & moralis, quæ quis corporaliter, & humano modo assistat, quod fit sufficienter, cum Missæ adest, vel audiendo, vel videndo celebrantem, vel etiam ita comitando, seu sociando alios videntes, vel audientes, quamuis sit extra Ecclesiam, ut contingit quando locus in quo res divina peragitur, multitudinem

non capit audientem, ita tamen, ut ex signis, vel gestibus aliqua Missæ colligere queat, & ad multitudinem assistentem moraliter pertinere censeatur, quod ut magis capiatur difficultates aliquas proponemus.

Prima difficultas est, an præcepto satisfaciat qui audit Missam à fenestra suæ, vel alterius domus, quando celebratur in Ecclesia, è regione existente. Negat Filliucius, & alii apud Dianam 4. p. tract. 4. resol. 154. Affirmat Lugo hic num. 21. & alii dummodo, inquit inter Ecclesiam, & fenestram magna non intercedat platea, quanta autem debeat esse ista distantia, nec Lugo, nec alii determinant in particulari, solum dicit Lugo quod si quis audi-



ret Missam à fenestra Collegii dum celebratur in Sacello quod è regione distat per triginta passus præcepto satisfaceret. Ego quid sentiam promo: In primis dico non debere hanc doctrinam regulari cum illa, qua determinatur præsentia ad consecrandū, nam certum est illam esse magis restrictam, cum non sit quæcunque præsentia moralis, sed talis, qua verificentur illa pronomina *Hoc*, & *Hic*. Vnde si ad hanc verificandam requiritur, quod distantia 30. vel 40. passus non excedatur, hic excedi poterit. Dico deinde, facilius satisfacere illum qui simul cum alia multitudine Missam audiente vnitur etiam si magis distet, quam si solus distet, sicut alibi diximus illa pronomina *Hoc*, & *Hic*, magis extendi quando materia continuatur, vel contiguatur, ac quando solitariè ponitur. Vnde ad rem dico, si quis vniatur cum maxima multitudine, quæ Missam audit etiam si magna intercedat platea satisfacet, sicut fit in campis quando exercitus Missam audit, vbi aliqui serè per

milliare distant, & tamen putant satisfacere præcepto Missæ audiendæ; secus esset, si solus esset. Et sic dicunt aliqui, quod si quis in Magna D. Petri Basilica, cum alia multitudine coniungeretur, quæ Missam in aliqua Capella audit, etiam si non videat quid Sacerdos agat, cum sit post aliquam columnam, præcepto satisfaceret.

Secunda difficultas, an ille qui Missæ tempore sua confitetur peccata, sit humano modo præsens, ita quod præcepto Missæ audiendæ satisfaciat Negat Lugo num. 22. Affirmat Diana p. 10. tract. 14. res. fol. 45. post Lessum, Pellizzarium, Reginaldum, & Leandrum; quæ sententia probabilis mihi videtur. Primò quando illi qui confitentur vix alio tempore confiteri possunt, vt sunt famuli, & alii negotiis grauati, tunc enim per Epichiam possunt benignam Ecclesiæ intentionem purare esse, vt tunc tali modo sacro intersint. Secundo ob notabile lucrum spirituale; si enim ob notabile lucrum temporale dicitur non teneri, ver-



bigratia, mercatorem, missam audire, multo magis poterit eo modo audiri, cum tali lucro spirituali confessionis. Tertio quia sic confitens potest habere aliquam saltem confusam attentionem ad sacrum qua aduertit sacrificium offerri. Quarto quia sicut abstinencia ab opere seruili in die festo, non prohibet opera necessitatis, & etiam recreationis; sic nec præceptum audiendæ Missæ, exercitium prohibet confessionis. Quinto quia si satisfacit præcepto Missæ, qui Diuinum tunc temporis recitat officium, ita & qui confitetur, cum possit tantum attendere confitens, quantum attendit recitans.

Tertia difficultas, an audientes Missam Natiuitatis D. in Vesperis Vigilæ illius festi, quæ canitur a Primicerio Magni templi Sancti Marci Venetiarum, præcepto satisfaciant audiendi Missam in die Natiuitatis. P. Pasqualigus in dec. moral. dec. 3 i 1. partem tenet negatiuam.

Sed immerito, nam opposita affirmatiua est verior; & communior, quam post dica-

stillium, Leandrum, & alios tenet Diana part. 10. tract. 14. resol. 35. & ratio est, quia eo ipso quod Summus Pontifex dispensauit quod illius Ecclesiæ Primicerius eo tempore celebret, censetur etiam dispensasse, quod audientes, Ecclesiæ præcepto satisfaciant; est enim Missa illa Missa Natiuitatis; accessorium namque sequitur principale, & qui dat formam dat (vt dicitur) consequentia ad formam. Tum quia talis est piorum illius inclytè ciuitatis intellectus, qui non facile est condemnandus.

Quarta difficultas, an Missæ præcepto satisfaciat, qui aliquando recedit à sacrificio vt faciunt, qui illi deseruiunt; vt cum recedunt causa accipiendi hostiam, vinum, thus, & huius generis cetera. Et affirmatiuè respondeo; & ratio est, quia non censetur moraliter Missam interrompere, & notabiliter à sacrificio recedere, qui ob ipsius sacrificii, vel sacrificantis necessitatem vel vtilitatem, pro breui tempore recedit, quod idem dicunt, si occasio esset receden-

di



di tempore communionis, vel consecrationis; cum minister cum ipso sacrificante, in numero ponere non videatur, cū illi cooperetur, & hoc verum est: siue ministerium in Ecclesia præstetur, siue extra, vt cum thuriferarius ad ignem accedit, vt ignem accipiat, &c.

Ultra præsentiam requiritur postea intentio audiendi sacrum, nam si quis maneret in Ecclesia causa expectandi præcise amicum, vel audiendi concionem, vel musicam, quo tempore Missa celebratur, Missam humano modo non audit; requiritur ergò ad Missam audiendam talis intentio in audiente, qua aliquo modo censeatur cum Sacerdote sacrificare, an autem hæc debeat esse actualis, vel sufficiat virtualis, vel interpretatiua, ex dictis habes de Sacramentis in Genere disp. 7. quæst. 8. Ex quibus duo inferuntur. Primum est huic præcepto satisfacere, qui Missam audit ex fine turpi, verbigratia videndi faminam, nam cum illa priori intentione, hæc posteriori stare potest, Item si quis

ex metu Patris, vel Magistri Missam audiat, quia metus non tollit voluntarium simpliciter, sed secundum quid. Secundum est, illum, Missæ præcepto satisfacere; qui ignorans esse diem festum, Missam audit; vnde si postea cognoscat esse diem festum, non tenetur aliam Missam audire. Similiter ille præcepto Missæ satisfacit, qui Missam audit, animo non satisfaciendi, vel quia aliam vult audire, vel quia absolute talem habet animum: ratio communis est, quia Ecclesia præcipit vt opus præscriptum ponatur humano modo, non vt ponatur animus, vnde bene aduertit Lugo numer. 24. ex Sanchez, contra Suarez, illum qui talem habuit animum non satisfaciendi, non teneri postea animum mutare, quo satisfacere velit; quia talis animi mutatio non requiritur vt præcepto satisfiat, cum iam opus præscriptum sit positum, neque ad hoc vt ille non peccet per affectum violendi præceptum, quia affectus violendi præceptum præcise humanum non violat illud, sed solum violatur per



non positionem operis præscripti; & in tantum affectus ille est malus, in quantum est ratio violandi præcepti, quod tunc non contingit, quando quis iam opus præscriptum posuit. Hoc tamen per se intelligitur, non ratione conscientie erroneæ, ratione cuius peccare potest, vt ex se liquet.

Requiritur vltimo ad Missæ præceptum implendum audientis attentio, intentio nãque est actus voluntatis, attentio vero rationis seu intellectus. Conueniunt omnes aliquam requiri attentionem, dubitatur de qualitate illius: pro quo nota attentionem duplicem esse, internam vnã; externam alteram, hæc in negatione alicuius incompossibilis consistit, vt si quis Missæ tempore dormiat, scribat, legat quæstiones speculatiuas, historias, secus si diuinum officium, & libros spirituales, vel recitet coranam &c. similiter si quis Missæ tempore ludat, notabiliter confabuletur, secus si leuiter, cum possit cum hoc externam habere ad Missam attentionem. Et hanc externam attentionem

omnes requirunt, alioqui audiens, humano modo, Missæ nõ diceretur assistere. Attentio interna, in interna mentis ad Missam applicatione, consistit: & est triplex: infima ad verba, media ad sensum; & optima, ad Deum, & res diuinas contemplandas. Et de hac attentione interna difficultatur an requiratur ad Missæ præceptum implendum. De qua re sunt duæ sententiæ probabiles, vt videre est apud Dianam de horis canonicis resolut. 2. Apud Lugum hic num. 27. prima affirmat aliquam requiri internam attentionem, siue ad verba, siue ad sensum, siue ad Deum, & si oppositum ex animo fiat, præcepto non satisfiat. Et hæc sententia semper est suadenda iuxta illud: *si cor non orat, in vanum lingua laborat*. Tum quia Missæ auditio est cultus Deo exhibitus, ad quem, tum Corporis, tum animi actus conueniunt.

Secunda sententia negat, quam sequitur post alios multos ipse Lugoi potissimum huius sententiæ fundamentum est; quia cum sit eodem ratio

Missæ



Missæ audiendæ, & recitandi  
 Diuinum officium, & hoc pos-  
 sit sine tali attentione recita-  
 ri, sequitur quod etiam Mis-  
 sa poterit sine tali attentio-  
 ne audiri. Quod autem Di-  
 uinum officium possit (præce-  
 pro satisfaciendo) sine atten-  
 tione interna recitari, pro-  
 bant, quia cum talis recitatio  
 sit oratio, & orationis assen-  
 tia saluari possit sine atten-  
 tione, vt patet de Sacerdote  
 conferente extremæ vnctio-  
 nis Sacramentum, cum volun-  
 taria distractione, qui verè  
 orat, cum illius Sacramenti  
 forma sit oratio deprecato-  
 ria; ergò &c. Sed quia huius,

& aliarum huius auctoris ra-  
 tionum examen, pertinet ad  
 tractatum de horis Canonicis,  
 quem, dum agemus de Reli-  
 gione, si vita erit comes, da-  
 bimus, ideo modo sistimus.  
 Et hæc de hoc tractatu, ac  
 parte, ad laudem Omnipoten-  
 tis Dei, Beatissimæ Virginis  
 Mariæ. Parentum nostrorum  
 Prophetarum Eliæ, & Elisei.  
 S. Matris nostræ Teresiæ, ac  
 Sancti Thomæ Aquinatis,  
 Sancti Gabrielis, & omnium  
 Sanctorum. Et ad totius Eccle-  
 siæ vtilitatem, cui me ipsum,  
 & omnia mea submitto. Die  
 11. Martij 1656.

F I N I S



RERVM NOTABILIVM  
 HVIVS OPERIS  
 INDEX.



A



*Rtificata quid si-  
 gificant n. 121.  
 Actio transubstan-  
 tiatiua quomodo  
 ad Eucharistiam*

*pertineat. 121.*

*Agnus Paschalis festum eo anno  
 Christus celebrauit quo mor-  
 tuus est 181. & die 14. Lu-  
 nae Martij ad vesperam. ibi.*

*Aqua misceri debet vino conse-  
 crando. 107. Non est de fide  
 Christum consecrasse in vi-  
 no lymphato. Est peccatum  
 mortale talem mixtionem  
 omittere. 211. in qua quan-  
 titate aqua poni possit. 212.*

*debet aqua prius in vinum  
 conuerti an. equam conuer-  
 tatur in sanguinem à num.  
 214. an aqua nutriat. 228.*

*Annihilatio esse potest à solo  
 Deo, & solum per concursus  
 subtractionem 312. de facto  
 nihil annihilatur. ibid.*

*Anima Christi ponitur in Sa-  
 cramento per concomitanti-  
 am. 371.*

*Quanam accidentia sint in-  
 Christo in Sacramento. 383*

*Accidentia in Sacramento ma-  
 nentia. 424.*

*An maneat sine subiecto. 425.*

*Angeli desiderio inefficaci pos-  
 sunt Eucharistiam appete-  
 re. 508.*

*Possunt appetere impossibile. 509*

*An.*



Angeli an mereantur per spiri-  
tualem manducationem. 510  
Amentes an capaces sint Eucha-  
ristia. 517.

## C

**C**onfirmatio quibus voce-  
tur nominibus car. 1. est  
proprie Sacramentum. c. 4.  
quando fuerit institutum c.  
8. & 9. non est necessari-  
um necessitate medij, nec  
praecepti, nec diuini, nec hu-  
mani etiam ante ordines. 14

Materia essentialiter requisita  
ad Confirmationem est ole-  
um oliuarum, mixtio vero  
balsami est solum necessaria  
necessitate praecepti Eccle-  
siastici. 10.

Benedictio Chrismatis non est  
ex Christi institutione. 25.

Chrismatis benedictionem po-  
test ex Pontificis commissio-  
ne facere simplex Sacerdos;  
licet solus Episcopus sit ordi-  
narius huius benedictionis  
minister. 27.

Proxima Confirmationis mate-  
ria est unctio Chrismate  
facta. 30. Unctio in Crucis  
modam fieri debet, & in

fronte. 30. & 31. potest un-  
ctio fieri in aliquo casu, me-  
dio aliquo instrumento. 31.

Confirmationis forma est con-  
signote & c. 32. & 33. quae  
nam verba sint essentialia.  
34. & infra. SS. Trinitatis  
inuocatio est essentialis. 36.

Quomodo definiatur. 37.

Imprimit characterem. 40. sup-  
ponit characterem Baptis-  
mi. 44.

Confert maiorem gratiam quã  
Baptismus 49.

Confirmationis subiectum ca-  
pax est omnis baptizatus licet  
congruat expectare tempus  
usus rationis. 57.

In quibus casibus dari possit  
ante usum rationis. 59.

An perpetuo amentes sint con-  
firmandi. ibid.

Quenam dispositio requiratur  
ad hoc Sacramentum recipi-  
endum. 60.

Ordinarius Confirmationis mi-  
nister est solus Episcopus. 62

Ex Summi Pontificis con-  
cessione etiam simplex Sa-  
cerdos potest esse Confirma-  
tionis minister. 67.

Quando licet fieri possit hac  
Pontificis concessio. 72.

Quandiu maneret talis conces-  
sio.



- fio. 73.  
 A quo Episcopo quis possit confirmari 73. ubi alia ad idem.  
 Ritus confirmationis recensentur à nu. 74.  
 Contritio an sit pars in recto Sacramenti Penitentia. 106  
 Concreta accidentalialia quid significent. 121.  
 Christus Dominus quo die occisus fuit. 183.  
 Idem corpus potest esse in pluribus locis non circumscriptiue. 262. non tamen in duobus temporibus. 265.  
 Quid sit, & quotuplex, & quas habeat conditiones conuersio in communi. 325. & deinceps. est vera actio. 329  
 Quodlibet creatum conuerti potest in quodlibet. 334.  
 Non potest Deus conuerti in creaturam, nec creatura in Creatorem. 336.  
 Conuersio Eucharistica est vera, & propria actio. 341.  
 Terminus primarius actionis conuersus in Eucharistia non est adductio Corporis Christi, neque introductio, vel constitutio; nec modus substantialis; nec conseruatio Christi sub speciebus; sed est Corpus, & Sanguis Christi prout sunt ex pane. 356.  
 Ipsa presentia Corporis Christi sub speciebus licet non sit terminus primarius, pertinet tamen ad complementum illius. 362.  
 Quid dicat ratio corporis. 366.  
 Christus Dominus in Sacramento mouetur localiter ad motum specierum, motu in ipso recepto. 398. an moueatur circulariter. 401. Non potest Christus in Sacramento pati ab agente naturali, nec agere in illud. 403. quid de motu. 405. An actione immanenti, & quomodo. 406  
 An possit videri oculo corporeo. 409. an videat astantes, audiat &c. 410. an se ipsum. 415. An possit videri ad modum paruuli. 414. quid de apparitionibus. 415.  
 An ab intellectu Angelico naturaliter. 417.  
 Communio an frequens. 518. an in die Parasceues ibid. an pluries in die. 519. & in quibus casibus ibidem.  
 Communicare in veniali an sit veniale, & quando 520. & infra. An possit quis neuter communicare. 523. An sit preceptum confessionis, & qua.



quale à num. 524. Assignatur casus in quibus absque confessione fieri potest communio 528. quid sibi vult Ly quam primum in Tridentini præcepto. 530. quos afficiat Tridentini præceptum. ibidem.

Quot peccata committat qui sine confessione communicat. 531.

Communio præceptum Diuinum quando obliget. 540.

Christus Dominus se ipsum sacrificauit in cana. 569.

Christus Dominus est principaliter offerens, & causa physica principalis sacrificij. 592

An communicans sub vnicatantum specie minorem recipiat gratiam. 600.

## D

**D** Deus quomodo supplere possit genus causæ materialis 427. supplet substantiam, non componentem ibidem.

An eadem efficientia conseruet accidentia separata, ac non 429. An sit causa partialis partialitate causæ, & influ-

xus 409.

Dispositio ad Eucharisticam gratiam nouam, post primam sumptionem recipiendam 496.

## E

**E**ucharistia laudes numero 80. nomina 83. & Sacramentum ab alijs distinctum 84. omnium dignissimum 87. Non in usu, sed in permanenti consistit 89. consistit in solis speciebus consecratis, seu ut connotant Corpus, & Sanguinem Domini 97. quomodo forma ad Eucharistiam essentiam pertineat. Vnitatis numerica, & specificata 124.

Realis Eucharistia receptio non est necessaria, nec paruulis nec adultis ad gratiam habendam, & continuandam, 152. & infra: bene tamen in voto. 158, & infra. estimam ad perseuerandum 171. Eucharistia Sacramentorum finis 160. 168.

Eucharistia, an ante, vel post pedum lotionem fuerit instituta. 185. in qua cena ex triplici.



plici. 186. qua noctis hora 187.

*Eucharistia materia est panis triticeus, & vinum vitigineum. 190. per totam q. & cum duabus sequentibus ubi utriusque materiae conditiones declarantur. Cuius figura debeat esse panis consecrandus. 198. Quanto tempore hostia consecrata dura re possit. 199. Vinū congelatum an sit materia consecrabilis. 202. non tamen in vis contentum. 205. an succus ex vispassis. 206.*

*In Eucharistia non manet substantia panis, & vini cum propria suppositualitate. 292. nec hypostaticè unita Christo. 296. nec forma panis; etiam si esset accidens. 298. nec materia ibidem. nec existentia. 299. nec substantia 301.*

*Non potest Christus poni in Eucharistia absque conversione panis in ipsum, non facti loci mutatione 303.*

*Eucharistia remittit venialia, & aliquando omnia. 499. etiam panas per se secundo. 500. non prodest aliis ex opere operato ibidem. quot*

*motis sumatur. 506. Eneugumeni an sit capaces Eucharistia 517.*

*Eucharistia an ministrari possit in die Veneris Sancti 555 An possit Sacerdos dare hostiae partem 556.*

*Eucharistia est perfectior quam sacrificium 589.*

*An quis cogi possit vendere pro Ecclesia edificanda 648.*

*Quomodo Ecclesia polluatur 648. quomodo reconcilietur ibi.*

## F

*Forma Eucharistiae an ad eius essentiam pertineat 115.*

*Finis Sacramentorum, & omnis gratia est Euchar. 160. & 168.*

*Figura organica quotuplex. 383. & quam habeat Christus in Sacramento ibidem.*

*Figura Crucis an possit esse in Sacramento 384.*

*Differentia notabilis inter formam Eucharistiae, & aliorum Sacramentorum 460.*

*Hac sola verba Hoc est &c. sunt forma consecrandi panis*



nis 463. *Quanam forma Calicis* 465. *differentia inter formam Baptismi, & calicis consecrandi* 467. *Effectus variij Eucharistia* 503.

## G

**G** *Ratia Sacramenti Eucharistia an a solis causetur speciebus, an etiam à Corpore Christi* 110.

*An maiorem gratiam recipiat, qui plures recipit hostias* 148

*Gratia qua datur in Baptismo est effectus Baptismi in genere efficientis, & Eucharistia in genere causa finalis.* 122. *idem de gratia alia qua cunq; ibidem per totam questionem. Gratia Eucharistia causatur cum verum est dicere, nunc declutita est* 487. *an toto tempore, quo manet in stomacho.* 491.

## H

**H** *Offia consecranda quam diu queant conseruari* 199.

## I

**S** *Vb indiuisibilis specierum totus Christus reperitur.* 393.

*Ieiunium quale Eucharisticum* 533. *an detur paruitas materiae* 534. *quot conditiones ut soluatur ibidem. vbi etiam plura curiosa* 536. *casus in quibus non ieiunus potest communicare.*

*Indulgentia Altarium nostrorum.* 669.

## L

**L** *Ampas an sub mortali debeat esse accensa ante Eucharistiam* 559.

## M

**M** *Ateria Eucharistia est panis & vinu* 189 *qualis esse debeat panis, & quale vinu* 194. & 199.

*An materia consecranda debeat esse presens, & qua presentia* 234. *an debeat esse determinata per consecrantis intentionem.* 239. *an debeat habere terminum magnitudi-*



rudinis, & pauitatis 243.

Beata Virgo Maria ex specialis priuilegio videt oculis corporeis corpus filij sui in Sacramento 411.

Mixtio quotuplex 455.

Minister Eucharistia conficienda 551. Quinam minister Eucharistia distribuenda à nu. 554.

Missam quis instituit 560. quid sibi velit nomen Missa 561.

Quomodo diuidatur 562.

Martyres an se ipsos sacrificent 569.

Missa pro quibus possit applicari 619. & infra: valor; V. sacrificium Missæ stipendium 660. difficultates de stipendio soluuntur 665.

## N

**N**ecessarium quotupliciter dicatur 150.

## O

**O**rganizatio quotuplex 369.

## P

**P**resentia realis corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia est de fide 249. quo casu verum, & reale corpus debeat esse palpabile 259.

Presentia Christi ad species est modus superadditus 269. item ad locum specierum 277. reuocatur ad predicamentum ubi 279. quomodo sit supernaturalis. 280. non est definitiua 282.

Presentia Sacramentalis de facto dependet à naturali Christi D. 284.

Præputium Christi non ponitur in Sacramento 374.

Personæ Patris, & Spiritus Sancti sunt in Sacramento per concomitantiam remotam. 388.

Persona Patris, & Spiritus Sancti an possint dici manducari in Sacramento 390.

Pronomina Hoc, & Hic quid demonstrent 474.

Peccata venialia quomodo per Eucharistiam deleantur. 498. An impediunt fructus illius 502.

Perseuerantia est effectus Eucharistia.



charistia 500.

Paruuli an gratiam Eucharistia recipient 514. quid de amentibus ibidem.

Pollutio qua impedit communionem 532.

Præceptum Ecclesiasticum annua communionis quando, & quomodo intelligendum a num. 547.

Pestis tempore quam Sacramenta debeant ministrari. 555.

Præcepto communionis an satisfiat communicando in Cathedrali 557.

An satisfiat communicando in Ecclesijs regularium 517.

Præceptum audiendi Missam, quale & quibus modis satisfiat 673. & infra.

## Q

**Q**uantitas corporis Christi per concomitantiam ponitur in Sacramento, 381. quid sit quantitatem poni per concomitantiam 385.

Quantitas sola consecratione peracta manet sine subiecto, 432. quomodo sit subiectum quo, & quod accidentium.

436. solum mi vaculum fit in separatione quantitatis à substantia non respectu aliorum accidentium 438. In sola quantitate fit mutatio non in alijs accidentibus ibidem. Per quid quantitas Eucharistica existat. 439. an propriam appetat inherentiam 443.

An agentis naturalis virtute valeat corrumpi 447.

Quantitas, & alia accidentia Eucharistica suis relinquuntur naturis 447. An in materiam primam conuertatur, quando vermes generantur. 453.

## R

**R**egulares an possint viaticum ministrare 546.

Res oblata sacrificij Missæ, & corpus Christi cum speciebus. 595.

## S

**S**pecies consecratæ quid primo significant, gratiam, an corpus Christi. III. An adorentur adoratione latriæ III.

S I S S

Qua



Qualibet species non est integrū  
Sacramentum essentialiter, sed  
partiale 130.

Substantie panis, & vini desitio  
in Eucharistia non est anni-  
hilatio 313. Sed est desitio fa-  
cta vi illius actionis, qua po-  
nitur corpus, & sanguis Chri-  
sti sub speciebus 319.

Sub speciebus vini quid ponatur  
ex vi verborum. 375.

Quinam sanguis in Sacramento  
ponatur 376.

An ex specierum corruptione  
possit aliquid generari 450.

Species Sacramentales quomodo  
nutriant 454.

Quantum durent in Stomacho.  
460.

Sacrificium est sacrum factum.

564. an sit in genere signi.

563. quot actiones intersint  
& in qua consistat. 564. de-  
finitio. 566.

Sacerdos dum Missam celebrat  
verum offert sacrificium.

573. In qua actione Missa  
sacrificij essentia sistat. 570.

An utriusque speciei oblatio sit  
de essentia. 597. an possit  
feri dispensatio. 599.

Sacrificium legis antiquae quo-  
tuplex. 601.

Quos effectus habeat nostrum

sacrificium ex opere operato  
602. & 605.

Quot sint offerentes. 609.

Sacerdoti, & alijs offerentibus  
qui fructus correspondeat tū  
ex opere operato, tum ex o-  
pere operantis. 605. usque  
ad 617. Quibus sacrificium  
applicari possit. 617. an Bea-  
tis &c. ibid. qualis applica-  
tio requiratur. 623.

Sacrificij valor infinitus. 629.  
tantum prodest vni quantum  
pluribus 633.

Sacerdotis obligationes, 641. an  
teneatur celebrare aliquando  
642. an in maiori hebdoma-  
da 643. an submissa voce  
que cantantur in Choro ibi-  
dem. an possit repetere ali-  
qua. 644. an mentaliter.  
644.

Quo tempore possit celebrare.  
645. quo loco. 647.

## V

Vinitas numerica Eucha-  
ristia à specierum con-  
tinuitate desumitur. 141. Spe-  
cifica à ratione conuiuij, vel  
completæ refectiois. 125.

Votum Eucharistiae quotuplex.  
158.



158. & 164.

*Quid sub vini speciebus vi verborum ponatur.* 375.

*Vinum eiusdem speciei potest aliud corrumpere.* 456.

*Quanam verba consecrandi panis.* 463.

*Quanam consecrandi Calicis.* 465.

*An proferantur tantum recita-*

*tiue, an etiam enunciatiue.*

471. *Quando suam habeant veritatem.* 481. *an conuersionem causent solum ratione significationis, verum etiam ratione veritatis.* 484.

*Votum explicitum Eucharistiae an specialem gratiam producat.* 511.

# F I N I S .

---

## REGISTRVM.

† †† ††† ABCDEFGHIKLMNOPQRSTV  
XYZ.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn  
Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vv Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn  
Ooo Ppp Qqq Rrr Sss Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ff ff Gggg Hhhh Iiii Kkkk Llll  
Mmmm Nnnn Oooo Pppp Qqqq Rrrr Ssss

Omnes sunt fol. 90. integri, præter Ssss, est dimidij.





R O M A E ;

---




Ex Typographia Francisci Foelicis Mancini ;

ANNO D. M. DC. LVI.

---

SVPERIORVM PERMISSV.







Blank page with faint horizontal lines and a large, faint blue rectangular stamp in the center.



Blank page with faint horizontal lines and a large, faint blue rectangular stamp in the center.



Blank page with faint horizontal lines and a large, faint blue rectangular stamp in the center.

ANNO D. M. DC. LVI

Blank page with faint horizontal lines and a large, faint blue rectangular stamp in the center.

Blank page with faint horizontal lines and a large, faint blue rectangular stamp in the center.







